This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1817
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

882
A2
B72

1850

Richard Shilleto

ARISTOTELIS

METAPHYSICA

RECOGNOVIT ET ENARRAVIT

HERMANNVS BONITZ

PHIL. D. GYMN. STETTIN. PROF.

PARS PRIOR

BONNAE

AD. MARCVS

MDCCCXLVIII

Aristotelis libros metaphysicos si quis vel enarrare vel a librariorum mendis liberare instituerit, is ne operam in re inutili collocasse iudicetur non vereor. Etenim et Aristoteleae philosophiae ea est quum suapte natura dignitas tum apud posteriores omnium prope temporum philosophos auctoritas, ut eos libros, quibus summa doctrinae principia philosophus se expositurum profiteatur, diligenter excussisse et quam accuratissime intellexisse non possit non operae pretium videri; et metaphysicorum librorum tanta est et in sententiis et in verbis obscuritas, ut interpretis operam neque exiguam neque admodum facilem requirant: librariorum autem erroribus, e scriptis libris in editos propagatis, difficultates istae magnopere sunt adauctae. Ac de emendando quidem Metaphysicorum textu quam egregie nostra aetate meruerint clarissimi viri, *Chr. Aug. Brandisius* et *Imm. Bekkerus*, neminem potest fugere, qui editiones horum virorum cum superioribus vel obiter comparaverit. Sed etiam post hanc operam libris metaphysicis felicissimo eventu navatam permulta superesse quae emendatione egeant, et in ipso illo Aristoteleo opere, quod Academiae Regiae Borussicae auspiciis Bekkerus et Brandisius ediderunt, haud exigua etiam nunc latere emendandi textus subsidia, in Observationibus criticis ad Aristotelis libros metaphysicos ante hos sex annos editis ita docui, ut aliquot corruptelas et indicarem et tollere studerem.

Quarum quidem emendationum quum viri docti, qui de libello meo iudicium fecerunt *), multas suo suffragio comprobarent, alias alii reiicerent, in eo tamen consenserunt omnes ut et depravatas plurimis locis Aristotelis sententias librariorum erroribus et in promptu esse emendandi subsidia ab editoribus nondum satis diligenter adhibita statuerent, eamque rationem ac viam, quam ego ingressus essem, probandam censerent. Hoc consensu confirmatus, quum emendatis explicatisve aliquot insignioribus Metaphysicorum locis, omissis aliis non paucioribus, qui et ipsi medelam desiderarent, legentium usui non satis prospectum esse intelligerem, quidquid otii munus scholasticum mihi concedebat, id omne in explicandis et emendandis libris metaphysicis consumpsi. Nimirum duplex haec et emendandi et explicandi ratio divelli inter se nec debebat nec vero poterat: sententia enim philosophi neque intelligi penitus nec vere ac plene explicari potest, nisi ad minutissima quaeque acerrime attenderis, et quidquid depravatum esse appareat emendare susceperis; emendandi autem studium nisi ad quaerendam veram explicandi rationem pertineat, nec quo nitatur habet nec quo referatur. Et in enarrando quidem quam sim rationem secutus, exponam in praefatione alterius voluminis, quod intra semestre spatium editum iri spero; hoc priore volumine quoniam verba Aristotelis et apparatus criticus continentur, quae habuerim in constituendo textu subsidia et qua ratione iis usus sim paucis videtur demonstrandum esse.

Apparatus criticus, quem textui subieci, ex his compositus est partibus. Primum integrum recepi apparatum Bekkeri; is autem adhibuit hos quindecim libros manuscriptos, quorum iam et sigla afferam et quid vel e ca-

*) L. Spengel, Münch. Gel. Anz. 1843. No. 242 sq. — F. Breier, N. Jen. Litz. 1843. No. 218 sq. — Winckelmann, N. Jahrb. f. Philol. 1843. XXXIX, 3. p. 283 sqq.

talogis bibliothecarum (quorum descriptiones his signis « » inclusi) vel aliunde de eorum aetate vel fide cognoverim adiiciam.

(E) Paris. **1853.** « Cod. membranaceus, olim Mediceus. Is codex saeculo decimo ineunte maximam partem exaratus videtur. Ad illam vero, quae manum antiquam prae se fert, accessere scholia antiqua et ipsa, sed non aeque omnia, ad quosdam libros perpetua ad alios rariora. Manu recentiore scripta sunt folia ultima **108** saeculo, ut opinor, quarto decimo, idque a tribus quatuorve calligraphis, quorum unus Philalitides nominatur. » Metaphysica antiquiore manu exarata sunt. Plura de hoc codice exposuit Trendelenburgius in praef. ad libr. de an. p. XXIII sqq.

(F), a Bekkero siglo *f* significatus, Marcianus **206**, « in quarto, membranaceus, foliorum **335**, saeculi XV. — Nota fol. **175**: *Ἐτελειώθη ἐν Ῥώμῃ ποινηλατουμένῳ μοι καὶ αὐτῷ Ἀπριλλ...ια' ἔτει ϛϡοε'* (**1467**). *Πατρὶς δέ μοι Λακεδαίμων, ἡ πάλαι ποτὲ μὲν εὐδαίμων, νῦν δὲ μάλιστα κακοδαίμων.* »

(Q) Marcianus **200**, « in folio, membranaceus, foliorum **594**, saeculi XV. Aristotelis opera omnia exceptis logicis. Nota in fine: *Ἐτελειώθη ἡ παροῦσα βίβλος ἐν ἔτει ἀπὸ Χριστοῦ αυμζ'* (**1447**) *ἰνδ. ε', μηνὸς Ἰουλίου ιε', διὰ χειρὸς ἐμοῦ Ἰωάννου ἱερέως Ῥόσου, τοῦ ἐκ Κρήτης, δι' ὁρισμοῦ καὶ ἐξόδου τοῦ αἰδεσιμωτάτου ἐν Χριστῷ πατρὸς κυρίου Βησσαρίωνος Καρδινάλεως ἐπισκόπου τῶν Τούσκλων καὶ αὐθέντου ἡμετέρου ἐν Ῥώμῃ.* »

(S) Laurentianus **81, 1.** « Codex Graecus papyraceus mscr. in folio, saeculi partim XII partim XIII, notulis hinc inde in margine aspersus. Constat foliis scriptis **213.** Metaphysica leguntur inde a p. **169.** Extremi quatuor libri alio ordine positi sunt atque in editionibus, ita quidem ut duo libri *MN*, qui in editionibus extre-

mum habent locum, in codice ante libros *KΛ* scripti sint.»

(T) Vaticanus 256. Eum librum Brandisius (über die Aristot. Handschr. im Vatican. Abhandl. der Berl. Akad. vom J. 1831 p. 63) sic describit: bombycinus, in quarto, non eadem manu scriptus, constat foliis scriptis 474. Aristotelis Metaphysica, a quibus orditur codex, nitide quidem scripta sunt, sed multa et ea quidem haud levia sunt omissa, quod partim librarii negligentia videtur factum esse. In fine Metaphysicorum haec scripta sunt: *τετέλεσται ἡ παροῦσα βίβλος ἐν ἔτει ϛω' εἰκοστῷ ἐνάτῳ* (i. e. anno 1321). Inde a folio 218 codex alios continet libros maximam partem Aristoteleos, minus eleganter scriptos.

(Hᵃ) Marcianus 214, «in folio minori, membranaceus, foliorum 240, saeculi circiter XI.»

(Aᵇ) Laurentianus 87, 12. «Aristotelis Metaphysica cum commentario Alexandri Aphrodisiensis, qui totum codicis marginem undequaque ambit. Textus literis grandioribus. Commentarius Alexandri incipit *ἐπειδὴ ἡ γνῶσις*. Codex membranaceus, saeculi XIII, optimus. — Quatuor posteriorum librorum ordo diversus est in codice: qui enim in editionibus sunt XIII et XIV, ii in codice sunt XI et XII; et contra qui in editionibus sunt XI et XII ii in cod. decimi tertii et decimi quarti locum tenent.»

(Bᵇ) Laurentianus 78, 18. Aristotelis Metaphysicorum libri XIV, eorum ordo idem est cum illo codicis XII huius plutei *(Aᵇ)*. — Codex Graecus papyraceus manuscriptus in quarto, saeculi XIV, tineis ac vetustate valde detritus, ac duobus foliis in fine nova manu suppletis. Constat foliis scriptis 105.»

(Cᵇ) Laurentianus 87, 26. «Aristotelis Meteorologicorum libri IV, deinde a p. 79 Metaphysicorum libri XIV, eodem ordine ut in codice XII huius plutei *(Aᵇ)*. Co-

dex Graecus bombycinus mscr. in quarto, saeculi XIV, cum scholiis quibusdam Graecis et alicubi Latinis in margine, quae videntur esse Francisci Philelphi. Constat foliis scriptis 235.»

(D^b) Ambrosianus F 113.

(E^b) Marcianus 211 «in octavo, chartaceus, foliorum 281, saeculi circiter XII. Aristotelis libri de coelo, de gen. et corruptione al., singulis libris apponuntur scholia marginalia et interlinearia. — Arist. Metaphysicorum libri XIV, quorum postremi quatuor diverso ordine sunt ac in editis. Praemittitur Theophrasti Eresii Metaphysicorum fragmentum sive liber I.»

(F^b) Paris. 1876. Alexandri Aphrodisiensis commentarii in Aristotelis Metaphysica. «Codex Graecus, in folio, bombycinus, foliorum 288, saeculi XIII.» Plura de eo libro exposui in praefatione ad Alex. Aphrod. comm. ad Metaph. p. VI, XIV, XVIII. — Ipsa Aristotelis verba non continuo ordine in hoc libro exhibentur, sed modo eatenus, quatenus pro lemmate singulis commentarii particulis praescripta sunt. Iam vero Bekkerus eodem siglo *F^b* et eam significavit lectionis varietatem, quae his lemmatis continetur, et eas lectiones, quas Alexandrum interpretatum esse ex eius commentario intelligas. Quoniam autem in lemmatis non ipse exhibetur Aristotelis textus qualem Alexander habuit, sed interdum alia est in lemmatis lectio alia in commentario tractatur, neque vero eadem lemmatum et commentarii est auctoritas, haec, quum ipse conferrem codicem, distinguenda putavi, et siglo quidem *F^b* ea significavi, quae in lemmatis leguntur; quae ex commentario repetita sunt, ea ipsi Alexandro tribui.

(G^b) Paris. 1896. «Codex chartaceus, olim Boistallerianus, quo continentur Syriani Philoxeni scholia in librum secundum Metaphysicorum Aristotelis. Subiiciuntur quaedam de providentia. Is codex saeculo decimo

sexto exaratus videtur.» Ex hoc libro et ex Coisliniano 161 *(I^b)* Brandisius Syriani exscripsit commentarium, qui altero scholiorum Aristoteleorum volumine edetur. Quo apographo quum mihi liceret uti per eximiam Brandisii liberalitatem, cognovi non solum libri *B* commentarium, ut legitur in catal. bibl. Paris., sed etiam quae ad libros *MN* Syrianus commentatus est, eodem codice contineri, ipsaque Aristotelis verba lemmatum instar singulis commentarii particulis praemissa esse, et ita quidem ut inter se coniuncta plenum exhibeant librorum *BMN* textum. Bekkerus aliquoties etiam in libro *Γ* scripturae varietatem ex cod. *G^b* attulit, unde etiam huius libri commentarium eo codice contineri concludas; Brandisius autem ad exscribendum Syriani ad librum *Γ* commentarium unum codicem *I^b* adhibuit, quem Bekkerus in varietate lectionis ad librum *Γ* nusquam commemorat. Et codicem *I^b* quidem exhibere Syriani ad librum *Γ* commentarium quum praeterea etiam e catalogo bibliothecae Coislinianae appareat, suspicor Bekkerum in apparatu critico libri *Γ* per errorem siglum *G^b* posuisse pro siglo *I^b*: nihil tamen mutavi, quum suspicio coniectura nitatur.

(H^b) Paris. **1901.** «Codex membranaceus, quo continentur Asclepii Tralliani scholia inedita in Aristotelis Metaphysicorum libros sex priores. Opus ex Ammonii ore exceptum. Is codex saeculo decimo quarto exaratus videtur.» Quantum coniici potest ex varietate lectionis, quam Bekkerus ex hoc libro enotavit, comparata cum iis scholiis, quae Brandisius in quarto editionis volumine passim apposuit, verba Aristotelis in hoc codice non continua exhibentur, sed per lemmata commentario inseruntur.

(I^b) Coisl. **161.** «Codex bombycinus, XIV vel XV saeculi, constat foliis 448, fuit olim Laurae S. Athanasii in monte Atho et *τῶν κατηχουμένων*, ut initio et fine scribitur.» Praeter alios libros Aristotelis continet Me-

taphysica cum commentario Alexandri (sive inde a libro *E* Michaelis Ephesii) ad libros omnes et Syriani ad libros *BΓMN*.

Ad hunc apparatum Bekkerianum addidi primum varietatem lectionis, quae ex Graecis Metaphysicorum interpretibus Alexandro, Syriano, Asclepio, Themistio, Simplicio repeti potest.

(Alex) *Alexandro* quum plurimum sit tribuendum et in sententiis explicandis et in emendandis restituendisve verbis, quam illum in libro suo scripturam habuisse ex interpretatione vel certo appareat vel probabile sit (quod verbis «fort. Alex.» significavi), quam accuratissime investigavi. Commentarius ad posteriores Metaphysicorum libros inde a libro *E*, qui eius nomine fertur, quum et ipse videatur Alexandri esse quamvis res non possit ad liquidum perduci (cf. praef. ad Alex. l. l. p. XIV sqq.), non dubitavi etiam in posterioribus libris, quae ex eo commentario assumpsi, Alexandro tribuere. Ubi Alexander praeter eam lectionem, quam ipse interpretando exprimit, aliam traditam esse testatur, hoc signo «γϱ Alex» usus sum. Distinctam a me esse varietatem lemmatum ab ea, quae e commentario repetita est, supra monui, ubi de codice *F*ᵇ dixi. Et quoniam lemmata, quae in codice Alexandri Paris. 1876 *(F*ᵇ*)* exhibentur, non ubique concinunt cum iis, quae in eiusdem interpretis codice Monacensi 81 leguntur, interdum etiam lemmatum huius codicis varietatem addidi significatam siglo *M*. Est autem is liber «chartaceus, charta solida et laevigata, titulis numeris et initialibus minio exaratis, literis minutis et tersis, in folio, foliorum 520 (quorum folia priora 442 Alexandri commentarium continent), cum variantibus marginalibus, cum lacunis, collatus cum antigrapho, ex parte etiam a Michaele Sophiano, saeculi XVI, optime conservatus et inscriptus.» Plura de eo codice disserui in praef. ad Alex l. l. p. VII sq.

(Syr) *Syriani* commentarium ad libros *BΓMN*,

Graece nondum editum, ut potuerim adhibere ad textum Metaphysicorum recognoscendum, singulari debeo Brandisii benevolentiae, qui quod fecit eius commentarii apographum e codd. *GbIb* liberalissime mihi transmisit. Sed quoniam Syrianus, exceptis iis locis, quibus Alexandri vestigia sequitur (cf. praef. ad Alex l. l. p. XI, XVIII.), ipsa philosophi verba explicare raro dignatur, sed plerumque in exponenda universe vel refutanda Aristotelis sententia latius evagatur, ad emendandum textum non admodum magnum fructum ex hac conferendi opera percepi.

(Ascl) *Asclepius* ut est interpretandi laude ipso etiam Syriano longe inferior, nedum cum Alexandro comparari possit, ita nec in indaganda genuina scriptura magni est momenti. Sed etiam apud mediocrem interpretem interdum vel veram lectionem vel verae lectionis indicia inveniri ratus, et Brandisii excerpta e commentario Asclepii ubique adhibui, et praeterea librum mscr. Asclepii Monacensem 103 contuli. Is autem codex adeo et depravatus est et mutilus, ut non multa inde tamquam certa et explorata potuerim in varietate lectionis ponere.

(Them) *Themistium* quum ex iis, quae supersunt, explicationibus librorum Aristoteleorum et intellexisse appareat Aristotelis sententias et breviter ac dilucide exposuisse, dolendum sane est, quod ea paraphrasis intercidit, quam scripsit libri *Λ* Metaphysicorum. Superest quidem eius paraphrasis interpretatio Latina (Themistii Peripatetici lucidissimi paraphrasis in duodecimum librum Aristotelis de prima philosophia, Mose Finzio interprete. Venet. apud Hieron. Scotum 1558. fol. 26 paginae), quem librum admodum, ut audio, rarum conferre mihi contigit. Sed quum omnino interpretationes Latinae mediocris sint momenti in emendandis Graecis verbis, eius quidem interpretationis quae non ex ipso libro Graeco confecta

sit, sed ex conversione Hebraica, conversa et ipsa ex Arabica (quam libri migrationem Finzius in praefatione descripsit), patet quam paene nulla sit auctoritas. Nihilo tamen secius aliquot locis eius lectionis, quam Themistius suo in libro habuisset, satis certa etiam nunc reperire mihi videbar vestigia, eamque varietatem lectionis in apparatu critico posui.

(Simpl) *Simplicius* in interpretatione librorum de coelo ad II, 12. p. 293ª 4 locum astronomicum libri Λ Metaphysicorum ita adhibet, ut eum ipsum diligenter explicet. Inde aliquoties ad Λ 8 Simplicii lectiones in apparatu adnotavi, petitas illas ex editione Brandisiana Schol. Arist. p. 496ᵇ—504ᵇ.

Ioannis Philoponi nomine qui fertur commentarius ad libros Metaphysicos neque editus est Graece, neque unquam librum tam exigui pretii editum iri consentaneum est, cf. praef. ad Alex. l. l. p. XI. Latinam Francisci Patricii interpretationem contuli; sed infructuosa erat opera.

(i) Deinde ex interpretationibus Latinis Metaphysicorum eam contuli, quae merito iudicatur et interpretandi diligentia et codicum adhibitorum praestantia reliquas omnes longe superare: *Bessarionis* dico interpretationem, quae quidem quantum ad emendandum textum Metaphysicorum possit conferre, et Sylburgius testatur, qui se eam, sicubi haereret, tamquam oraculum adiisse dicit, et ipse in Observationibus criticis plurimis exemplis docui. Usus autem sum ea huius interpretationis editione, quae tertio volumine editionis Berolinensis continetur, adhibita interdum editione Casauboniana. Quamquam in interpretando adeo diligens est Bessario, ut fere verbum verbo exprimat, et Graeca quae fuerint facile ex his Latinis concludas, tamen est ubi dubites, qualem ille textum interpretatus sit: ibi dubiam esse Bessarionis lectionem («fort. *i*») in apparatu indicavi; ubi

vero Bessarionem eundem quidem, qui nunc fertur, textum habuisse sed falso interpretatum esse apparet, ibi nihil putavi adnotandum esse.

(a, s, c, b) Tum ut intelligatur, quas subierit mutationes textus Metaphysicorum, ex quo primum hi libri e bibliothecis protracti et typis exscripti sunt, potissimas editiones conferendas earumque varietatem in apparatu enotandam putavi. Acquiescendum autem videbatur ne vel apparatus amplitudinem vel conferendi operam temere augerem, in quatuor editionibus: Aldina *(a)*, Sylburgiana *(s)*, Brandisiana *(c)*, Bekkeriana *(b)*. *Aldina* editio, cuius volumen quartum Metaphysica continens prodiit anno **1498**, codicis manuscripti instar habenda est, quamquam in Metaphysicis certe non admodum bonis libris editorem usum esse apparet. Aldinam quae secutae sunt editiones Basileenses tres (**1531**, **1539**, tertia sive Isingriniana **1550**), Aldina minor sive Camotiana (**1552**), Fonsecae editio Metaphysicorum cum commentario (**1577**—**1589**) ad minuendos aliqua ex parte librariorum errores parum attulerunt, et si quid ab Isingrino, Morellio, Fonseca in margine adnotatum est, sive e libris manuscriptis sive ex interpretationibus Latinis sive e coniectura petitum, id nec magni est momenti et maximam partem á Sylburgio adhibitum ad textum vel ad adnotationem criticam; denique si quid in his invenitur, quod non vel ex Bekkeriano apparatu vel e Bessarione nunc peti possit, id dubiae est fidei. — Longe et maiorem et utiliorem operam libris metaphysicis impendit *Frid. Sylburgius* (Metaphys. Francof. apud Wechel. **1585**). Is enim licet novos libros manuscriptos non haberet, tamen quum interpretationem Bessarionis diligenter conferret et ad sententiam scriptoris acriter attenderet, haud pauca menda superiorum editionum vel in textu correxit vel in adnotatione critica corrigenda significavit. Sylburgii vestigiis proximi editores *Casaubonus* (**1590**), *Pa-*

cius (1597, 1605, 1607), *du Val* (1619, 1629, 1639, 1654) ita inhaeserunt, ut operam perdere videatur, qui pauca illa, quae fortuito magis quam certa ratione ac via immutarunt, exquirere susceperit. Casaubonus interdum in margine coniecturas addidit haud spernendas; ex quibus eas, quae neque postea e libris manuscriptis erutae neque a Bessarione petitae sunt, in apparatu exhibui. — Denique novis libris manuscriptis conferendis et singulis Aristotelis verbis diligenter perpendendis eximie de restituendo genuino Metaphysicorum textu meruit *Chr. Aug. Brandisius*, cuius editio prodiit anno 1823; et is. quidem auctor censendus est eius recensionis Metaphysicorum, quae nunc obtinet. Etenim *Imm. Bekkerus* et libris manuscriptis usus pluribus et singulari in hac arte usu et iudicio eximius, multa quidem etiam post Brandisium praeclare emendavit, sed longius tamen Brandisiana editio a superioribus distat, quam ab hac Bekkeriana. Ab his duabus editionibus non solum ubi immutandis textus verbis aliisve recipiendis lectionibus recessi, sed etiam ubi distinctionem verborum ita immutavi, ut alia existeret sententia, religiose id adnotavi; hoc unum non opus putavi significari, si quibus locis mutando verbi ἐστι accentu ab his editionibus discederem.

(Φ, Δ, M) Denique quoniam libri *Δ* caput alterum manifesto repetitum et libri *K* pars posterior excerpta satis leviter et negligenter est e Physicis, Physicorum et textum et apparatum Bekkerianum his locis adhibui et in apparatu critico ea significavi brevitate, quae neque eius ambitum magnopere augeret et a legentibus facile intelligeretur. — Eadem ratione ad *M* 4. 5 ubique adhibui varietatem lectionis ex *A* 9, et ad *A* 9 aliquoties, ubi e re esse videretur, varietatem e *M* 4. 5 adieci. Cf. Obs. p. 67 sqq.

Hos igitur libros et editos et scriptos adhibui. Cuius apparatus quoniam partem longe maiorem ex Bekkeriano

integrum transtuli, neque vel novos codices ipsorum Metaphysicorum contuli vel Bekkerianos denuo excussi, iure videatur dubitari posse, num satis testimoniorum auctoritate munitus fuerim ad textum recognoscendum. Etenim varietate scripturae ab alio collecta ita uti ut vel singulis locis de lectionum discrepantia vel in universum de codicum fide aliter iudices, atque is iudicavit, qui libros manuscriptos ipse pertractavit, admodum lubricum esse videatur, siquidem his de rebus nemo rectius potest iudicare, quam qui codices ipse contulerit. Ego vero si mihi contigisset vel novis Metaphysicorum codicibus uti vel collatos a Bekkero denuo inspicere, parum iucundam hanc operam non detrectassem, ne quid viderer omisisse, quod ad rem meam quidquam posset conferre; sed num operae fuerim pretium facturus, magnopere dubito. Exstant sane codices satis multi Metaphysicorum, inspecti illi quidem et examinati a Bekkero, quum omnes quotquot reperiri possent libros manuscriptos conquireret, neque tamen ad apparatum criticum adhibiti; sed ullum esse neglectum his quos adhibuit praestantiorem vix exspectabit, qui Bekkerum noverit. Confirmavit id nuper Waitzii, viri doctissimi, diligentia: qui quum ad Organon Aristoteleum multo plures quam Bekkerus codices conferret, nullum tamen invenire potuit, qui Bekkerianos vel superaret auctoritate vel aequaret *). — Bekkeri autem codices si mihi licuisset denuo inspicere, amplitudinem apparatus critici potuissem sine dubio aliquantum augere: sed vereor ut perinde eius apparatus usus ac fides augeri potuerit. Ille enim, ut est in eiusmodi rebus brevitatis studiosissimus, quaecunque orthographiae potius diversitatem continent, quam ipsius lectionis discrepantiam, ea vel omnino omittit vel semel significasse satis habet. Hoc ex ge-

*) cf. N. Jen. Litz. 1845. No. 212 sqq.

nere quantum possit addi apparatui Bekkeriano Trendelenburgius testis est, qui quae excussis Parisinis codicibus librorum de anima omissa a Bekkero reppererat in praefatione editionis suae p. XXIV sqq. enumeravit; ac similiter hic, quem ego exhibui, apparatus ad librum *A* auctus est Brandisii diligentia, qui quae suum in usum e codicibus Laurentianis SA^bB^b excerpserat, benigne mihi permisit. Sed ad ipsum textum emendandum neque illa neque haec additamenta multum contulerunt.

Ac ne in iudicanda quidem librorum manuscriptorum fide multum mihi videor profecturus fuisse conferendis denuo codicibus Bekkerianis. Quamquam enim codices suos nec descripsit ille nec de eorum fide exposuit, tamen quid de iis iudicarit ipso textu et apparatu critico satis aperte demonstravit atque ita comprobavit, ut vix uno loco videatur ab eius iudicio dissentiri posse. Nimirum librum adeo praestantem ut eum ducem sibi sumeret eiusque lectiones tueretur dummodo ferri omnino possent, Bekkerus in Metaphysicis invenit nullum. Inter eos autem qui exstant codices praecipuam quandam auctoritatem codici A^b videtur tribuisse: saepius enim hunc librum, quam ullum e reliquis, sequitur contra consensum reliquorum omnium. Multum tamen abest, ut huic libro plane addictus sit: quod si accurate omnem scripturae varietatem a Bekkero enotatam contuleris, multo plures locos invenies, ubi lectionem codicis A^b discrepantem a reliquis spreverit, quum possit ferri, quam ubi huius unius libri auctoritatem invitis reliquis secutus sit. Aliquanto plus huic libro tribuit Brandisius, qui eius potissimum auctoritate nisus textum Metaphysicorum constituit. Et recte quidem Bekkerus tantum ei libro tribuere noluit: licet enim et antiquitate insignis sit et aliquot lectiones manifesto veras vel unus vel inter paucos servaverit, tamen universam eius varie-

tatem lectionis comparanti facile apparet non eam esse huius codicis dignitatem, ut in eius verba possis iurare; quid quod non desunt loci, ubi interpretis potius quam simplicis librarii manum agnoscere tibi videaris (cf. p. 984^b 11, 989^a 32, 995^b 16, 1000^a 27, 1001^b 33, 1003^b 21, 1008^a 23, 1009^a 26, 1012^a 27, 1012^b 17, 1021^a 13, 1023^a 21, 1037^a 1. 2 al.). Necessitudinem quandam intercedere codici A^b cum commentario Alexandri in eius margine scripto, saepius quum utrumque inter se conferrem suspicabar, nec tamen certi quidquam de ea re statuerim. Ita quum huius libri fides nequaquam omni dubitatione exempta sit, non improbabitur, quod aliquot locis, ubi Bekkerus ei nimium videbatur confisus esse, ad vulgatam reliquorum librorum scripturam redii. — Post codicem A^b Bekkerus et contulit diligentissime et praecipue ad constituendum textum adhibuit eos libros, in quibus verba Aristotelis vel pro lemmatis commentarii scripta vel cum commentario coniuncta sunt $F^bG^bI^bH^b$, rarius tamen in his, quam in cod. A^b, unius libri fidem invitis reliquis omnibus secutus est. — De reliquis libris plurimis $FQSH^aB^bC^b$ D^bE^b ex Bekkeri silentio videtur iudicandum esse; quum enim ab initio satis amplam ex iis scripturae varietatem repetitam, postea interdum librum *S*, raro reliquos commemoratos videamus, verisimile est Bekkerum quum his libris vix quidquam auctoritatis tribuendum esse intelligeret, pepercisse lectoribus; qua in re quin recte iudicaverit, non est quod dubitemus. — Duos autem libros *E* et *T*, quamquam nulla fere laude insignes sunt, per omnes Metaphysicorum libros diligenter contulit: alter enim *E* ut in libris Physicis eximiae, ita exiguae est in Metaphysicis fidei *), quamquam quae in margine codicis adnotata sunt, partim non negligenda videntur; cum eo libro multos errores communes, sed

*) Krische, Forschungen I. p. 291 not.

alios praeterea sibi proprios habet cod. *T*. Quos codices nescio an propterea excusserit Bekkerus, quia ad hos libros illum proxime accessisse apparet, ex quo Aldina et reliquae usque ad Brandisium editiones fluxerunt.

Hanc fere esse singulorum librorum fidem et auctoritatem ex ipso apparatu Bekkeriano intelligitur; accuratius sane ea de re disputare poterit, qui libros manuscriptos ipse denuo excusserit, sed manebit tamen illud, quod in recensendo textu gravissimum est, neque ita praecellere unum codicem reliquis, ut pro certo duce haberi possit, neque vero ullum esse, quin alicubi vel veram vel certe aptiorem scripturam praebeat. Quare quam legem Bekkerus sibi videtur scripsisse, ut librorum auctoritate accurate ponderata, tamen in eligenda cuiusque loci optima lectione suum maxime iudicium sequeretur, eadem lege observata non dubitavi interdum a Bekkeri iudicio dissentire. Idque eo magis iure meo facere mihi videbar, quum adhiberem ad ferendum indicium testes neglectos a Bekkero, at libris manuscriptis omnibus locupletiores, interpretes dico Graecos, praecipue Alexandrum Aphrodisiensem. His enim interpretibus quantum omnino fidei tribuendum sit, si quis artem criticam in Aristotele severe voluerit exercere, omnium, quorum est de hac re iudicium, consensu ita est comprobatum, ut plura de eo disputare nihil attineat; quantum Alexandro potissimum debeatur in emendandis Metaphysicis, plurimis exemplis docui in Obs. crit. p. 84 sqq. Quod si quis propterea id susceperit efficere, ut ipsum Alexandri textum ubique restituat, is id nec posse fieri neque vero si posset fieri suffecturum esse mox intelliget. Neque enim ubique Alexander tam anxie adhaeret verbis Aristoteleis, ut qualem ipse textum habuerit certo possit cognosci, praesertim quum etiam tum, quum ipsa Aristotelis verba se referre profitetur, subinde videatur libe-

rius versatus esse, ut consentaneum est virum, qui libros Aristoteleos paene totos memoria complecteretur; et interdum iam illa aetate varietatem scripturae traditam fuisse ipse Alexander auctor est; denique non desunt loci, ubi Alexander lectionem manifesto falsam secutus sit *). Itaque Alexandri testimonium non potest pro indicio veritatis haberi: summus de se ipso iudex Aristoteles erit. Quid enim sententiarum requirat ordo et coniunctio, quid Aristoteleae dicendi rationi consentaneum sit, iterata lectione et diligenti observatione investigandum est, ut si non ipsam Aristotelis manum, tamen sublatis plurimis librorum mendis probabilem textus formam restituas. Quam legem quum scribere facile sit, observare difficillimum, sedulo cavi ne ea abuterer. Coniecturas, ad quas interdum erat confugiendum, in textu non posui, nisi ubi et necessarias et maxime probabiles esse confiderem, reliquas in apparatu critico significavi; nec vero unquam vel coniectando vel praeferendis aliis lectionibus a textu Bekkeriano recessi, nisi ubi re etiam atque etiam considerata necessario id fieri mihi persuasissem. Superesse permulta, quae editorem feliciorem et fortasse audaciorem requirant, haud ignoro: interim magnopere opto ut mea hac editione aliquid ad rectius intelligendum difficillimum Aristotelis librum contulisse iudicer.

Duo abhinc anni sunt, quum confecta iam critica huius editionis parte occupatus tum maxime in conscribenda interpretatione, virum doctissimum, *Alb. Schweglerum* in emendandis et explicandis Metaphysicis Aristotelis operam posuisse et amplissimam eorum editionem propediem emissurum esse e catalogo bibliopolarum cognovi. Itaque ne acta agerem exspectandum putabam,

*) cf. Obs. p. 109 sqq.

donec ea editio prodiisset, ut si ea sufficere videretur, meum consilium missum facerem. Tandem ineunte hoc anno duo Schweglerianae editionis volumina, quae textum cum apparatu critico et versionem vernaculam continent, in manus meas venerunt; quae quum perlustrassem, re diligenter perpensa, intelligere mihi videbar, etiam post Schweglerianam operam non defuturum editionis meae usum. Etenim Schweglerus quum Bekkerianum apparatum et ipse totum transferret et simili atque ego feceram ratione augeret, textum Bekkerianum integrum, ne distinctione quidem usquam mutata, retinuit; et quamvis et eas emendationes, quas ego in Observ. crit. proposueram plerasque probandas censeret et *omnino* circiter quadringentis locis se emendaturum scripturam nunc vulgatam polliceretur (praef. p. IV), tamen neque in textu neque in apparatu critico vel suas vel meas vel aliorum denique post Brandisium et Bekkerum virorum emendationes significavit, sed omnes in commentarium relegavit. Parum apte hoc instituisse Schweglerum, ut emendationem textus ab ipso textu divelleret lectoresque cogeret, licet ipsa modo Aristotelis verba legere vellent, commentarium adire et ex commentario emendatiorem textum conquirere, facile potest intelligi *): itaque quum ipsa editionis meae ratio a Schwegleriana aliquantum discreparet et legentium usui magis accommodata videretur, non dubitavi eam etiam post Schweglerianam virorum doctorum iudicio subiicere. Quod quum constituissem et hoc quidem volumen iam operis excudendum tradidissem, tertium prodiit Schweglerianae editionis volumen, quo libros priores quinque *Α—Δ* illustravit. Quem commentarium diligenter, ut

*) Uberius quid de ea re et de universa editione iudicandum putarem exposui in N. Jen. Litz. 1847. No. 248—251.

par erat, perscrutatus, quum ad explicandas Aristotelis sententias multa et docte et acute disputata viderem, in textus tamen emendatione nihil inveni nisi quod vel occupatum esset in Observationibus criticis, vel scriptum excusumve in hoc meo apparatu, vel denique quod probare dubitarem.

Scribebam Stettini mense Decembri anni 1847.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ

ΤΑ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ.

A.

3 *Πάντες ἄνθρωποι τȣ͂ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ'* 980a 21
ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις· καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας
ἀγαπῶνται δι' αὑτάς, καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ἡ διὰ τῶν
ὀμμάτων. οὐ γὰρ μόνον ἵνα πράττωμεν, ἀλλὰ καὶ μηθὲν
μέλλοντες πράττειν τὸ ὁρᾶν αἱρȣ́μεθα ἀντὶ πάντων ὡς εἰπεῖν
τῶν ἄλλων. αἴτιον δ' ὅτι μάλιςα ποιεῖ γνωρίζειν τι ἡμᾶς
αὕτη τῶν αἰσθήσεων καὶ πολλὰς δηλοῖ διαφοράς. φύσει
μὲν οὖν αἴσθησιν ἔχοντα γίνεται τὰ ζῷα, ἐκ δὲ τῆς αἰσθή-
σεως τοῖς μὲν αὐτῶν ȣ̓κ ἐγγίγνεται μνήμη, τοῖς δ' ἐγγίγνε-
ται. καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα φρονιμώτερα καὶ μαθητικώτερα 980b 21
τῶν μὴ δυναμένων μνημονεύειν ἐςίν. φρόνιμα μὲν ἄνευ τȣ͂
μανθάνειν, ὅσα μὴ δύναται τῶν ψόφων ἀκούειν, οἷον μέ-
λιττα, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἄλλο γένος ζῴων ἐςίν· μανθάνει
δ' ὅσα πρὸς τῇ μνήμῃ καὶ ταύτην ἔχει τὴν αἴσθησιν. τὰ
μὲν οὖν ἄλλα ταῖς φαντασίαις ζῇ καὶ ταῖς μνήμαις, ἐμ-
πειρίας δὲ μετέχει μικρόν· τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ
τέχνῃ καὶ λογισμοῖς. γίγνεται δ' ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία
τοῖς ἀνθρώποις· αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τȣ͂ αὐτȣ͂ πράγμα-
τος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσιν. καὶ δοκεῖ σχεδὸν 981a
ἐπιςήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. ἀποβαίνει δ'

980a Tit. *A* EA^b, *α τὸ μεῖζον* plerique, *α μεῖζον* QT, *μεῖζον α* F, *α μέγα* E^b. | 23. *ἑαυτάς* $A^bH^aE^bFas$. | 25. *θέλοντες* H^aE^bF. | 26. *τι* om EA^bE^bF. | 28. *τῆς αἰσθήσεως*] *ταύτης* E^bD^bC. | 29. *δ' ἐγγίγνεται* A^bD^bi et rec E^b: ceteri *δὲ γίγνεται*.

980b 21. *ταῦτα φρονιμώτερα* A^bD^b Alex: ceteri et Ascl et schol A^b *τὰ μὲν φρόνιμα*. | *καὶ μαθητικώτερα* A^bD^b Alex, *τὰ δὲ μαθητικώτερα* E $B^bE^bF^b$ Ascl schol A^b: ceteri *τὰ δὲ μαθηματικώτερα*. | 22. *μὴ* om S. | *μὲν*] *μὲν οὖν* T. | 23. *δύναται* $A^bD^bE^b$: ceteri *δυνατά*. | 24. *κἂν* c. | 25. *ὅσα*] *ὃ* A^bD^b. | 27. *καὶ* om S.

981a 2. *ὅμοιον εἶναι ἐμπειρία* H^aF, *ὅμοιον εἶναι καὶ ἐμπειρία* A^bD^b, *καὶ ἐμπειρία ὅμοιον εἶναι* H^b.

ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις· ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ Πῶλος, ὀρθῶς λέγων, ἡ δ' ἀπειρία τύχην. γίνεται δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων μία καθόλου γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις. τὸ μὲν γὰρ ἔχειν ὑπόληψιν ὅτι Καλλίᾳ κάμνοντι τηνδὶ τὴν νόσον τοδὶ συνήνεγκε καὶ Σωκράτει καὶ καθ' ἕκαστον οὕτω πολλοῖς, ἐμπειρίας ἐστίν· τὸ δ' ὅτι πᾶσι τοῖς τοιοῖσδε κατ' εἶδος ἓν ἀφορισθεῖσι, κάμνουσι τηνδὶ τὴν νόσον, συνήνεγκεν, οἷον τοῖς φλεγματώδεσιν ἢ χολώδεσιν ἢ πυρέττουσι καύσῳ, τέχνης. πρὸς μὲν οὖν τὸ πράττειν ἐμπειρία τέχνης οὐδὲν δοκεῖ διαφέρειν, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπιτυγχάνοντας ὁρῶμεν τοὺς ἐμπείρους τῶν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. αἴτιον δ' ὅτι ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἕκαστόν ἐστι γνῶσις, ἡ δὲ τέχνη τῶν καθόλου, αἱ δὲ πράξεις καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθ' ἕκαστόν εἰσιν· οὐ γὰρ ἄνθρωπον ὑγιάζει ὁ ἰατρεύων, πλὴν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός, ἀλλὰ Καλλίαν ἢ Σωκράτην ἢ τῶν ἄλλων τινὰ τῶν οὕτω λεγομένων, ᾧ συμβέβηκε καὶ ἀνθρώπῳ εἶναι. ἐὰν οὖν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας ἔχῃ τις τὸν λόγον, καὶ τὸ καθόλου μὲν γνωρίζῃ, τὸ δ' ἐν τούτῳ καθ' ἕκαστον ἀγνοῇ, πολλάκις διαμαρτήσεται τῆς θεραπείας· θεραπευτὸν γὰρ τὸ καθ' ἕκαστον μᾶλλον. ἀλλ' ὅμως τό γε εἰδέναι καὶ τὸ ἐπαΐειν τῇ τέχνῃ τῆς ἐμπειρίας ὑπάρχειν οἰόμεθα μᾶλλον, καὶ σοφωτέρους τοὺς τεχνίτας τῶν ἐμπείρων ὑπολαμβάνομεν, ὡς κατὰ τὸ εἰδέναι μᾶλλον ἀκολουθοῦσαν τὴν σοφίαν πᾶσιν. τοῦτο δ', ὅτι οἱ μὲν τὴν αἰτίαν ἴσασιν, οἱ δ' οὔ. οἱ μὲν γὰρ

3. δι' ἐμπειρίας Q. | τοῖς ἀνθρώποις om A^b. | 4. ὀρθῶς λέγων om $A^b D^b$. | 5. ἡνίκα ἐκ πολλῶν νοημάτων τῆς ἐμπειρίας H^b. | 6. μία καθόλου $A^b D^b$: ceteri καθόλου μία, et H^b quidem haec verba post ὁμοίων ponit. | 8. νοσοῦντι H^b. | τήνδε $H^a F^b$. | τόδε $A^b D^b$. | 9. σωκράτη E^b, Σωκράτῃ as. | πολλῆς D^bas. | 10. δέ τι E^b. | εἶδος ἐναφορ. B^b. | 11. τήνδε Alex as. | οἷον — 12. καύσῳ om $A^b D^b$. | 12. πυρώδεσι T. | 13. δοκεῖ διαφέρειν] διήνεγκεν $A^b D^b F^b$c, om H^b. | 14. ἐπιτυγχάνουσιν οἱ ἔμπειροι $A^b D^b$c. | 16. ἕκαστά $H^a E^b$as. | 17. γεννήσεις S. | τὸ] τὰ schol A^b, fort. recte. | 18. πλὴν om $A^b D^b H^b$c. | 19. ἀλλὰ] ἀλλ' ἢ D^b. | σωκράτη E. | τινα τῶν ἄλλων T. | 20. τῶν ante οὕτω add EQT$A^b D^b$. | καὶ add $A^b D^b$ et rec E^b, cum ceteris et Alex omittendum videtur. | 21. ἔχοι H^a, ἔχει E^b. | τὸν om SH^b. | τὸ om Q. | καθόλου μὲν] μὲν καθόλου H^bb. | 22. γνωρίζει $H^a E^b$. | τούτῳ] αὐτῷ as. | 24. μᾶλλον om A^bc. | τὸ om H^b. | 26. ἐμπειρικῶν E. | 28. μὲν ante γὰρ om S.

ἔμπειροι τὸ ὅτι μὲν ἴσασι, διότι δ' ὐκ ἴσασιν· οἱ δὲ τὸ διότι καὶ τὴν αἰτίαν γνωρίζυσιν. διὸ καὶ τοὺς ἀρχιτέκτονας περὶ ἕκαςον τιμιωτέρυς καὶ μᾶλλον εἰδέναι νομίζομεν τῶν χειροτεχνῶν καὶ σοφωτέρους, ὅτι τὰς αἰτίας τῶν ποιουμένων 981b ἴσασιν, τὺς δ' ὥσπερ καὶ τῶν ἀψύχων ἔνια, ποιεῖν μέν, ὐκ εἰδότα δὲ ποιεῖν ἃ ποιεῖ, οἷον καίει τὸ πῦρ. τὰ μὲν οὖν ἄψυχα φύσει τινὶ ποιεῖν τύτων ἕκαςον, τὺς δὲ χειροτέχνας δι' ἔθος, ὡς οὐ κατὰ τὸ πρακτικὺς εἶναι σοφωτέρους ὄντας, ἀλλὰ κατὰ τὸ λόγον ἔχειν αὐτὺς καὶ τὰς αἰτίας γνωρίζειν. ὅλως τε σημεῖον τῦ εἰδότος τὸ δύνασθαι διδάσκειν ἐςί, καὶ διὰ τῦτο τὴν τέχνην τῆς ἐμπειρίας οἰόμεθα μᾶλλον ἐπιςήμην εἶναι· δύνανται γάρ, οἱ δὲ οὐ δύνανται διδάσκειν. ἔτι δὲ τῶν αἰσθήσεων ὐδεμίαν ἡγύμεθα εἶναι σοφίαν· καίτοι κυριώταταί γ' εἰσὶν αὗται τῶν καθ' ἕκαςα γνώσεις· ἀλλ' οὐ λέγουσι τὸ διὰ τί περὶ οὐδενός, οἷον διὰ τί θερμὸν τὸ πῦρ, ἀλλὰ μόνον ὅτι θερμόν. τὸ μὲν οὖν πρῶτον εἰκὸς τὸν ὁποιανοῦν εὑρόντα τέχνην παρὰ τὰς κοινὰς αἰσθήσεις θαυμάζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, μὴ μόνον διὰ τὸ χρήσιμον εἶναί τι τῶν εὑρεθέντων, ἀλλ' ὡς σοφὸν καὶ διαφέροντα τῶν ἄλλων. πλειόνων δ' εὑρισκομένων τεχνῶν, καὶ τῶν μὲν πρὸς τἀναγκαῖα τῶν δὲ πρὸς διαγωγὴν ὐσῶν, ἀεὶ σοφωτέρυς τοὺς τοιούτυς ἐκείνων ὑπολαμβάνομεν, διὰ τὸ μὴ πρὸς χρῆσιν εἶναι τὰς ἐπιστήμας αὐτῶν. ὅθεν ἤδη πάντων τῶν τοιούτων κατεσκευασμένων αἱ μὴ πρὸς ἡδονὴν μηδὲ πρὸς τἀναγκαῖα τῶν ἐπιςημῶν εὑρέθησαν, καὶ πρῶτον ἐν τύτοις τοῖς τόποις ὖπερ ἐσχόλασαν. διὸ περὶ Αἴγυπτον αἱ μαθηματικαὶ πρῶτον τέχναι συνέςησαν· ἐκεῖ γὰρ ἀφείθη σχο-

29. τὸ ante ὅτι om *E*. | 31. τιμιωτέρους μᾶλλον καὶ μ. *T*.

981*b* 1. ὅτι] ὅδε *S*. | 2. τοὺς ETH^aE^b et rc A^b (pr enim cum D^b haec τοὺς — 5. δι' ἔθος om), τῶ SB^b: ceteri οἱ. | 2. et 3. ποιεῖν $ETH^a A^bE^b$: ceteri et *c* ποιεῖ. | 3. εἰδότι pr *S*, εἰδὼς rc *S*. | ἃ ποιεῖ add $EQH^a E^b i$ et rc A^b. | 4. ποιεῖ *Ei*. | οἱ δὲ χειροτέχναι *i*. | 5. ἔθους $A^bB^b c$. | Cas. γρ. ὄντας τινάς. | 6. τὸ] τὸ τὸν $D^b c$, τὸ τινὰ H^b, τὸν SB^b. | αὐτοὺς ἔχειν $A^bD^b c$. | 7. τε] δὲ $A^b c$. | εἰδότος] εἰδότος καὶ μὴ εἰδότος *E*: ceteri (praeter QTA^bD^b) εἰδότος καί. | ἐστίν· καὶ διὰ τοῦτο] νομίζομεν· διὸ $A^bD^b c$. | 8. ἡγούμεθα $A^bD^b c$. | 12. λέγει H^aE^b. | 13. ἀλλὰ — θερμόν om A^b. | τὸ $A^bB^bF^b$ Ascl: ceteri et *cb* τόν. | 14. εὑρίσκοντα F^b. | παρὰ $EQTA^bF^bH^b i$ Ascl: ceteri περί. | 19. ἐκείνων τοὺς τοιούτους $H^a E^b$. | ὑπολαμβάνεσθαι $EH^a c$. | 21. αἱ] ὅσαι $A^b c$, αἳ SB^b. | 22. ἐν add $EQH^aA^bE^b i$. | 23. οὗπερ] οὐ πρῶτον A^b et rc E^b. | 24. τέχναι om $H^a E^b$. | ἀφείθη $ESTH^aA^bE^b$, ἐφείθη *a*: vulgo ἠφείθη.

λάζειν τὸ τῶν ἱερέων ἔθνος. εἴρηται μὲν ὖν ἐν τοῖς Ἠθικοῖς 6
τίς διαφορὰ τέχνης καὶ ἐπιςήμης καὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμο-
γενῶν· οὗ δ' ἕνεκα νῦν ποιέμεθα τὸν λόγον, τοῦτ' ἐςίν, ὅτι
τὴν ὀνομαζομένην σοφίαν περὶ τὰ πρῶτα αἴτια καὶ τὰς ἀρ-
χὰς ὑπολαμβάνεσι πάντες, ὥςε, καθάπερ εἴρηται πρότερον,
ὁ μὲν ἔμπειρος τῶν ὁποιανῦν ἐχόντων αἴσθησιν εἶναι δοκεῖ
σοφώτερος, ὁ δὲ τεχνίτης τῶν ἐμπείρων, χειροτέχνε δὲ ὁ ἀρ-
982a χιτέκτων, αἱ δὲ θεωρητικαὶ τῶν ποιητικῶν μᾶλλον. ὅτι μὲν
οὖν ἡ σοφία περί τινας αἰτίας καὶ ἀρχάς ἐστιν ἐπιστήμη,
δῆλον.

2 Ἐπεὶ δὲ ταύτην τὴν ἐπιστήμην ζητοῦμεν, τοῦτ' ἂν εἴη σκεπτέον, ἡ περὶ ποίας αἰτίας καὶ περὶ ποίας ἀρχὰς ἐπιςήμη σοφία ἐςίν. εἰ δὴ λάβοι τις τὰς ὑπολήψεις ἃς ἔχομεν περὶ τῦ σοφῦ, τάχ' ἂν ἐκ τύτε φανερὸν γένοιτο μᾶλλον. ὑπολαμβάνομεν δὴ πρῶτον μὲν ἐπίςασθαι πάντα τὸν σοφὸν ὡς ἐνδέχεται, μὴ καθ' ἕκαστον ἔχοντα ἐπιστήμην αὐτῶν· εἶτα τὸν τὰ χαλεπὰ γνῶναι δυνάμενον καὶ μὴ ῥᾴδια ἀνθρώπῳ γινώσκειν, τοῦτον σοφόν (τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι πάντων κοινόν, διὸ ῥᾴδιον, καὶ οὐδὲν σοφόν)· ἔτι τὸν ἀκριβέςερον καὶ τὸν διδασκαλικώτερον τῶν αἰτίων σοφώτερον εἶναι περὶ πᾶσαν ἐπιςήμην. καὶ τῶν ἐπιςημῶν δὲ τὴν αὐτῆς ἕνεκεν καὶ τοῦ εἰδέναι χάριν αἱρετὴν οὖσαν μᾶλλον εἶναι σοφίαν ἢ τὴν τῶν ἀποβαινόντων ἕνεκεν, καὶ τὴν ἀρχικωτέραν τῆς ὑπηρετούσης μᾶλλον εἶναι σοφίαν· οὐ γὰρ δεῖν ἐπιτάττεσθαι τὸν σοφὸν ἀλλ' ἐπιτάττειν, καὶ οὐ τῦτον ἑτέρῳ πείθεσθαι, ἀλλὰ τύτῳ τὸν ἧττον σοφόν. τὰς μὲν ὖν

26. τῶν post ἄλλων om H^a. | 27. οὗ δ'] ὧν οὖν F^b. | νῦν] καὶ νῦν $H^a E^b$, om F^b. | 29. ὥστε] διὸ A^b. | 30. ὁ μὲν $EQTA^b$: ceteri ὅτι ὁ μέν. | ὁποιαντινοῦν $ESTH^aB^bE^bc$. | 31. δὲ om S. | ὁ ἀρχιτέκτων A^b et rc E^b Alex c: ceteri et b ὁ om.

982a 1. οἱ δὲ θεωρητικοὶ i et Cas. γρ. | 2.ᵃ ἀρχὰς καὶ αἰτίας $SA^b H^bc$. | 4. δὲ] δὲ καὶ T. | 5. ἡ add $ETH^aA^bE^ba$. | ποίας αἰτίας καὶ ποίας ἀρχάς SE^b, ποίας ἀρχὰς καὶ ποίας αἰτίας H^a, ποίας ἀρχάς A^b. | 6. ἐστὶ σοφία A^b. | δὲ H^a. | τις] τίς τε S. | ἔχομεν $TA^bE^bF^bH^b$i Alex: ceteri εἴχομεν. | 7. τοὺς σοφοὺς A^b. | τούτων H^aE^b. | γένηται H^b. | 8. μὲν om $H^aB^bE^b$. | πάντα A^b Alex: ceteri μάλιστα πάντα. | 10. τὸν om H^a. | τὰ om A^b. | 11. τὸ — 12. σοφόν om TH^a et pr E^b. | 13. τὸν post καὶ om $H^aA^bF^b$. | σοφώτερον] *sapientem* i. | 15. ἑαυτῆς A^b. | μᾶλλον om H^a et pr E^b. | 17. εἶναι om A^bc. | 18. δεῖν] *decet* i. | τὸν om pr E. | οὐκ αὐτὸν A^b et rc E^bc. | 19. τίθεσθαι pr A^b.

ὑπολήψεις τοιαύτας καὶ τοσαύτας ἔχομεν περὶ τῆς σοφίας 7 καὶ τῶν σοφῶν. τούτων δὲ τὸ μὲν πάντα ἐπίστασθαι τῷ μάλιστα ἔχοντι τὴν καθόλου ἐπιστήμην ἀναγκαῖον ὑπάρχειν· οὗτος γὰρ οἶδέ πως πάντα τὰ ὑποκείμενα. σχεδὸν δὲ καὶ χαλεπώτατα ταῦτα γνωρίζειν τοῖς ἀνθρώποις, τὰ μάλιστα καθόλου· πορρωτάτω γὰρ τῶν αἰσθήσεών ἐστιν. ἀκριβέσταται δὲ τῶν ἐπιστημῶν αἳ μάλιστα τῶν πρώτων εἰσίν· αἱ γὰρ ἐξ ἐλαττόνων ἀκριβέστεραι τῶν ἐκ προσθέσεως λεγομένων, οἷον ἀριθμητικὴ γεωμετρίας. ἀλλὰ μὴν καὶ διδασκαλική γε ἡ τῶν αἰτιῶν θεωρητικὴ μᾶλλον· οὗτοι γὰρ διδάσκουσιν οἱ τὰς αἰτίας λέγοντες περὶ ἑκάστου. τὸ δ' εἰδέναι καὶ τὸ ἐπίστασθαι αὐτῶν ἕνεκα μάλισθ' ὑπάρχει τῇ τοῦ μάλιστα ἐπιστητοῦ ἐπιστήμῃ. ὁ γὰρ τὸ ἐπίστασθαι δι' ἑαυτὸ αἱρούμενος τὴν μάλιστα ἐπιστήμην μάλιστα αἱρήσεται, τοιαύτη δ' ἐστὶν ἡ τοῦ μάλιστα 982b ἐπιστητοῦ, μάλιστα δ' ἐπιστητὰ τὰ πρῶτα καὶ τὰ αἴτια· διὰ γὰρ ταῦτα καὶ ἐκ τούτων τἆλλα γνωρίζεται, ἀλλ' οὐ ταῦτα διὰ τῶν ὑποκειμένων. ἀρχικωτάτη δὲ τῶν ἐπιστημῶν, καὶ μᾶλλον ἀρχικὴ τῆς ὑπηρετούσης, ἡ γνωρίζουσα τίνος ἕνεκέν ἐστι πρακτέον ἕκαστον· τοῦτο δ' ἐστὶ τἀγαθὸν ἐν ἑκάστοις, ὅλως δὲ τὸ ἄριστον ἐν τῇ φύσει πάσῃ. ἐξ ἁπάντων οὖν τῶν εἰρημένων ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην πίπτει τὸ ζητούμενον ὄνομα· δεῖ γὰρ ταύτην τῶν πρώτων ἀρχῶν καὶ αἰτιῶν εἶναι θεωρητικήν· καὶ γὰρ τἀγαθὸν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἓν τῶν αἰτίων ἐστίν. ὅτι δ' οὐ ποιητική, δῆλον καὶ ἐκ τῶν πρώτων φιλοσοφησάντων. διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν ἀπόρων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν οὕτω προϊόντες

20. τοσαύτας καὶ τοιαύτας H^a, om καὶ τοσαύτας A^b. | τῆς om A^b. | 21. ἅπαντα A^bc, om F^b Alex et sch EA^b. | 22. καθόλου] κατὰ πάντων F^b. | 23. πως] πῶς ἔχει A^b sch A^bc. | ἅπαντα EH^aE^bc. | δὲ] γὰρ *T*. | 24. ταῦτα add $ETH^aA^bE^b$, cum iisdem ἐστὶ ante τὰ omisit *b*. | 25. *certiores i.* | 26. τε A^bF^b. | αἳ] αἱ *c*. | 27. ἐλαττόνων] ὀλίγων rc A^b, ἔλαττον οὐκ *a*. | προθέσεως codices *as*, προσθέσεως *icb*. | λαμβανομένων A^bcb: ceteri λεγομένων. | 30. ἑκάστου ESH^a. | τὸ δ'] τότε A^b. | 32. αὐτὸ A^b F^bc, ἑαυτοῦ *S*.

982*b* 1. μᾶλλον αἱρ. *T*. | 2. τὰ post καὶ om A^b. | 4. ἀρχικώτατα *a*. | 5. ἀρχὴ *as*. | ἕνεκά EB^bF^bc. | 6. ἐν ἑκάστοις A^b et rc E^b: ceteri ἑκάστου. | 7. δὲ om H^a. | 9. αὐτὴν A^bc. | 10. καὶ γὰρ καὶ τἀγ. SB^b. | ἓν fort. omittendum cum Alex. | 11. ποιητικήν H^a. | καὶ om TF^b*as*. | 14. ἀτόπων A^b et fort. Alex. | προϊέντες H^a.

καὶ περὶ τῶν μειζόνων διαπορήσαντες, οἷον περί τε τῶν τῆς 8
σελήνης παθημάτων καὶ τῶν περὶ τὸν ἥλιον καὶ ἄστρα καὶ
περὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως. ὁ δ' ἀπορῶν καὶ θαυμά-
ζων οἴεται ἀγνοεῖν. διὸ καὶ ὁ φιλόμυθος φιλόσοφός πώς
ἐστιν· ὁ γὰρ μῦθος σύγκειται ἐκ θαυμασίων. ὥστ' εἴπερ διὰ
τὸ φεύγειν τὴν ἄγνοιαν ἐφιλοσόφησαν, φανερὸν ὅτι διὰ τὸ
εἰδέναι τὸ ἐπίστασθαι ἐδίωκον, καὶ οὐ χρήσεώς τινος ἕνεκεν.
μαρτυρεῖ δὲ αὐτὸ τὸ συμβεβηκός· σχεδὸν γὰρ πάντων
ὑπαρχόντων τῶν ἀναγκαίων καὶ πρὸς ῥᾳστώνην καὶ διαγω-
γὴν ἡ τοιαύτη φρόνησις ἤρξατο ζητεῖσθαι. δῆλον οὖν ὡς δι'
οὐδεμίαν αὐτὴν ζητοῦμεν χρείαν ἑτέραν, ἀλλ' ὥσπερ ἄνθρω-
πός φαμεν ἐλεύθερος ὁ αὑτοῦ ἕνεκα καὶ μὴ ἄλλου ὤν, οὕτω
καὶ αὕτη μόνη ἐλευθέρα οὖσα τῶν ἐπιστημῶν· μόνη γὰρ
αὐτὴ αὑτῆς ἕνεκέν ἐστιν. διὸ καὶ δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνη
νομίζοιτο αὐτῆς ἡ κτῆσις· πολλαχῇ γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν
ἀνθρώπων ἐστίν, ὥστε κατὰ Σιμωνίδην θεὸς ἂν μόνος τοῦτο
ἔχοι τὸ γέρας, ἄνδρα δ' οὐκ ἄξιον μὴ οὐ ζητεῖν τὴν καθ' αὑτὸν
ἐπιστήμην. εἰ δὴ λέγουσί τι οἱ ποιηταὶ καὶ πέφυκε φθονεῖν
983a τὸ θεῖον, ἐπὶ τούτου συμβαίνειν μάλιστα εἰκὸς καὶ δυστυχεῖς
εἶναι πάντας τοὺς περιττούς. ἀλλ' οὔτε τὸ θεῖον φθονερὸν ἐν-
δέχεται εἶναι, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν πολλὰ ψεύ-
δονται ἀοιδοί, οὔτε τῆς τοιαύτης ἄλλην χρὴ νομίζειν τιμιω-
τέραν. ἡ γὰρ θειοτάτη καὶ τιμιωτάτη. τοιαύτη δὲ διχῶς
ἂν εἴη μόνον· ἥν τε γὰρ μάλιστ' ἂν ὁ θεὸς ἔχοι, θεία τῶν
ἐπιστημῶν ἐστί, κἂν εἴ τις τῶν θείων εἴη. μόνη δ' αὕτη τού-
των ἀμφοτέρων τετύχηκεν· ὅ τε γὰρ θεὸς δοκεῖ τῶν αἰτίων
πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις, καὶ τὴν τοιαύτην ἢ μόνος ἢ μά- 9

15. μειζόνων οὕτω διαπ. H^a, τῶν μειζόνων τινῶν δ. Alex. | τε et τῆς om H^a. | 16. ἄστρα] περὶ ἄστρων A^bcb: ceteri ἄστρα. sed vel scribendum videtur καὶ τὰ ἄστρα vel omittenda haec verba, quae non expl. Alex. | 18. ὁ φιλόμυθος φιλόσοφος A^b Alex: codices et Ascl et editiones φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος. | 22. δὲ] δὲ καὶ Tas. | 24. ὡς οὐ δι' S. | 26. ἑαυτοῦ A^b, αὐτοῦ a. | ὢν om Tas. | 27. καὶ αὕτη] αὕτη καὶ S. | αὐτὴ H^aas, ἐλευθέρα μόνη οὖσα H^a, αὐτὴν ὡς μόνην οὖσαν ἐλευθέραν A^b, αὐτὴν ὡς μόνην ἐλευθέραν οὖσαν c, ὡς fort. add Alex. | 28. αὕτη asc. | ἑαυτῆς A^b. | ἂν] μὴ E, om S $H^a$$E^b$. | 31. ἔχοι γέρας A^bb: ceteri ἔχοι τὸ γέρας. | μὴ] τὸ μὴ A, idem add οὐ. | 32. δὴ A^b: ceteri δὲ. | τι οἱ] πη E, τι om Ascl.

983a 1. τούτω H^a. | συμβαίνειν A^b: ceteri συμβῆναι. | 2. πάντων as. | ἐνδέχεται φθονερὸν F^b. | 3. ἀλλὰ om i. | καὶ add A^b. | πολλοὶ H^a. | 6. μόνη A^basc. | τε] τινα T. | ὁ om A^b. | ἔχει H^a. | 7. ἥτις E. | ἐστὶ A^b. | μόνον E^b. | αὐτὴ as. | 8. τὸ αἴτιον si. | 9. πάντων H^a.

λις' ἂν ἔχοι ὁ θεός. ἀναγκαιότεραι μὲν οὖν πᾶσαι αὐτῆς, ἀμείνων δ' οὐδεμία. δεῖ μέντοι πως καταστῆναι τὴν κτῆσιν αὐτῆς εἰς τοὐναντίον ἡμῖν τῶν ἐξ ἀρχῆς ζητήσεων. ἄρχονται μὲν γάρ, ὥσπερ εἴπομεν, ἀπὸ τοῦ θαυμάζειν πάντες εἰ οὕτως ἔχει, καθάπερ τῶν θαυμάτων ταὐτόματα τοῖς μήπω τεθεωρηκόσι τὴν αἰτίαν, ἢ περὶ τὰς τοῦ ἡλίου τροπὰς ἢ τὴν τῆς διαμέτρου ἀσυμμετρίαν· θαυμαστὸν γὰρ εἶναι δοκεῖ πᾶσιν, εἴ τι τῷ ἐλαχίστῳ μὴ μετρεῖται. δεῖ δὲ εἰς τοὐναντίον καὶ τὸ ἄμεινον κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποτελευτῆσαι, καθάπερ καὶ ἐν τούτοις ὅταν μάθωσιν· οὐθὲν γὰρ ἂν οὕτω θαυμάσειεν ἀνὴρ γεωμετρικὸς ὡς εἰ γένοιτο ἡ διάμετρος μετρητή. τίς μὲν οὖν ἡ φύσις τῆς ἐπιστήμης τῆς ζητουμένης, εἴρηται, καὶ τίς ὁ σκοπὸς οὗ δεῖ τυγχάνειν τὴν ζήτησιν καὶ τὴν ὅλην μέθοδον.

3 Ἐπεὶ δὲ φανερὸν ὅτι τῶν ἐξ ἀρχῆς αἰτίων δεῖ λαβεῖν ἐπιστήμην (τότε γὰρ εἰδέναι φαμὲν ἕκαστον, ὅταν τὴν πρώτην αἰτίαν οἰώμεθα γνωρίζειν), τὰ δ' αἴτια λέγεται τετραχῶς, ὧν μίαν μὲν αἰτίαν φαμὲν εἶναι τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι (ἀνάγεται γὰρ τὸ διὰ τί εἰς τὸν λόγον ἔσχατον, αἴτιον δὲ καὶ ἀρχὴ τὸ διὰ τί πρῶτον), ἑτέραν δὲ τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, τρίτην δὲ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ, τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν (τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης τοῦτ' ἐστίν)· τεθεώρηται μὲν οὖν ἱκανῶς περὶ αὐτῶν ἡμῖν ἐν τοῖς περὶ φύσεως, ὅμως δὲ παραλάβωμεν καὶ τοὺς πρότερον ἡμῶν εἰς 983*b* ἐπίσκεψιν τῶν ὄντων ἐλθόντας καὶ φιλοσοφήσαντας περὶ τῆς ἀληθείας. δῆλον γὰρ ὅτι κἀκεῖνοι λέγουσιν ἀρχάς τινας

κατὰ μέντοι τὸ ποιεῖν ἐξ ἀριθμῶν τὰ φυσικὰ σώματα, ἐκ μὴ ἐχόντων βάρος μηδὲ κουφότητα ἔχοντα κουφότητα καὶ βάρος, ἐοίκασι περὶ ἄλλου οὐρανοῦ λέγειν καὶ σωμάτων ἀλλ' οὐ τῶν αἰσθητῶν. οἱ δὲ χωριστὸν ποιοῦντες, ὅτι ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν οὐκ ἔσται τὰ ἀξιώματα, ἀληθῆ δὲ τὰ λεγόμενα καὶ σαίνει τὴν ψυχήν, εἶναί τε ὑπολαμβάνουσι καὶ χωριστὰ 1090b εἶναι· ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μεγέθη τὰ μαθηματικά. δῆλον οὖν ὅτι καὶ ὁ ἐναντιούμενος λόγος τἀναντία ἐρεῖ· καὶ ὃ ἄρτι ἠπορήθη λυτέον τοῖς οὕτω λέγουσι, διὰ τί οὐδαμῶς ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ὑπαρχόντων τὰ πάθη ὑπάρχει αὐτῶν ἐν τοῖς αἰσθητοῖς. εἰσὶ δέ τινες οἳ ἐκ τοῦ πέρατα εἶναι καὶ ἔσχατα τὴν στιγμὴν μὲν γραμμῆς, ταύτην δ' ἐπιπέδου, τοῦτο δὲ τοῦ στερεοῦ, οἴονται εἶναι ἀνάγκην τοιαύτας φύσεις εἶναι. δεῖ δὴ καὶ τοῦτον ὁρᾶν τὸν λόγον, μὴ λίαν ᾖ μαλακός. οὔτε γὰρ οὐσίαι εἰσὶ τὰ ἔσχατα ἀλλὰ μᾶλλον πάντα ταῦτα πέρατα, ἐπεὶ καὶ τῆς βαδίσεως καὶ ὅλως κινήσεώς ἐστί τι πέρας· τοῦτ' οὖν ἔσται τόδε τι καὶ οὐσία τις. ἀλλ' ἄτοπον. οὐ μὴν ἀλλὰ εἰ καὶ εἰσί, τῶνδε τῶν αἰσθητῶν ἔσονται πάντα· ἐπὶ τούτων γὰρ ὁ λόγος εἴρηκεν. διὰ τί οὖν χωριστὰ ἔσται; ἔτι δὲ ἐπιζητήσειεν ἄν τις μὴ λίαν εὐχερὴς ὢν περὶ μὲν τοῦ ἀριθμοῦ παντὸς καὶ τῶν μαθηματικῶν τὸ μηθὲν συμβάλλεσθαι ἀλλήλοις τὰ πρότερα τοῖς ὕστερον· μὴ ὄντος γὰρ τοῦ ἀριθμοῦ οὐθὲν ἧττον τὰ μεγέθη ἔσται τοῖς τὰ μαθηματικὰ μόνον εἶναι φαμένοις, καὶ τούτων μὴ ὄντων ἡ ψυχὴ καὶ τὰ σώματα τὰ αἰσθητά. οὐκ ἔοικε δ' ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὖσα ἐκ τῶν 299 φαινομένων, ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία. τοῖς δὲ τὰς ἰδέας τιθεμένοις τοῦτο μὲν ἐκφεύγει· ποιοῦσι γὰρ τὰ μεγέθη ἐκ τῆς ὕλης καὶ ἀριθμοῦ, ἐκ μὲν τῆς δυάδος τὰ μήκη, ἐκ τριάδος δ' ἴσως τὰ ἐπίπεδα, ἐκ δὲ τῆς τετράδος τὰ στερεὰ ἢ καὶ ἐξ ἄλλων ἀριθμῶν· διαφέρει γὰρ οὐθέν. ἀλλὰ ταῦτά γε πότερον ἰδέαι ἔσονται, ἢ τίς ὁ τρόπος αὐτῶν, καὶ τί συμ-

33. μηδὲ] οὐδὲ EG^{b}I^b. | 37. τι G^{b}I^b. | χωριστὰ] fort. χωριστόν.
1090b 1. τὰ μεγέθη om T. | τῶν μαθηματικῶν. καὶ δῆλον as. | 3. λέγεται TA^{b}G^{b}ias. | 5. εἶναι om F^b. | 6. τὴν μὲν στ. as. | μὲν om G^{b}I^b. | τοῦ om G^{b}I^b. | 7. ἀνάγκη Ta. | 9. ταῦτα πάντα TA^{b}as. | 10. τι om T. | 11. ἐστὶ ETias. | τόδε τι καὶ om G^b. | τι om as. | 12. τῶνδε — πάντα] *sensibilia sane omnia erunt* i. | 13. ἔσται] ἐστιν E Alex. | 14. ζητήσειεν T. | μὲν οὖν τοῦ TI^{b}as. | 16. ὑστέροις G^b. | 17. τὰ post τοῖς om T. | 18. τούτων] τῶν T. | 20. μοχθηρᾷ τραγῳδίᾳ a. | 22. 23. ἐκ τῆς τριάδος T. | 25. πρότερον I^b. | τίς om T. | τόπος as.

βάλλονται τοῖς οὖσιν; οὐθὲν γάρ, ὥσπερ οὐδὲ τὰ μαθηματικά, οὐδὲ ταῦτα συμβάλλεται. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὑπάρχει γε κατ' αὐτῶν οὐθὲν θεώρημα, ἐὰν μή τις βούληται κινεῖν τὰ μαθηματικὰ καὶ ποιεῖν ἰδίας τινὰς δόξας. ἔστι δ' οὐ χαλεπὸν ὁποιασοῦν ὑποθέσεις λαμβάνοντας μακροποιεῖν καὶ συνείρειν. οὗτοι μὲν οὖν ταύτῃ προσγλιχόμενοι ταῖς ἰδέαις τὰ μαθηματικὰ διαμαρτάνουσιν· οἱ δὲ πρῶτοι δύο τοὺς ἀριθμοὺς ποιήσαντες, τόν τε τῶν εἰδῶν καὶ τὸν μαθηματικὸν ἄλλον, οὐδαμῶς οὔτ' εἰρήκασιν οὔτ' ἔχοιεν ἂν εἰπεῖν πῶς καὶ ἐκ τίνος ἔσται ὁ μαθηματικός. ποιοῦσι γὰρ αὐτὸν μεταξὺ τοῦ εἰδητικοῦ καὶ τοῦ αἰσθητοῦ. εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ, ὁ αὐτὸς ἐκείνῳ ἔσται τῷ τῶν ἰδεῶν, ἐξ ἄλλου δέ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου· τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ. εἰ δ' ἕτερόν τι ἐρεῖ, 1091a *πλείω τὰ στοιχεῖα ἐρεῖ· καὶ εἰ ἕν τι ἑκατέρου ἡ ἀρχή, κοινόν τι ἐπὶ τούτων ἔσται τὸ ἕν. ζητητέον τε πῶς καὶ ταῦτα πολλὰ τὸ ἕν, καὶ ἅμα τὸν ἀριθμὸν γενέσθαι ἄλλως ἢ ἐξ ἑνὸς καὶ δυάδος ἀορίστου ἀδύνατον κατ' ἐκεῖνον. πάντα δὴ ταῦτα ἄλογα, καὶ μάχεται καὶ αὐτὰ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς εὐλόγοις, καὶ ἔοικεν ἐν αὐτοῖς εἶναι ὁ Σιμωνίδου μακρὸς*
300 *λόγος· γίγνεται γὰρ ὁ μακρὸς λόγος ὥσπερ ὁ τῶν δούλων, ὅταν μηθὲν ὑγιὲς λέγωσιν. φαίνεται δὲ καὶ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν βοᾶν ὡς ἑλκόμενα· οὐ δύναται γὰρ οὐδαμῶς γεννῆσαι τὸν ἀριθμὸν ἀλλ' ἢ τὸν ἀφ' ἑνὸς διπλασιαζόμενον. ἄτοπον δὲ καὶ γένεσιν ποιεῖν ἀϊδίων ὄντων, μᾶλλον δ' ἕν τι τῶν ἀδυνάτων. οἱ μὲν οὖν Πυθαγόρειοι πότερον οὐ ποιοῦσιν ἢ ποιοῦσι γένεσιν οὐθὲν δεῖ διστάζειν· φανερῶς γὰρ λέγουσιν ὡς τοῦ ἑνὸς συσταθέντος, εἴτ' ἐξ ἐπι-*

26. οὐδὲ om G^b. | 27. 28. κατ' αὐτῶν] τούτων *Eas*. | 30. μακρὸν ποιεῖν *E*. | 31. προσγλισχόμενοι *a*. | 33. ἰδεῶν *E*. | τῶν G^bI^b. | μαθηματικῶν $A^bG^bI^b$. | comma non cum *scb* post μαθηματικὸν, sed post ἄλλον ponendum docuit Zeller plat. Stud. p. 239, 1. | 33. 34. ἄλλον οὐδαμῶς om A^b, ἄλλον om *i*, οὐδαμῶς om *E*. | 35. μαθηματικὸς κατ' ἐκεῖνον. ποιοῦσι *T*. | εἰδικοῦ A^b*as*. | 36. ὁ — 37. μικροῦ om *T*. | 36. καὶ τοῦ μικροῦ *as*. | 37. ἐκεῖνος G^bI^b. | εἰδῶν G^bI^b.

1091*a* 1. distinctio post μεγάλου et particula γὰρ videntur omittendae cum Alex et *i*. | 2. ἐρεῖ om G^b. | ἑκατέρα *T*. | 3. τε] *at i*, om *as*. | 4. τὸ] τὰ A^bI^b, καὶ G^b. | γίνεσθαι *as*. | 5. 6. ταῦτα δὴ πάντα Alex. | 6. καὶ ante αὐτὰ om Alex. | 8. γίγνεται — λόγος om TG^b. | 9. αὐτῷ G^b. | 11. ἢ G^b. | 12. διπλασιαζόμενος G^bI^b. | γένεσιν] τὸ γένεσιν F^b, fort. recte. | 13. οἱ] εἰ *a*. | 14. πότερον ποιοῦσιν ἢ οὐ ποιοῦσι I^b. | τὴν γένεσιν G^bI^b. | 15. λέγουσί τινες ὡς I^b.

πέδων εἴτ' ἐκ χροιᾶς εἴτ' ἐκ σπέρματος εἴτ' ἐξ ὧν ἀποροῦσιν εἰπεῖν, εὐθὺς τὸ ἔγγιστα τοῦ ἀπείρου ὅτι εἵλκετο καὶ ἐπεραίνετο ὑπὸ τοῦ πέρατος. ἀλλ' ἐπειδὴ κοσμοποιοῦσι καὶ φυσικῶς βούλονται λέγειν, δίκαιον αὐτοὺς ἐξετάζειν τι περὶ φύσεως, ἐκ δὲ τῆς νῦν ἀφεῖναι μεθόδου· τὰς γὰρ ἐν τοῖς ἀκινήτοις ζητοῦμεν ἀρχάς, ὥστε καὶ τῶν ἀριθμῶν τῶν τοιούτων ἐπισκεπτέον τὴν γένεσιν.

4 Τοῦ μὲν οὖν περιττοῦ γένεσιν οὔ φασιν, ὡς δῆλον ὅτι τοῦ ἀρτίου οὔσης γενέσεως· τὸν δ' ἄρτιον πρῶτον ἐξ ἀνίσων τινὲς κατασκευάζουσι τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ ἰσασθέντων. ἀνάγκη οὖν πρότερον ὑπάρχειν τὴν ἀνισότητα αὐτοῖς τοῦ ἰσασθῆναι. εἰ δ' ἀεὶ ἦσαν ἰσασμένα, οὐκ ἂν ἦσαν ἄνισα πρότερον· τοῦ γὰρ ἀεὶ οὐκ ἔστι πρότερον οὐθέν. ὥστε φανερὸν ὅτι οὐ τοῦ θεωρῆσαι ἕνεκεν ποιοῦσι τὴν γένεσιν τῶν ἀριθμῶν. ἔχει δ' ἀπορίαν καὶ εὐπορήσαντι ἐπιτίμησιν, πῶς ἔχει πρὸς τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν τὰ στοιχεῖα καὶ αἱ ἀρχαί, ἀπορίαν μὲν ταύτην πότερόν ἐστί τι ἐκείνων οἷον βουλόμεθα λέγειν αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, ἢ οὔ, ἀλλ' ὑστερογενῆ. παρὰ μὲν γὰρ τῶν θεολόγων ἔοικεν ὁμολογεῖσθαι τῶν νῦν τισίν, οἳ οὔ φασιν, ἀλλὰ προελθούσης τῆς τῶν ὄντων φύσεως καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἐμφαίνεσθαι. τοῦτο δὲ ποιοῦσιν εὐλα- 301
βούμενοι ἀληθινὴν δυσχέρειαν, ἣ συμβαίνει τοῖς λέγουσιν,
1091b ὥσπερ ἔνιοι, τὸ ἓν ἀρχήν. ἔστι δ' ἡ δυσχέρεια οὐ διὰ τὸ τῇ ἀρχῇ τὸ εὖ ἀποδιδόναι ὡς ὑπάρχον, ἀλλὰ διὰ τὸ τὸ ἓν ἀρχὴν καὶ ἀρχὴν ὡς στοιχεῖον καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός. οἱ δὲ ποιηταὶ οἱ ἀρχαῖοι ταύτῃ ὁμοίως, ᾗ βασιλεύειν καὶ ἄρχειν φασὶν οὐ τοὺς πρώτους, οἷον νύκτα καὶ οὐρανὸν ἢ χάος ἢ ὠκεανόν, ἀλλὰ τὸν Δία. οὐ μὴν ἀλλὰ τούτοις μὲν διὰ τὸ μεταβάλλειν τοὺς ἄρχοντας τῶν ὄντων συμβαίνει τοιαῦτα λέγειν, ἐπεὶ οἵ γε μεμιγμένοι αὐτῶν καὶ τῷ μὴ μυθικῶς ἅπαντα λέγειν, οἷον Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες, τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι, καὶ οἱ Μάγοι, καὶ τῶν

19. δίκαιον om G^b et rc I^b. | τι] τὰ rc I^b, τοὺς Alex. | 23. φασιν εἶναι ὡς G^bI^b. | 24. οὐσία T. | πρῶτον et 26. πρότερον om G^b et rc I^b. | 28. οὐ om G^b. | 30. ἐπιστήμησιν E. | πρὸς] κατὰ G^bI^b. | 33. ἀόριστον G^bI^b. | 34. γὰρ om as. | εἰ T.

1091b 1. τῇ] ἐν G^b. | 2. εὖ] ἓν ETG^b. | 4. ᾗ] οἳ $F^bG^bI^b$. | βασιλεῦον E. | 5. οὐ om F^b. | 6. post ἢ add καὶ ias. | τὸν om G^b. | 7. τῶν ὄντων om as. | 8. γε om T. | καὶ fort. omittendum. | 8. 9. τῷ μὴ] τῶν G^b, τὸ μὴ as. | 9. ἅπαντα] πάντα EG^bI^b, ταῦτα as.

ὑςέρων δὲ σοφῶν, οἷον Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγόρας,
ὁ μὲν τὴν φιλίαν στοιχεῖον, ὁ δὲ τὸν νοῦν ἀρχὴν ποιήσας.
τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν
αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι· ὀυσίαν μέντοι τὸ ἓν αὐτȣ̃
ᾤοντο εἶναι μάλιςα. ἡ μὲν οὖν ἀπορία αὕτη, ποτέρως δεῖ
λέγειν. θαυμαςὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐταρ-
κεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον οὐχ ὡς ἀγαθὸν ὑπάρχει τὸ
αὔταρκες καὶ ἡ σωτηρία. ἀλλὰ μὴν ȣ̓ δι' ἄλλο τι ἄφθαρ-
τον ἢ διότι εὖ ἔχει, ȣ̓δ' αὔταρκες. ὥςε τὸ μὲν φάναι τὴν
ἀρχὴν τοιαύτην εἶναι εὔλογον ἀληθὲς εἶναι. τὸ μέντοι ταύ-
την εἶναι τὸ ἕν, ἢ εἰ μὴ τοῦτο, στοιχεῖόν τε καὶ στοιχεῖον
ἀριθμῶν, ἀδύνατον· συμβαίνει γὰρ πολλὴ δυσχέρεια, ἣν
ἔνιοι φεύγοντες ἀπειρήκασιν, οἱ τὸ ἓν μὲν ὁμολογȣ̃ντες ἀρ-
χὴν εἶναι πρώτην καὶ ςοιχεῖον, τȣ̃ ἀριθμȣ̃ δὲ τȣ̃ μαθημα-
τικοῦ. ἅπασαι γὰρ αἱ μονάδες γίγνονται ὅπερ ἀγαθόν τι,
102 καὶ πολλή τις εὐπορία ἀγαθῶν. ἔτι εἰ τὰ εἴδη ἀριθμοί, τὰ
εἴδη πάντα ὅπερ ἀγαθόν. ἀλλὰ μὴν ὅτȣ βȣ́λεται τιθέτω
τις εἶναι ἰδέας· εἰ μὲν γὰρ τῶν ἀγαθῶν μόνον, ȣ̓κ ἔσονται
οὐσίαι αἱ ἰδέαι· εἰ δὲ καὶ τῶν ȣ̓σιῶν, πάντα τὰ ζῷα καὶ
τὰ φυτὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ μετέχοντα. ταῦτά τε δὴ συμβαί-
νει ἄτοπα, καὶ τὸ ἐναντίον ςοιχεῖον, εἴτε πλῆθος ὂν εἴτε τὸ
ἄνισον καὶ μέγα καὶ μικρόν, τὸ κακὸν αὐτό. διόπερ ὁ μὲν
ἔφευγε τὸ ἀγαθὸν προσάπτειν τῷ ἑνὶ ὡς ἀναγκαῖον ὄν, ἐπει-
δὴ ἐξ ἐναντίων ἡ γένεσις, τὸ κακὸν τὴν τȣ̃ πλήθους φύσιν
εἶναι· οἱ δὲ λέγουσι τὸ ἄνισον τὴν τȣ̃ κακοῦ φύσιν. συμ-
βαίνει δὴ πάντα τὰ ὄντα μετέχειν τȣ̃ κακȣ̃ ἔξω ἑνὸς αὐτȣ̃
τȣ̃ ἑνός, καὶ μᾶλλον ἀκράτου μετέχειν τȣ̀ς ἀριθμοὺς ἢ τὰ
μεγέθη, καὶ τὸ κακὸν τοῦ ἀγαθοῦ χώραν εἶναι, καὶ μετέ- 1092a
χειν καὶ ὀρέγεσθαι τοῦ φθαρτικοῦ· φθαρτικὸν γὰρ τοῦ
ἐναντίου τὸ ἐναντίον. καὶ εἰ ὥσπερ ἐλέγομεν ὅτι ἡ ὕλη

11. ὕστερον *E*, ἑτέρων G^b. | 12. τὴν om G^b. | 13. εἶναι om *T* Alex ias. | οἱ μὲν κτλ.] Zeller Plat. Stud. p. 277 alterum enunciati membrum, quod a verbis οἱ δὲ ordiatur, addi iubet. | 21. εἶναι om *T*. | 21. 22. γε καὶ στοιχείων ἀριθμόν $G^b I^b$. | 23. μὲν om G^b. | 26. ἀπορία *Tas*. | εἰ om A^b. | 28. μόνων $G^b I^b$. | 29. αἱ οὐσίαι ἰδέαι *as*. | οὐσίαι om G^b et rc I^b. | αἱ om *T*. | 30. τε om G^b. | 31. ἄτοπα] πάντα F^b. | 32. καὶ μέγα] εἴτε μέγα G^b et rc I^b. | 33. ἀναγκαῖον] ἐναντίον *as*. | ὡς ἀναγκαῖον ὂν om G^b. | ἐπειδὴ — 35. εἶναι om $G^b I^b$. | 33. 34. ἐπειδὴ] ἐπεὶ δ' c. | 35. εἶναι — φύσιν om *T*.

1092a 1. εἶναι] ὂν *T*. | 2. 3. τὸ ἐναντίον τοῦ ἐναντίου G^b. | 3. ὅτι om *T*.

ἐστὶ τὸ δυνάμει ἕκαστον, οἷον πυρὸς τοῦ ἐνεργείᾳ τὸ δυνάμει πῦρ, τὸ κακὸν ἔςαι αὐτὸ τὸ δυνάμει ἀγαθόν. ταῦτα δὴ πάντα συμβαίνει, τὸ μὲν ὅτι ἀρχὴν πᾶσαν στοιχεῖον ποιοῦσι, τὸ δ' ὅτι τἀναντία ἀρχάς, τὸ δ' ὅτι τὸ ἓν ἀρχήν, τὸ δ' ὅτι τοὺς ἀριθμοὺς τὰς πρώτας οὐσίας καὶ χωριςὰς καὶ εἴδη.

5 *Εἰ οὖν καὶ τὸ μὴ τιθέναι τὸ ἀγαθὸν ἐν ταῖς ἀρχαῖς καὶ τὸ τιθέναι οὕτως ἀδύνατον, δῆλον ὅτι αἱ ἀρχαὶ οὐκ ὀρθῶς ἀποδίδονται οὐδὲ αἱ πρῶται οὐσίαι. οὐκ ὀρθῶς δ' ὑπολαμβάνει οὐδ' εἴ τις παρεικάζει τὰς τοῦ ὅλου ἀρχὰς τῇ τῶν ζῴων καὶ φυτῶν, ὅτι ἐξ ἀορίςων ἀτελῶν δὲ ἀεὶ τὰ τελειότερα, διὸ καὶ ἐπὶ τῶν πρώτων οὕτως ἔχειν φησίν, ὥςε μηδὲ ὄν τι εἶναι τὸ ἓν αὐτό. εἰσὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα τέλειαι αἱ ἀρχαὶ ἐξ ὧν ταῦτα· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ* 303 *οὐκ ἔςι τὸ σπέρμα πρῶτον. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ τόπον ἅμα τοῖς ςερεοῖς [καὶ] τοῖς μαθηματικοῖς ποιῆσαι (ὁ μὲν γὰρ τόπος τῶν καθ' ἕκαςον ἴδιος, διὸ χωριςὰ τόπῳ, τὰ δὲ μαθηματικὰ οὐ πȣ̃), καὶ τὸ εἰπεῖν μὲν ὅτι ποῦ ἔςαι, τί δέ ἐςιν ὁ τόπος, μή. ἔδει δὲ τοὺς λέγοντας ἐκ ςοιχείων εἶναι τὰ ὄντα καὶ τῶν ὄντων τὰ πρῶτα τοὺς ἀριθμούς, διελομένους πῶς ἄλλο ἐξ ἄλλου ἐςίν, οὕτω λέγειν τίνα τρόπον ὁ ἀριθμός ἐστιν ἐκ τῶν ἀρχῶν. πότερον μίξει; ἀλλ' οὔτε πᾶν μικτόν, τό τε γιγνόμενον ἕτερον, οὐκ ἔσται τε χωριστὸν τὸ ἓν οὐδ' ἑτέρα φύσις, οἱ δὲ βȣ́λονται. ἀλλὰ συνθέσει, ὥσπερ συλλαβήν; ἀλλὰ θέσιν τε ἀνάγκη ὑπάρχειν, καὶ χωρὶς ὁ νοῶν νοήσει τὸ ἓν καὶ τὸ πλῆθος. τοῦτ' οὖν ἔςαι ὁ ἀριθμός, μονὰς καὶ πλῆθος, ἢ τὸ ἓν καὶ ἄνισον. καὶ ἐπεὶ τὸ ἔκ τινων εἶναι ἔςι μὲν ὡς ἐνυπαρχόντων ἔςι δὲ ὡς οὔ, ποτέρως ὁ ἀριθμός; οὕτως γὰρ ὡς ἐνυπαρχόντων οὐκ ἔστιν ἀλλ' ἢ ὧν γένεσίς ἐςιν. ἀλλ' ὡς ἀπὸ σπέρματος; ἀλλ' οὐχ οἷόν τε τοῦ ἀδιαιρέτου τι ἀπελθεῖν. ἀλλ' ὡς ἐκ τοῦ ἐναντίȣ μὴ ὑπομένοντος; ἀλλ' ὅσα οὕτως ἐςί, καὶ ἐξ ἄλλȣ τινός ἐςιν*

8. *χωριστὰ* I^b. | 9. *μὴ μετιέναι* G^b. | 11. *αἱ* om *E*. | *δ'* om G^b. | 11. 12. *ὑπολαμβάνει οὐδ'* om F^b. | 12. *τῇ*] *τι* *E*. | 13. *ἀτελῶν* om *as*. | 14. *φασίν* *iasc* et fort. Alex, videtur praeferendum. | 15. *γὰρ*] *δὲ* *as*. | *αἱ* om *T*. | 16. *ταῦτα αὐτά· ἄνθρωπος* I^b. | *ἄνθρωπον* om G^b. | 17. *καὶ τὸν τόπον* *E*. | 18. *καὶ* om TA^b Alex *ias* et fort. Syr. | 19. *ἕκαστα ὧν ἀΐδιος* *T*. | 20. *τί*] *τὸ* *T*. | 21. post *μὴ* add *ἄτοπον* *is*. | 25. *οὐκ ἔσται τε*] *οὐκ ἔσται, οὔτε* *c*, *τε* om *as*. | 26. *οἱ δὲ*] *οὐδὲ* *ias*. | 27. *τε* om *E*. | 28. *ἔσται οὖν* A^b*asc*. | *ὁ* om *Tas*. | 33. *ἀδιαίρετον* TA^b*as*. | *τι* post *τε* Alex. | 34. *ἔστιν* om I^b.

ὑπομένοντος. ἐπεὶ τοίνυν τὸ ἓν ὁ μὲν τῷ πλήθει ὡς ἐναντίον
τίθησιν, ὁ δὲ τῷ ἀνίσῳ, ὡς ἴσῳ τῷ ἑνὶ χρώμενος, ὡς ἐξ 1092b
ἐναντίων εἴη ἂν ὁ ἀριθμός. ἔςιν ἄρα τι ἕτερον ἐξ οὗ ὑπο-
μένοντος καὶ θατέρε ἐςὶν ἢ γέγονεν. ἔτι τί δή ποτε τὰ μὲν
ἄλλ' ὅσα ἐξ ἐναντίων ἢ οἷς ἐςὶν ἐναντία φθείρεται, κἂν ἐκ
παντὸς ᾖ, ὁ δὲ ἀριθμὸς οὔ; περὶ τούτε γὰρ οὐθὲν λέγεται.
καίτοι καὶ ἐνυπάρχον καὶ μὴ ἐνυπάρχον φθείρει τὸ ἐναντίον,
304 οἷον τὸ νεῖκος τὸ μῖγμα. καίτοι γε οὐκ ἔδει· οὐ γὰρ ἐκείνῳ
γε ἐναντίον. οὐθὲν δὲ διώρισται οὐδὲ ὁποτέρως οἱ ἀριθμοὶ
αἴτιοι τῶν οὐσιῶν καὶ τοῦ εἶναι, πότερον ὡς ὅροι, οἷον αἱ
ςιγμαὶ τῶν μεγεθῶν, καὶ ὡς Εὔρυτος ἔταττε τίς ἀριθμὸς
τίνος, οἷον ὁδὶ μὲν ἀνθρώπου, ὁδὶ δὲ ἵππου, ὥσπερ οἱ τοὺς
ἀριθμὲς ἄγοντες εἰς τὰ σχήματα τρίγωνον καὶ τετράγωνον,
οὕτως ἀφομοιῶν τοῖς ψήφοις τὰς μορφὰς τῶν φυτῶν· ἢ
ὅτι [ὁ] λόγος ἡ συμφωνία ἀριθμῶν, ὁμοίως δὲ καὶ ἄνθρωπος
καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον; τὰ δὲ δὴ πάθη πῶς ἀριθμοί, τὸ
λευκὸν καὶ γλυκὺ καὶ τὸ θερμόν; ὅτι δὲ οὐχ οἱ ἀριθμοὶ
οὐσίαι ἐδὲ τῆς μορφῆς αἴτιοι, δῆλον· ὁ γὰρ λόγος ἡ ἐσία,
ὁ δ' ἀριθμὸς ὕλη. οἷον σαρκὸς ἢ ὀστοῦ ἀριθμὸς ἡ οὐσία
οὕτω· τρία πυρός, γῆς δὲ δύο· καὶ ἀεὶ ὁ ἀριθμὸς ὃς ἂν ᾖ
τινῶν ἐςίν, ἢ πύρινος ἢ γήϊνος ἢ μοναδικός. ἀλλ' ἡ οὐσία
τὸ τοσόνδ' εἶναι πρὸς τοσόνδε κατὰ τὴν μῖξιν· τὸτο δ' ἐκέτι
ἀριθμὸς ἀλλὰ λόγος μίξεως ἀριθμῶν σωματικῶν ἢ ὁποιων-
οῦν. οὔτε οὖν τῷ ποιῆσαι αἴτιος ὁ ἀριθμός, οὔτε ὅλως ὁ
ἀριθμὸς οὔτε ὁ μοναδικός, οὔτε ὕλη οὔτε λόγος καὶ εἶδος
τῶν πραγμάτων. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὡς τὸ οὗ ἕνεκα.

6 Ἀπορήσειε δ' ἄν τις καὶ τί τὸ εὖ ἐστὶ τὸ ἀπὸ τῶν

1092*b* 2. ἐναντίου $G^b I^b$. | ἂν εἴη *as*. | ἔστιν] fort. ἔσται. | 4. οἷοις *T*. | ἐναντία] ὑπάρχον G^b. | κἂν — 6. φθείρει om G^b. | 6. καὶ μὴ ἐνυπάρχον om *E*. | φθείρεται I^b. | 7. καίτοι γε $T A^b G^b I^b$ Alex, καίτοι *ascb*. | ἐκείνῳ $A^b G^b I^b$ Alex *i*, ἐκεῖνο *ascb*. | 9. αἴτιον I^b. | πρότερον I^b. | ὅρος *E*, σωροί *T*, οἱ ὅροι $G^b I^b$. | οἷνος *T*. | αἱ om $T A^b$*as*. | 10. μεγεθῶν] γραμμῶν fort. Alex Syr. | 10. 11. τις ἀριθμός τινος *asc*. | 13. ἀφ' ὁμοίων I^b. | ἀφομοιοῦνται ψ. *as*, ἀφομοιοῦν ταῖς ψ. *c*. | ἀφορμὰς *as*. | 14. ὁ omittendum esse docui Obs. p. 26 sqq. | ἡ scripsi cum Alex, ἢ *ascb*, *et i*. | ἀρ.] τῶν ἀρ. Alex. | καὶ] καὶ ὡς *T*, καὶ ὁ G^b. | 15. καὶ om G^b. | 16. τὸ om *Tas*. | 17. ουσία *ET*. | ἡ om *Tas*. | 18. ἡ] ἡ δ' *ET*, ἢ *as*, om Alex. | 18. 19. post οὐσία puncto, post οὕτω non dist *cb*, cf. Alex p. 806, 35. | 19. ὅς] ὡς *T*. | 21. πρὸς τὸ τοσόνδε *Tas*. | οὐκ ἔστιν $E G^b$*as*, *hoc sane non est i*. | 22. μίξεων $G^b I^b$. | ἢ om *T*. | 23. τοῦ *T* Alex. | 23. 24. οὔτε ὅλως ὁ ἀριθμὸς om *T*, ὁ om A^b*as*. | 24. ὁ] εἰ *T*.

ἀριθμῶν τῷ ἐν ἀριθμῷ εἶναι τὴν μῖξιν, ἢ ἐν εὐλογίστῳ ἢ ἐν περιττῷ. νυνὶ γὰρ οὐθὲν ὑγιεινότερον τρὶς τρία ἂν ᾖ τὸ μελίκρατον κεκραμένον, ἀλλὰ μᾶλλον ὠφελήσειεν ἂν ἐν οὐθενὶ λόγῳ ὂν ὑδαρὲς δὲ ἢ ἐν ἀριθμῷ ἄκρατον ὄν. ἔτι οἱ λόγοι ἐν προσθέσει ἀριθμῶν εἰσὶν οἱ τῶν μίξεων, οὐκ ἐν ἀριθμοῖς, οἷον τρία πρὸς δύο, ἀλλ' οὐ τρὶς δύο. τὸ γὰρ αὐτὸ δεῖ γένος εἶναι ἐν ταῖς πολλαπλασιώσεσιν. ὥστε δεῖ 305 μετρεῖσθαι τῷ τε Α τὸν ϛοῖχον ἐφ' ȣ̃ ΑΒΓ καὶ τῷ Δ τὸν ΔΕΖ· ὥϛε τῷ αὐτῷ πάντα. οὐκοῦν ἔϛαι πυρὸς ΒΕΓΖ,
1093a καὶ ὕδατος ἀριθμὸς δὶς τρία. εἰ δ' ἀνάγκη πάντα ἀριθμȣ̃ κοινωνεῖν, ἀνάγκη πολλὰ συμβαίνειν τὰ αὐτά, καὶ ἀριθμὸν τὸν αὐτὸν τῷδε καὶ ἄλλῳ. ἆρ' οὖν τοῦτ' αἴτιον καὶ διὰ τοῦτό ἐϛι τὸ πρᾶγμα, ἢ ἄδηλον; οἷον ἔϛι τις τῶν τοῦ ἡλίȣ φορῶν ἀριθμός, καὶ πάλιν τῶν τῆς σελήνης, καὶ τῶν ζῴων γε ἑκάϛȣ τοῦ βίȣ καὶ ἡλικίας· τί οὖν κωλύει ἐνίȣς μὲν τȣ́των τετραγώνους εἶναι ἐνίους δὲ κύβους, καὶ ἴσους τοὺς δὲ διπλασίȣς; οὐθὲν γὰρ κωλύει, ἀλλ' ἀνάγκη ἐν τούτοις στρέφεσθαι, εἰ ἀριθμοῦ πάντα ἐκοινώνει, ἐνεδέχετό τε τὰ διαφέροντα ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν πίπτειν. ὥϛ' εἴ τισιν ὁ αὐτὸς ἀριθμὸς συμβεβήκει, ταὐτὰ ἂν ἦν ἀλλήλοις ἐκεῖνα τὸ αὐτὸ εἶδος ἀριθμοῦ ἔχοντα, οἷον ἥλιος καὶ σελήνη τὰ αὐτά. ἀλλὰ διὰ τί αἴτια ταῦτα; ἑπτὰ μὲν φωνήεντα, ἑπτὰ δὲ χορδαὶ ἢ ἁρμονίαι, ἑπτὰ δὲ αἱ πλειάδες, ἐν ἑπτὰ δὲ ὀδόντας βάλλει, ἔνιά γε, ἔνια δ' οὔ· ἑπτὰ δὲ οἱ ἐπὶ Θήβας. ἆρ' οὖν ὅτι τοιοσδὶ ὁ ἀριθμὸς πέφυκεν, διὰ τοῦτο ἢ ἐκεῖνοι ἐγένοντο ἑπτὰ ἢ ἡ πλειὰς ἑπτὰ ἀϛέρων ἐϛίν; ἢ οἱ μὲν διὰ τὰς πύλας ἢ ἄλλην τινὰ αἰτίαν, τὴν δὲ ἡμεῖς οὕτως ἀριθμοῦμεν, τὴν δὲ ἄρκτον γε δώδεκα, οἱ δὲ πλείȣς. ἐπεὶ καὶ τὸ ΞΨΖ συμφωνίας φασὶν εἶναι, καὶ ὅτι ἐκεῖναι τρεῖς, καὶ ταῦτα τρία. ὅτι δὲ μυρία ἂν εἴη τοιαῦτα, οὐθὲν

27. τῷ scripsi cum Alex, τὸ *ascb*. | εὐλογίστῳ ἡ *E*. | 29. ἂν om *T*. | ἐν om *as*. | 30. δὲ om G^b. | 31. 32. ἐν τοῖς ἀριθμοῖς *Tas*. | 33. πολλαπλασιάσεσιν G^bI^b Alex, fort. recte. | δ' εἰ *T*, om G^b. | 34. τῷ] τό G^bI^b. | τὸ στοιχεῖον *as*. | ἐφ' οὗ om G^b. | τῶν ΔΕΖ*as*. | 35. ΔΕ om G^b.

1093a 6. 7. μὲν τούτων om G^b. | 10. αὐτὸν post ἀριθμὸν *T*, om G^b. | τις *T*. | 11. ταῦτα TA^bG^ba. | 12. οἷον — 13. αὐτά om G^bI^b. | 13. ἑπτὰ] τὰ ἑπτὰ F^b. | 14. ἡ ἁρμονία EF^b. | 15. ἔνιά γε, om *E*. | 16. ὅτι om *T*. | τοιόσδ' G^b. | πέφυκεν om G^bI^b. | 18. ἢ δι' ἄλλην G^b. | post αἰτίαν interrogandi signum habent *isc*. | τὴν] εἰ *as*. | 19. post ἀριθμοῦμεν signum interrogandi habet *b*. | 20. συμφωνίαν *Ta*. | 21. 22. *nemo curat i*.

bis frustra quaeras indicatum. Denique quod dicit 15. 1021ª 19: τῶν δὲ κατ' ἀριθμὸν (int. πρός τι) οὐκ εἰσὶν ἐνέργειαι ἀλλ' ἢ ὃν τρόπον ἐν ἑτέροις εἴρηται, admodum est dubium quo referendum putemus.

Aristotelica igitur huius libri origo ut traditur sine ulla varietate, ita nihil est cur in dubitationem vocetur. Sed neque hoc loco Metaphysicorum retineri, neque ad metaphysicam doctrinam referri omnino potest. Per se quidem haud absurdum fuerit, pro exordio vel alius disciplinae philosophicae vel primae philosophiae enumerare, quot modis vulgo usurpari soleant usitatissima et quasi ipsius artis vocabula; sed eiusmodi quidem descriptio, quoniam nec pertinet ad ipsam quaestionem, nec quae sit propria ac primaria vocabulorum singulorum notio decernit, praemitti debet disputationi, non interponi. Alexander quidem vulgatum libri locum iustum esse et necessarium studet demonstrare, p. 302, 18: ὅτι δὲ καὶ ἡ τάξις τοῦ βιβλίου αὕτη, δῆλον ἐκ τοῦ ποιεῖσθαι μὲν αὐτὸν τὴν διαίρεσιν τῶν πολλαχῶς λεγομένων τούτων, οἷς αἱ ἐπιστῆμαι χρῶνται, ἃ κοινῶς τῷ ὄντι παρακολουθεῖ· περὶ ὧν εἶπε καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ δεῖν τὸν φιλόσοφον πραγματεύεσθαι διελόμενον ποσαχῶς ἕκαστον λέγεται. ἀκόλουθον δέ ἐστι μετὰ τὸ δειχθῆναι περὶ τίνων ἐστὶ τῆς πρώτης φιλοσοφίας ἡ θεωρία, ὃ ἐν τῷ τρίτῳ δέδεικται, ἐφεξῆς περὶ τούτων πρώτων θεωρεῖν οἷς ἀναγκαῖον χρῆσθαι πρὸς τὴν τῶν ἄλλων τῶν μελλόντων δείκνυσθαι θεωρίαν τε καὶ δεῖξιν. διὸ καὶ πρῶτον περὶ ἀξιώματος εἶπε τοῦ ἐπὶ παντὸς δεῖν τὴν κατάφασιν ἢ τὴν ἀπόφασιν, ὄντος πρὸς τὰς δείξεις χρησίμου· μεθ' ἃ ἐν τούτῳ τὴν διαίρεσιν ποιεῖται τῶν οὕτως πολλαχῶς λεγομένων. Sed quantopere iis verbis Aristotelis, ex quibus haec repetita est ratiocinatio, et Alexander abutatur et quotcunque eum secuti sunt, facile est videre; illic enim Γ 2. 1004ª 28 (per errorem enim Alexander videtur scripsisse ἐν τῷ δευτέρῳ): ὥστε διελόμενον ποσαχῶς λέγεται ἕκαστον κτλ. Aristoteles comprobat cur disputatio de unitate, diversitate, contrarietate aliisque similibus notionibus, quamquam multifariam usurpantur, tamen entis ad cognitionem pertineat; sed minime hoc dicit, enumerandum primum esse varium vocabulorum usum, id quod hoc libro fecit, deinde de ipsis notionibus, quid va-

τῶν ἁρμονιῶν καὶ τῶν τοιούτων· διαφέρουσι γὰρ ἐκεῖνοι ἀλλήλων οἱ ἴσοι εἴδει, καὶ γὰρ αἱ μονάδες· ὥστε διά γε ταῦτα εἴδη οὐ ποιητέον. τὰ μὲν οὖν συμβαίνοντα ταῦτά τε κἂν ἔτι πλείω συναχθείη. ἔοικε δὲ τεκμήριον εἶναι τὸ πολλὰ κακοπαθεῖν περὶ τὴν γένεσιν αὐτῶν καὶ μηθένα τρόπον δύνασθαι συνεῖραι τοῦ μὴ χωριστὰ εἶναι τὰ μαθηματικὰ τῶν αἰσθητῶν, ὥς ἔνιοι λέγουσι, μηδὲ ταύτας εἶναι τὰς ἀρχάς.

22. ἁρμονιῶν scripsi cum Alex, ἁρμονικῶν *icb*, ἀριθμῶν *a*. | 22. 23. ἀλλήλων ἐκεῖνοι G^bI^b. | 23. διά om *E*. | 24. ταυτὰ *E*. | 25. συναχθῇ *T*. | 26. 27. τόπον *T*, λλοιπὸν *E*. | 27. συῖδεῖν *E*.

Typis excripsit A. W. Schade Berolinensis.

ARISTOTELIS

METAPHYSICA

RECOGNOVIT ET ENARRAVIT

HERMANNVS BONITZ

PHIL. D. GYMN. STETTIN. PROF.

PARS POSTERIOR

BONNAE

AD. MARCVS

MDCCCXLIX

Quam rationem secutus sim in interpretandis Metaphysicis Aristotelis, non est quod multis exponam; interpretis enim officio ut diligenter et religiose functus viderer, eam unam mihi scripsi legem. Itaque difficultates, quaecunque vel singulis in verbis vel in contextu sententiarum lectorem impediant, nunquam sciens praetermisi, sed vel solvere studui, secutus certissimum ducem ipsum Aristotelem, vel si non viderer explicare posse ingenue professus sum; librariorum culpa quae videbantur depravata esse, ubi probabilem habebam emendationem significavi; ad historiam autem philosophiae quae pertinent, eatenus tantum attigi, quatenus ad explicanda ipsa verba Aristotelis opus esset, nec denique meum de placitis Aristoteleis iudicium interposui, nisi ubi interpretationis usus et

ratio requirere videretur. Qua quidem interpretandi in opera quantum quum antiquissimo Metaphysicorum interpreti Alexandro, tum iis debeam viris doctissimis, qui nostra aetate de restituendis et promovendis studiis Aristoteleis meruerunt, *Brandisio, Trendelenburgio, Waitzio, Zellero, Spengelio, Krischio, Heydero* aliis, prope quaelibet huius commentarii pagina testis est; ab his viris quae vere et subtiliter exposita videbam, ea non putavi iteranda esse, sed lectores illuc remittere satis habui. Et *Trendelenburgii* quidem ac *Waitzii* commentarios, quos de libris Aristoteleis scripserunt, ita mihi exempla posui ad imitandum, ut multum assecutus esse mihi videar, si ad aliquam eorum similitudinem accessisse iudicer. — Indice hoc egi ut et verborum rerumque conspectum et quasi supplementum quoddam commentarii lectores haberent; quem in indicem quae sint recipienda, quae excludenda, quum saepissime ambiguum sit iudicium, malui inconstantiae subire reprehensionem, quam legentium usui deesse. Posteriorem autem libri *K* partem, quoniam falso in Metaphysica est translata, ut in interpretatione, ita etiam in indice praetermisi.

Non inutilem fore hanc meam operam in explicandis Metaphysicis positam, tum quidem quum ante hos quattuor vel quinque annos commentarium scribere institue-

rem, non iniuria mihi videbar sperare; neque enim quisquam nostra aetate difficillimos hos Aristotelis libros exponendos susceperat. Iam vero interea vir doctissimus *Alb. Schweglerus* magna et doctrinae copia et iudicii elegantia Metaphysica Aristotelis interpretatus est; quo edito commentario qualis meae restet operae usus penes viros harum literarum gnaros esto iudicium. Hoc unum videtur monendum esse, conscriptum iam fuisse, quum Schweglerianus ederetur, commentarium meum; quem quidem ut operis traderem retractans, Schwegleriani commentarii eas partes, quae interea editae erant (ad libros *Α*—*Δ* et *Η*—*Ν*, etenim mea librorum *Ε* et *Ζ* interpretatio excusa iam erat, quum alteram Schwegleriani commentarii partem acciperem), diligenter comparavi et, si quid inde fructus ceperam, religiose significavi. Ex coniecturis, quas satis multas Schweglerus proposuit, duas felicissimas et easdem evidentes in commentarium recepi (cf. ad *Κ* 12. 1068^a 11. *Λ* 7. 1072^b 2); alias cur vel recipere vel probare dubitarem exposui; quas silentio transii, eas me scientem, quia improbarem, praeteriisse, lectores velim pro certo habeant. Eam autem coniecturam, quae ad *Α* 1. 981^b 5 sub finem adnotationis proposita est, acceptam refero viro doctissimo *Ioanni Horkelio*, cui, quod me in expellendis typothetarnm mendis

pro sua in me amicitia singulari diligentia adiuvit, summam habeo gratiam.

Intento quamvis studio quidquid esset otii per aliquot annos ad explicandos hos libros Aristoteleos contulerim, tamen quantum in re impeditissima aliis vel expediendum vel retractandum reliquerim, minime me fugit. Itaque quae vel omisi vel erravi ut et reprehendant et emendent suaque doctrina mei, qualiscunque est, libri usum augeant, viros doctos, qui in his literis versantur, rogatos velim.

Scribebam Stettini mense Februario anni 1849.

COMMENTARIUS

IN

METAPHYSICA ARISTOTELIS.

Metaphysici qui feruntur Aristotelis libri utrum omnes sint genuini an partim spurii, utrum eodem quo nunc vulgantur an alio ordine ab Aristotele scripti sint ac dispositi, denique num universam complectantur primae philosophiae institutionem an inchoatam relinquant, et a veteribus Aristotelis interpretibus varie est proditum et recentiore aevo multum a viris doctis dubitatum est et disceptatum. Peculiarem operam, ut taceam eos qui aliud agentes rem tetigerunt, in his quaestionibus instituendis posuerunt Petitus, Buhle, Titze, Brandis, Michelet, Ravaisson, Brummerstädt, Krische, Glaser[1]). Ab his viris doctis quum fere omnia, quaecunque in disputationem venire possunt, copiose sint et diversas in partes disceptata, iam breviter, quantum ad intelligendos explicandosque ipsos libros pertineat, quae ad veritatem proxime accedere videantur complectar.

Titulum vulgatum, τὰ μετὰ τὰ φυσικά, non ab ipso esse Aristotele his libris inscriptum, adeo est veri simile, ut pro certo haberi possit. Aristoteles enim quum in libris physicis saepius respiciat disputationes illas et quaestiones de summis rerum principiis instituendas, quae libris metaphysicis continentur, nunquam hos libros τῶν μετὰ τὰ φυσικά, sed ubi-

1) Petitus Miscellan. IV, 9. Buhle Bibliothek der alten Literatur und Kunst. 1788. IV. p. 1—42. Titze de Aristotelis operum serie et distinctione. 1827. p. 70—113. Brandis Denkschr. der Berl. Akad. 1834. p. 63—87. Michelet Examen critique de l'ouvrage d'Aristote intitulé Métaphysique etc. 1836, et Jahrb. für wissensch. Kritik. 1841. Novbr. No. 81—85. Ravaisson Essai sur la Métaphysique d'Aristote. Tome I. 1837. Brummerstädt Ueber Inhalt und Zusammenhang der metaphysischen Bücher des Aristoteles. 1840. Krische Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie. I. 1840. p. 263—276. Glaser Die Metaphysik des Aristoteles nach Composition, Inhalt und Methode. 1841.

que *τῆς πρώτης φιλοσοφίας* nomine significat. cf. Phys. I 9. 192a 34: *περὶ δὲ τῆς κατὰ τὸ εἶδος ἀρχῆς, πότερον μία ἢ πολλαὶ καὶ τίς ἢ τίνες εἰσί, δι' ἀκριβείας τῆς πρώτης φιλοσοφίας ἔργον ἐστὶ διορίσαι, ὥστε εἰς ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἀποκείσθω.* II 2. 194b 14: *πῶς δ' ἔχει τὸ χωριστὸν καὶ τί ἐστι, φιλοσοφίας τῆς πρώτης διορίσαι ἔργον.* de Coelo I 8. 277b 9: *ἔτι δὲ καὶ διὰ τῶν ἐκ τῆς πρώτης φιλοσοφίας λόγων δειχθείη ἄν* (int. *ὅτι εἷς ὁ κόσμος ἐστίν* Schol. 486a 28—35). de gen. et corrupt. I 3. 318a 5: *τούτων δὲ περὶ μὲν τῆς ἀκινήτου ἀρχῆς τῆς ἑτέρας καὶ προτέρας διελεῖν ἐστὶ φιλοσοφίας ἔργον* [1]). Eodem primae philosophiae nomine eam disciplinam, de qua disputatur in Metaphysicis, his ipsis in libris significatam videmus *E* 1. 1026a 16, 24, 30. Haec ipsius Aristotelis testimonia non videntur eo everti posse, quod aliquoties commentatores Graeci, et in iis quidem clarissimus Metaphysicorum interpres Alexander Aphrodisiensis, inscriptionem *τὰ μετὰ τὰ φυσικά* ipsi Aristoteli tribuunt, cf. Alex. ad *B* init. p. 127, 21: *ἡ μὲν ἐπιζητουμένη ἐπιστήμη καὶ προκειμένη νῦν αὐτή ἐστιν ἡ σοφία τε καὶ ἡ θεολογική, ἣν καὶ Μετὰ τὰ Φυσικὰ ἐπιγράφει τῷ τῇ τάξει μετ' ἐκείνην εἶναι πρὸς ἡμᾶς. λέγει δὲ αὐτὴν καὶ πρώτην σοφίαν, ὅτι τῶν πρώτων καὶ τιμιωτάτων ἐστὶ θεωρητική. διὰ τὸ αὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ θεολογική.* id. p. 698, 1. Ammon. in Cat. 6 B. Simpl. in Phys. 56 B; nimirum postquam usu invaluit haec librorum inscriptio, parum solliciti unde originem habeat ad ipsum librorum auctorem eam referunt et quid significet explicant. Primo autem post Chr. n. seculo usitatam fuisse inscriptionem *τὰ μετὰ τὰ φυσικά* inde intelligitur, quod Nicolaum, philosophum Peripateticum, imperatoris Augusti aequalem, scripsisse accepimus *θεωρίαν τῶν Ἀριστοτέλους μετὰ τὰ φυσικά*, cf. Arist. et Theophr. Metaphysica ed. Brandis p. 323, 18; et aliquot annis post Plutarchus in vita Alexandri c. 7 libros Aristotelis, qui sunt de prima philoso-

1) In alio, qui praeterea afferri potest, loco de motu anim. 6. 700b 7: *περὶ μὲν τοῦ πρώτου κινουμένου καὶ ἀεὶ κινουμένου, τίνα τρόπον κινεῖται, καὶ πῶς κινεῖ τὸ πρῶτον κινοῦν, διώρισται πρότερον ἐν τοῖς περὶ τῆς πρώτης φιλοσοφίας* verba extrema *ἐν τοῖς περὶ τῆς πρ. φ.* non ipsius Aristotelis sed postea addita esse, neque ea ad Metaph. *Λ* sed ad Physicorum librum extremum spectare, probabiliter coniecit Krische l. l. p. 267 not.

phia, hoc nomine, ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία, ut vulgato et usitato significat. Iam quum Andronicum Rhodium, Ciceronis fere aequalem, libros Aristotelicos per singulas disciplinas, πραγματείας, descripsisse constet (cf. Porphyr. vita Plotini c. 24), hunc veri est simillimum iis libris Aristotelicis, quos post universam physicam disciplinam scriptos esse et ex libris physicis (cf. quos supra indicavimus locos) et ex ipsis Metaphysicis (*A* 3. 983a 33. 4. 985a 12, 986b 30. 7. 988a 22. 8. 989a 24. *H* 1. 1042b 8. *Θ* 8. 1049b 36. *K* 1. 1059a 34. 6. 1062b 31. *Λ* 7. 1073a 5. 8. 1073a 32. *M* 1. 1076a 9) appareret, communem inscripsisse titulum τὰ μετὰ τὰ φυσικά. Ad ordinem enim librorum hanc inscriptionem referri, ut libri de prima philosophia excipere significentur libros physicos, communis fere est ac verissima interpretum Graecorum sententia, Alexandri l. l. p. 127, 21, Asclepii Sch. p. 519b 22, Simplicii ac Themistii in Phys. init. [1]; neque audiendus est si quis Neoplatonicorum potius opiniones secutus, quam Peripateticorum imbutus ingenio ipsam rem, quae his libris tractetur, quippe supra naturam rerum positam eamque quasi transscendentem significari opinatus est, veluti Herennius, quum scribit: μετὰ τὰ φυσικὰ λέγονται ἅπερ φύσεως ὑπερῇρηται καὶ ὑπὲρ αἰτίαν καὶ λόγον εἰσί [2]). Unde autem factum sit, ut Andronicus sive quisquis titulum nunc vulgatum primus posuit, non eum assumeret quo ipse Aristoteles usus est, ex iis quae postea disputabuntur apparebit. Ceterum τὰ μετὰ τὰ φυσικά non unam fuisse ac solam inscriptionem, qua ferebantur hi libri, sed eosdem praeterea appellatos esse Σοφία (*A* 1. 2), Φιλοσοφία (*K* 3. 1061b 5. 4. 1061b 25), πρώτη Φιλοσοφία (*E* 1. 1026a 16, 24, 30), Θεολογία (*E* 1. 1026a 19 sqq. *K* 7. 1064b 3 sqq.), Asclepius testatur Sch. p. 519b 19: ἰστέον δὲ ὅτι ἐπιγράφεται καὶ Σοφία καὶ Φιλοσοφία καὶ πρώτη Φιλοσοφία καὶ Μετὰ τὰ Φυσικά, ἐπειδὴ πρότερον διαλεχθεὶς περὶ τῶν φυσικῶν ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ διαλέγεται περὶ τῶν θείων. διὰ τὴν τάξιν οὖν ἔλαχε τὴν προσηγορίαν. — καὶ Θεολογίαν δὲ καλοῦσιν αὐτήν, ἐπεὶ αἱ τῶν ὄντων ἀρχαὶ καὶ τὰ τῶν ὄντων αἴτια

1) cf. praeterea Sch. p. 33a 20. 520a 27.

2) Brandis Die Aristot. Handschr. im Vatican, Abhandl. der Berl. Akad. 1831. p. 80 sq.

τὰ πρῶτα καὶ τελειότατα μάλιστα τὰ ὄντα θεῖα, περὶ ὧν ἐνταῦθα θεωρεῖ.

Haec si vere disputata sunt de inscriptione Metaphysicorum, mirum non est, quod in indice librorum Aristotelicorum a Diogene Laertio V, 22 sqq. tradito Metaphysica non commemorantur, neque id ad deminuendam horum librorum fidem quidquam valeret, etiamsi maior esset huius scriptoris auctoritas; etenim Diogenes quum indicem suum ex aliis indicibus satis negligenter conscriberet, fieri potuit ut eos adhiberet, qui confecti essent, antequam Metaphysicorum nomen usu invaluisset. Inde cum magna veritatis specie suspicari quispiam videatur, libros metaphysicos, si quidem genuini sunt Aristotelis, vel singulos vel quolibet modo inter se coniunctos, latere sub aliis titulis apud Diogenem servatis. Sed ea coniectura licet speciosa sit, neque ab iis viris, qui eam protulerunt, satis feliciter est explicata, neque omnino multum ea videtur profici posse. Namque libros περὶ φιλοσοφίας, περὶ τἀγαθοῦ, περὶ τῆς ἰδέας, περὶ ἐναντίων, quos Petitus, Buhle, Titze, alius aliis in libris Metaphysicorum agnoscere sibi videbantur, discretos fuisse a Metaphysicis, Brandisius certissimis demonstravit argumentis in Diatribe de perditis Aristotelis libris de ideis et de bono sive philosophia, a. 1823 edita. Aliae quas Diogenes prodidit inscriptiones, veluti περὶ ἐπιστημῶν, ὑπὲρ ἐπιστήμης, περὶ ἀρχῆς, περὶ εἰδῶν, περὶ γενῶν, tam late patent, ut temere hariolari videatur, qui eos, quod Petitus et Buhle fecerunt, ad certos quosdam Metaphysicorum libros referendos contenderit. Una inscriptio περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων (Diog. Laert. V, 23 et Anonym. Menag.) ad librum Δ Metaphysicorum vel certo vel admodum probabiliter potest referri, propterea quod apud ipsum Aristotelem aliquoties hunc librum eodem nomine significatum legimus *E* 4. 1028*a* 4. *Z* 1. 1028*a* 11. *I* 1. 1052*a* 15. cf. Brandisii diatribe p. 2. 3. Sed omnino titulos a Diogene traditos si vel diligentissime conferre susceperimus cum ipsis libris metaphysicis, nihil magnopere proficiemus ad dirimendas eas quaestiones, in quibus quummaxime est versandum, utrum genuini sint libri metaphysici omnes necne, num suo sint ordine dispositi et unum absolutumque disci-

plinae corpus efficiant; attingenda erat ea res, quia varias inde coniecturas viri docti repetierunt.

De genuina autem Metaphysicorum origine et de iusto librorum ordine cur varie sit a viris doctis disputatum et in diversas sententias discessum, duplex potissimum causa est: altera posita in auctoritate scriptorum veterum, altera repetita ex ipsa librorum metaphysicorum natura et indole. Et testimonia quidem veterum quod dubitationes movisse dixi, id nolim referri ad notissimas illas Strabonis XIII, p. 418 sqq. et Plutarchi Syll. 26 narrationes de singulari quodam librorum Aristotelicorum fato; istae enim narrationes quam habeant fidem, virorum doctissimorum, Schneideri (Hist. Animal. Vol. I. Epimetr. II. III), Brandisii (Mus. Rhenan. I, 3. p. 236—254. 4. p. 259—286), Koppii (Mus. Rhen. III, 1. p. 93—104) acumine et doctrina ita est demonstratum, ut in hac certe quaestione eas curare nihil attineat [1]). Glaserus quidem, qui genuinam Metaphysicorum formam primus perspexisse et exposuisse sibi videtur, derogatam narrationi fidem restituere studet, ita quidem ut omissis reliquis libris Aristotelicis ad una Metaphysica referenda sit (l. l. p. 18), sed quam inanibus et futilibus sit argumentis usus et facile est videre et uberius explicui in iudicio quod feci de eo libro in Jahnii Annalibus 1841. XXXII, 4. p. 371 sqq. Verum ea potius dico testimonia veterum dubitandi materiam et eam quidem idoneam praebuisse, quae ipsorum Metaphysicorum ad originem et editionem pertinent. Etenim Asclepius in prooemio commentarii eius, quem ad Metaphysica Aristotelis scripsit, haec prodit Sch. p. 519b 33: *ὁ δὲ τρόπος τῆς συντάξεως, ὅτι ἔστιν ἡ παροῦσα πραγματεία οὐχ ὁμοίως ταῖς ἄλλαις ταῖς τοῦ Ἀριστοτέλους συγκεκροτημένη, οὐδὲ τὸ εὔτακτόν τε καὶ συνεχὲς ἔχειν δοκοῦσα, ἀλλὰ τινὰ μὲν λείπει ὡς πρὸς τὸ συνεχὲς τῆς λέξεως, τὰ δὲ ἐξ ἄλλων πραγματειῶν ὁλόκληρα μετενήνεκται, καὶ πολλάκις τὰ αὐτὰ λέγει. ἀπολογοῦνται δὲ ὑπὲρ τούτου, καὶ καλῶς ἀπολογοῦνται, ὅτι γράψας τὴν παροῦσαν πραγματείαν ἔπεμψεν αὐτὴν Εὐδήμῳ τῷ ἑταίρῳ αὐτοῦ τῷ Ῥοδίῳ· εἶτα ἐκεῖνος ἐνόμισε μὴ εἶναι καλὸν ὡς ἔτυχεν ἐκδοθῆναι εἰς πολλοὺς τη-*

1) cf. Stahr Aristotelia II. p. 1—166.

λικαίνην πραγματείαν. ἐν τῷ οὖν μέσῳ χρόνῳ ἐτελεύτησε, καὶ διεφθάρησάν τινα τοῦ βιβλίου· μὴ τολμῶντες δὲ προσθεῖναι οἴκοθεν οἱ μεταγενέστεροι διὰ τὸ πολὺ πάνυ λείπεσθαι τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἐννοίας, μετήγαγον ἐκ τῶν ἄλλων αὐτοῦ πραγματειῶν τὰ λείποντα, ἁρμόσαντες ὡς ἦν δυνατόν. Et Asclepius quidem ipse licet admodum exiguae sit auctoritatis [1]), haec tamen non ex suo ingenio tradidisse, sed ab antiquioribus interpretibus, quorum fere ubique vestigia legit, videtur accepisse. Vulgatam enim hanc fuisse narrationem vel ex eo commentario cognoscas, qui ad posteriorem Metaphysicorum partem scriptus Alexandri nomine fertur, sive ipsius est Alexandri sive ex eius interpretatione excerptus, p. 483, 19: καὶ οἶμαι καὶ ταῦτα ἐκείνοις ἔδει συντάττεσθαι, καὶ ἴσως ὑπὸ μὲν Ἀριστοτέλους συντέτακται (ἐν οὐδεμιᾷ γὰρ τῶν ἄλλων αὐτοῦ πραγματειῶν εὑρίσκεται τοιοῦτόν τι πεποιηκὼς ὁποῖα ἐνταῦθα φαίνεται), ὑπὸ δὲ τοῦ Εὐδήμου κεχώρισται.

De Aristotelica igitur Metaphysicorum origine, si sequimur interpretum Graecorum auctoritatem, non est quod in universum dubitemus; nimirum scripta ea esse ab Aristotele et tradita discipulo Eudemo diserte produnt; sed potius non suo ordine singulos libros dispositos esse, desiderari alia ut opus plenum sit et absolutum, alia importune intrusa esse exspectabimus. Et ad eandem quidem sententiam deducitur si quis neglecta illa interpretum narratione ad ipsam librorum indolem diligentius attenderit. Etenim si exceperis librum α, de quo iure dubitari potest, et posteriorem libri *K* partem inde a p. 1065a 26, manifesto et id quidem satis negligenter ex Physicis excerptam, reliqui quidem libri omnes non modo doctrinam Aristotelicam, sed etiam scribendi genus tam aperte referunt, ut quicunque noverit Aristotelem, eius manum non possit non agnoscere [2]). Disputandi autem ordinem et contextum si quis consideraverit, fieri vix potest quin saepius haereat. Post librum *A*, quo superiorum philosophorum expositis sententiis praepa-

1) cf. quae dixi in praef. ad Alex. Aphr. comm. in Metaph. p. IX sq.

2) Brandis Ueber die Arist. Met. p. 87: die Aechtheit aller übrigen Bücher dagegen will ich zwar keinesweges in positiver Beweisführung zu bewähren unternehmen, wohl aber gegen Angriffe zu vertreten.

rantur quaestiones eae, in quibus solvendis haec disciplina versatur, importune intruditur liber α. Deinde inchoata vix libris ΒΓ disputatio iterum interrumpitur libro Δ, qui nec cum superiore disputatione nec cum posterioribus libris ullo connectitur vinculo. Tum postquam per quatuor libros qui proxime sequuntur ΕΖΗΘ uno fere tenore disputatio processit, ut nihil magnopere sit quod moremur, libro Ι singularis quaedam de unitate et contrariis quaestio diligenter pertractatur, quae licet ipsa re similitudinem quandam et cognationem habeat cum universa hac disciplina, tamen quomodo cum ea cohaereat ne verbo quidem significatum est. Et hoc quidem graviorum turbarum initium. Nam libri Κ parte priore quae libris ΒΓΕ disceptata sunt, eadem aliquanto brevius iterantur, neque ita ut lectori in memoriam videantur revocari, sed tamquam exposita omnino nondum sint; alteram eiusdem libri partem ex Physicis depromtam esse iam monuimus. Deinde libro Λ de integro, quasi nihildum disputatum sit, orditur philosophus quaerere de summis principiis, et ea quidem pertractare, quae quum ad concludendam universam doctrinam praecipue sint necessaria, tamen reliqua cum disputatione nullo modo connectuntur. Denique finis imponitur operi duobus libris artissime inter se coniunctis ΜΝ, quibus Platonicorum et Pythagoreorum de numeris ideisque exponuntur atque iudicantur sententiae; qui libri quamvis cum prima philosophia apte coniungi videantur, tamen nec per se idonei sunt ad imponendum universae disputationi finem, nec qua ratione cum reliquis cohaereant a philosopho satis dilucide est significatum; accedit quod in libro Μ cap. 4, 5 iudicium de Platonica idearum doctrina iisdem prope verbis factum legimus ac libro Α 9.

Haec si quis vel obiter perlustraverit non ita esse comparata, ut quaestionis via ac ratione institutae iustum referant ordinem, facile concedet. Cuius quidem difficultatis tollendae et cogitari omnino potest et tentata est a viris doctis duplex via; alteri enim, quae obiter rem inspicienti diversa et discreta videantur, ea demonstrare conati sunt, si quis diligentius rem indagaverit, vel omnia vel certe plurima apte cohaerere; alteri, et hi quidem variis modis, disiungendos aliterque disponendos censuerunt libros metaphy-

sicos, ut genuinus vel probabilis ordo restituatur. Utraque ratio in coniectura posita est; qui enim vulgatum librorum ordinem defendunt, quamquam simpliciter id quod traditum est tueri videntur, alieni ab omni coniectandi licentia, repugnant illi tamen narrationi veterum interpretum, ex qua libros metaphysicos non integros ab emendationibus traditos esse cognoscimus; contra qui a vulgato nunc ordine discedendum putant, eosdem illos interpretes sententiae suae auctores habent. Itaque in hac ambigua rei natura ita liceat versari ut primum quid mihi maxime videatur probabile exponam, deinde praecipuas aliorum sententias et cur ab iis discedendum putaverim paucis significem. Nihil fere novi me esse prolaturum de ordine librorum metaphysicorum ingenue profiteor; Brandisius enim quae de Metaphysicis Aristotelicis docte et acute exposuit, ea mihi quidem ita probavit, ut paucissima invenerim, quae vel dubitationi esse obnoxia vel mutanda videantur.

Uno tenore et eodem disputationis contextu scripti videntur esse hi septem libri *ΑΒΓΕΖΗΘ*. Ac primo quidem libro viam parat philosophus ad explicandam primam philosophiam. Exorsus enim ab infimo percipiendi genere, quod suspensum a sensibus homini commune est cum ceteris animalibus, exponit quibus deinceps gradibus escendatur quum universe ad cognitionem, tum praecipue ad eam, quae summo est loco ponenda, summorum principiorum scientiam; hanc enim propositam esse primae philosophiae ex iis, quae vulgo feruntur, de sapientia opinionibus demonstrat (c. 1. 2). Et quoniam causarum et principiorum quatuor genera in libris physicis distinxit, principium materiale formale finale movens, nullum esse genus omissum sed, quodcunque est principium, id sub unum vel alterum ex his principiis cadere, ex historia philosophiae comprobat; veterum enim philosophorum placita de principiis ita exponit et iudicat, ut praeter illa quatuor genera nullum eos invenisse appareat (c. 3—8). Propius deinde ad ipsam disciplinam accedit libro *B*, enumeratis primum (c. 1) ac deinde in utramque partem disceptatis (c. 2—6) aliquot quaestionibus, quas dirimi per primam philosophiam consentaneum sit. Prooemii locum hunc librum obtinere ex ipsa, qua utitur philosophus, disserendi

ratione intelligitur; dialectice enim disputat ut quaestionum natura illucescat, neque vero ut ipsum iam verum inveniatur; neque istae quaestiones, quas quindecim persequitur, eo sunt ordine dispositae, qui disputationis instituendae viam apte possit significare, sed, quod consentaneum est fieri nondum explicata rei natura, disiuncta saepius sunt inter se et separata, quae eadem disputatione dirimenda erant et solvenda. Tum libro *Γ* ipsam orditur primam philosophiam explicare. Inquirendae sunt in prima philosophia causae entis quatenus est ens (c. 1); ac licet ens multifariam dicatur, tamen quia entium genera omnia ad unam referuntur substantiam, prima philosophia una est et simplex scientia (c. 2). Cognoscendi autem principia quoniam et ipsa referuntur ad ens quatenus est ens, neque ad certum quoddam entium genus, ea indagare eiusdem est primae philosophiae (c. 3). Horum deinde principiorum quod summum est et certissimum, principium contradictionis, et quod inde pendet principium exclusi medii, exponit, et quamquam non directa argumentatione comprobat, id quod propter ipsam rei naturam fieri non potest, apagogice tamen contra adversarios defendit et unde factum sit ut quidam philosophi huic principio adversentur explicat (c. 3—8). — His continetur et absolvitur formalis, quam nos dixerimus, pars primae philosophiae, quae est de principiis cognoscendi; alteram eamque longe potiorem partem de principiis entis quatenus est ens quum explicare instituit, primum denuo notionem primae philosophiae diligentius describit, distinctis inter se diversis philosophiae generibus (*E* 1). Entis autem, cuius quaeritur cognitio, quum quatuor potissimum ferantur notationes, ens accidentale, ens quod significat veritatem, ens distinctum per singulas categorias, denique ens potentia et actu, primas duas ab hac disputatione alienas esse demonstrat; accidentale enim ens scientiam admittere nullam, veritatem autem cognoscentis affectum quendam significare, non peculiare entium genus (c. 2—4). Itaque ad illud transit ens, quod distinguitur per genera categoriarum, quae quoniam ad substantiam referantur omnia, substantiam esse investigandam (*Z* 1). Quam substantiam quum alii aliis in generibus sibi videantur invenisse et quatuor fere distin-

guantur ea de re sententiae, siquidem vel formae (τῷ τί ἦν εἶναι) vel notioni universali vel generi vel materiae tribuatur substantiae dignitas, materiae infinitatem alienam esse a definita substantiae natura eamque potissimum cerni in forma vel notione substantiali, τῷ τί ἦν εἶναι, docet. Atque hanc formam substantialem, non extra res positam, Platonicarum idearum ad modum, sed ipsis rebus inclusam, neque communem multis rebus, quae est notionis universalis ratio, sed singulis rebus propriam, descriptam illam definitione notionis, ab omni materiae partiumque materialium admistione integram, — hanc igitur formam substantialem aeternam esse et unam ac simplicem naturam, diversis e partibus rem aggressus et ad idem omnia referens, per reliquum universum librum *Z* exponit. Complexus deinde breviter, quae ex hac disputatione comprobata et manifesta debent videri (*H* 1), et adiectis quaestionibus quibusdam, quae cum exposita formae et materiae natura cohaerent (c. 2—5), unitatem et notarum in conficienda notione et formae cum materia in conformandis rebus sensibilibus reducit ad discrimen potentiae et actus, quae coniungantur inter se per principium movens (c. 6). Inde aptus transitus ad explicandas potentiae et actus notiones (*Θ*), quibus distingui entis naturam supra in principio alterius partis huius disciplinae (*E* 2) significaverat. Et primum quidem potentiae naturam describit eamque comprobare studet re ac veritate ab actu esse discernendam (c. 1—4), deinde actum distinguit ac describit, eumque et notione et tempore et substantia ac dignitate potiorem esse potentia demonstrat (c. 5—9). Denique quum in cognoscendis compositis rebus haec sit veritatis lex, ut coniungantur ac dirimantur notiones perinde ac res vel coniunctae sunt vel disiunctae, quae sit veritas in percipiendis notionibus simplicibus disceptat; nimirum in his, remoto omni errore, nihil aliud locum habere nisi vel percipere vel non percipere (c. 10).

Brevissime summa modo rerum capita lectori in memoriam revocanda putavi, ut qui sit totius disputationis contextus appareat; accuratiora qui desideraverint, argumenta singulis librorum partibus in commentario praefixa conferant. Invenies quidem etiam in his quae vel artius con-

iuncta vel aptius disposita cupias, veluti quod primae philosophiae notionem ab initio disputationis *Γ* 1 quum eam unam esse scientiam demonstrare orditur, simpliciter ponit *ἔστιν ἐπιστήμη τις ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν κτλ.*, ac proximo demum libro *E* 1 distinctis singulis philosophiae disciplinis diligentius et subtilius describit; vel quod *Z* 7 disputationem de generatione interponit, quae disputatio quid sit collatura ad cognitionem formae, de qua quummaxime agitur, ne verbo quidem significans lectoribus quaerendum relinquit. Atque id quidem genus alia praeterea afferri possunt ex his libris, ubi quaedam vel magis limata vel planius inter se coniuncta velis; neque tamen quidquam reperias, quod disputationis continuum ordinem prorsus perturbet. Inde si tantum concludi licet, posse hos libros hoc ordine ab Aristotele scriptos ac positos esse, accedunt alia quaedam argumenta, partim ex ipsis his libris petita, partim extra eos posita, ex quibus re vera scripsisse haec continuo ordine Aristotelem cum magna certe specie veritatis colligas.

Ac primum quidem scriptor in posteriore parte disputationis saepius ad ea respicit, quae superioribus libris exposuit. Ad librum *A* lectores relegat *B* 2. 997ᵇ 3: *ὡς μὲν οὖν λέγομεν τὰ εἴδη αἴτιά τε καὶ οὐσίας εἶναι καθ' αὑτὰς εἴρηται ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις περὶ αὐτῶν*, cf. *A*, 6. 9. Librum *B* nominatim commemorat ubi primam ex propositis illic quaestionibus solvit *Γ* 2, 1004ᵃ 32: *φανερὸν οὖν, ὅπερ ἐν ταῖς ἀπορίαις ἐλέχθη, ὅτι μιᾶς περὶ τούτων καὶ τῆς οὐσίας ἐστὶ λόγον ἔχειν· τοῦτο δ' ἦν ἓν τῶν ἐν τοῖς ἀπορήμασιν*, cf. *B* 2. 996ᵃ 18 sqq., ac tacite et per reliquum librum *Γ*, quum alteram quaestionem persequitur de cognoscendis summis principiis, et per proximos libros, ubi entium genera omnia et quaecunque iis accidunt ad substantiam referenda docet, ad *ἀπορίας* libro *B* dialectice disceptatas respicit. Librum *Γ* 2. 1003ᵃ 33—ᵇ10 vel librum *Z* 1 intelligit, quum scribit initio libri *Θ* 1. 1045ᵇ 31: *πάντα γὰρ ἕξει τὸν τῆς οὐσίας λόγον, ὥσπερ εἴπομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις*, neque enim necesse est verbis *ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* totius disputationis initium significari, sed possunt ea etiam referri ad initium partis alicuius. Denique ad *Z* 8

manifesto respicitur *H* 3. 1043^b 16, quamquam satis universe et indistincte ibi scripsit *ἐν ἄλλοις*: *δέδεικται δὲ καὶ δεδήλωται ἐν ἄλλοις ὅτι τὸ εἶδος οὐθεὶς ποιεῖ οὐδὲ γεννᾷ*. Idem liber *Z* his verbis *ἐν τοῖς περὶ τῆς οὐσίας λόγοις* significatur *Θ* 8. 1049^b 27: *εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ τῆς οὐσίας λόγοις ὅτι ἅπαν τὸ γιγνόμενον γίγνεται ἔκ τινός τι καὶ ὑπό τινος, καὶ τοῦτο τῷ εἴδει τὸ αὐτό*, cf. *Z* 7—9.

Accedit deinde quod extremi quatuor ex his, quos continuos esse diximus, libris *EZHΘ* ita inter se sunt connexi, ut alterum divellere ab altero aegre sustineas. Libro enim *Z* eo ipso loco incipitur quaestio, ad quem extrema parte libri *E* deducta est; ipsa illa verba, quibus multiplicem entis notionem, *πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν*, et extremo libro *E* et in primordio libri *Z* significat, sive utroque loco ab ipso Aristotele scripta, sive altero loco, in fine libri *E*, aliena manu addita putemus, hanc quidem ad rem nihil refert. Deinde liber *H* primum quae libro *Z* exposita sunt complectitur et quae inde consequantur explicat: *ἐκ δὴ τῶν εἰρημένων συλλογίσασθαι δεῖ, καὶ συναγαγόντας τὸ κεφάλαιον τέλος ἐπιθεῖναι.* Denique libri *Θ* initio non solum respiciuntur ea, quae duobus libris superioribus disputata sunt et excussa: *περὶ μὲν οὖν τοῦ πρώτως ὄντος καὶ πρὸς ὃ πᾶσαι αἱ ἄλλαι κατηγορίαι τοῦ ὄντος ἀναφέρονται εἴρηται, περὶ τῆς οὐσίας κτλ.*, sed etiam nova quaestio de potentia et actu hoc potissimum loco et apte videtur et necessario institui, quoniam et ad hoc discrimen deducti sumus in quaerenda vel rerum sensibilium vel notionum unitate (*H* 6), et hoc quartum entium genus adhuc superest ad inquirendum, cf. *E* 2. — Itaque quum quatuor extremos libros uno disputandi contextu contineri appareat, primi autem duo libri *AB* hunc suum locum vel suapte natura tueantur, et libro *Γ* continuo scriptor ad solvendas eas quaestiones accedat, quas libro *B* proposuit, eumque librum aperte respiciat: una manere potest dubitatio, num liber *E*, in quo quasi de integro disputationem videtur ordiri, Aristotelis ex consilio ipsum librum *Γ* continuo exceperit, an vel alia interposita esse vel omnino seiungi aliquo modo posteriorem Metaphysicorum partem *E*—*Θ* a priore voluerit. Sed haec etiam dubitatio tolli videbitur comparato libro *K*.

Etenim libri *K* singularis quaedam est ratio. Priore libri parte c. 1—8. 1065ª 26 (de posteriore parte posthac dicendi erit locus) eadem eodem ordine brevius exposita legimus, quae uberius disceptantur libris *BΓE*. Non excerptum esse librum *K* illis ex libris facile concedet, qui quae propria sint libro *K*, quae minus apte et dilucide exposita quam in superioribus libris, attente contulerit. Diligenter ac subtiliter eam rem pertractavit Brandisius l. l. p. 66 sqq.; ipsi quibus in rebus differat liber *K* a libris *BΓE* in interpretatione libri *K* breviter significavimus. Verum enim vero id est dicendi genus in priore parte libri *K* ac tantus cum libris *BΓE* sententiarum omnium concentus, ut ab alio post Aristotelem philosopho Peripatetico eum librum scriptum esse, nec probabile et vix credibile esse videatur. Itaque si de iisdem rebus bis ab Aristotele disputatum esse ponimus, brevius libro *K* 1—8, copiosius et enucleatius libris *BΓE*, tollitur inde quam unam superesse dixi de instituto librorum metaphysicorum ordine dubitationem. Namque in libro *K* continuo post expositum et confirmatum ratiocinatione principium contradictionis primum notio primae philosophiae subtilius distinguitur, ac deinde ens accidentale et ens illud, quod veritatem significat, a disputatione instituenda removetur; itaque probabile est, neque libros *Γ* et *E*, quibus eadem eodem ordine pertractavit atque in libro *K*, Aristotelem vel interpositis aliis libris vel ulla alia ratione voluisse seiungere.

Haec si tamquam fundamenta disputationis poni licet, unam et continuam disputationem inesse in libris *ABΓEZHΘ*, eosque libros hoc ordine ab ipso esse Aristotele dispositos, iam de reliquis libris facilius erit probabilem proferre sententiam.

Ac primum quidem liber *α* utrum ab Aristotele ipso an ab alio eiusdem disciplinae philosopho scriptus, utrum suo loco positus an alio transferendus esset, iam antiquitus varie dubitatum esse et iudicatum ex interpretibus Graecis cognoscimus. Fuerunt enim qui non Aristotelis esse hunc librum sed Pasiclis dicerent, cf. *α* 1. 993ª 29 var. lect.: *τοῦτο τὸ βιβλίον οἱ πλείους φασὶν εἶναι Πασικλέους τοῦ Ῥοδίου, ὃς ἦν ἀκροατὴς Ἀριστοτέλους, υἱὸς δὲ Βοηθοῦ τοῦ Εὐδή-*

μου ἀδελφοῦ. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Ἀφροδισιεύς φησιν εἶναι αὐτὸ τοῦ Ἀριστοτέλους, et Schol. p. 589ᵃ 41. Idem sine dubio tradidit in prooemio libri *α* is interpres, qui vulgo Philoponi nomen prae se fert; qui quod Pasicratem auctorem esse dicit huius libri, in scribendo nomine vel ipse interpres vel librarii videntur errasse. Denique quod Asclepius Sch. p. 520ᵃ 7 librum *A* a quibusdam Pasicli tribui tradit, id ad librum *α* potius pertinere et per errorem levissimi huius interpretis ad librum *A* translatum esse, cum magna veritatis specie suspicatur Krische l. l. p. 268 not. Alii vero librum *α* Aristotelicum esse censuerunt, non tam testimoniorum auctoritatem quam suum de ipso libro iudicium secuti, veluti Alexander p. 100, 10: *τὸ ἔλαττον ἄλφα — ἔστι μὲν Ἀριστοτέλους ὅσα καὶ τῇ θεωρίᾳ τεκμήρασθαι*, Asclepius Sch. p. 589ᵃ 9: *γνήσιον δέ ἐστι καὶ αὐτὸ τοῦ Ἀριστοτέλους τὸ βιβλίον, καὶ τοῦτο δῆλον ἔκ τε τῶν δογμάτων καὶ ἐκ τῆς λέξεως· καὶ τῆς φράσεως γὰρ τὸ ποικίλον πατέρα τὸν Ἀριστοτέλην προσαγορεύει.* Quo autem loco ponendus esset liber *α*, prorsus diversas in partes abierunt veteres interpretes, quorum sententias brevissime enumeratas legimus Sch. p. 589ᵇ 1: *καὶ ἔνιοι μὲν αὐτὸ πρὸ τῆς φυσικῆς πραγματείας δεῖν ἔφασαν τάττεσθαι, τεκμαιρόμενοι τοῦτο ἀπὸ τοῦ τέλους τοῦ προκειμένου βιβλίου· λέγει γὰρ «διὸ σκεπτέον πρῶτον τί ἐστι φύσις.» ἕτεροι δὲ πρὸ πάσης ἁπλῶς θεωρίας φυσικῆς τε καὶ μετὰ τὰ φυσικά, ἀπὸ τοῦ ἐφεξῆς τῷ ἀνωτέρω λεχθέντι τοῦ τέλους ῥητοῦ καὶ αὐτοὶ τοῦτο κατασκευάζοντες, τοῦ «οὕτω γὰρ καὶ περὶ τίνος ἡ φυσικὴ δῆλον ἔσται» καὶ τοῦ ἑξῆς. ἄλλοι δὲ πρὸ αὐτοῦ τοῦ μείζονος* A *τὸ παρὸν ἠξίωσαν τάττεσθαι. φαίνεται γὰρ ἐφεξῆς μετ' ἐκεῖνο τὸ* B*· ἐκεῖσε γὰρ τὰς τῶν πρὸ αὐτοῦ δόξας ἐκθέμενος — ὑπέσχετο ἐν τῷ τέλει περὶ αὐτῶν ἀπορῆσαι, καὶ ἀπορεῖ περὶ τούτων ἐν τῷ* B. *τὸ δ' ἀληθὲς ὧδε ἔχει. τὸ παρὸν βιβλίον τοῦ πρὸ αὐτοῦ ἐστὶν ἔλλειμμα· ὑστερήσας γὰρ ἐκεῖσε περί τινων, περὶ τούτων ἐν τῷ προκειμένῳ διέξεισιν.* Ipsum Alexandrum nihil certi de ea re statuisse, sed ab alia sententia ad aliam ferri ex eius commentario facile cognoscas; modo enim librum *α* physicae esse disciplinae et falso interposito hoc libello divelli libros *A* et *B* luculentis demonstrat argumentis, modo prooemium esse di-

cit universae philosophiae theoreticae, modo ab hoc, quem nunc obtinet, loco non alienum esse iudicat, cf. p. 100, 12 — 101, 10. 102, 23. 105, 28. 127, 3. In tanta veterum interpretum dubitatione quid possit probabiliter de libro α indicari, non aliunde videtur nisi ex ipso libro petendum esse.

Liber α tribus constat capitibus. Primo capite veritatis inquisitio quomodo vel difficilis vel facilis iudicanda sit exponitur; veritatem, in qua cognoscenda versetur philosophia, cerni potissimum in summis rerum principiis. Altero capite esse omnino principia quaedam, neque causarum seriem in infinitum posse abire scriptor comprobat. Tertio denique capite quam docendi diversitatem vel consuetudo discentium vel ipsa rei natura exigat perstringit. — Haec capita utrum eiusdem sint disputationis partes, an commentariola quaedam temere et fortuito conglutinata, iure potest dubitari. Etenim primo quidem cum capite alterum potest certe quodammodo conciliari, siquidem sub finem primi capitis principia rerum aeternarum verissima omnium esse dicit, 993^b 28: *διὸ τὰς τῶν ἀεὶ ὄντων ἀρχὰς ἀναγκαῖον ἀεὶ εἶναι ἀληθεστάτας*, et altero capite de serie causarum vel infinita vel finita disceptatur; quamquam tenue admodum et exile hoc est sententiarum vinculum. Tertium autem caput nullo modo cum superioribus cohaeret, et quocunque ponere placuerit loco, pariter apte videbitur positum esse. Sed sive haec una est et continua disputatio, sive potius tria disiuncta inter se commentariola, cum metaphysica certe doctrina nihil habent commune; multoque etiam minus inter historiam superioris philosophiae et dialecticam metaphysicarum quaestionum disceptationem interposita haec vel de veritate vel de causarum finita serie vel de docendi ratione disputatio ferri omnino potest. Quid quod extremis capitis tertii verbis manifesto ad physicam disciplinam transitur: *διὸ σκεπτέον πρῶτον τί ἐστιν ἡ φύσις· οὕτω γὰρ καὶ περὶ τίνων ἡ φυσικὴ δῆλον ἔσται*, quibus quae vulgo adduntur verba: *καὶ εἰ μιᾶς ἐπιστήμης ἢ πλειόνων τὰ αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς θεωρῆσαί ἐστιν*, ea eiicere e textu Alexandri auctoritate iubemur. — E Metaphysicis igitur quin sit removendus liber α, vix dubium potest videri; ab Aristotele autem num sit abiudicandus an quasi in miscellaneis eius libellis et com-

mentariis retinendus, et lubricum est iudicium nec multum refert utrum probaveris. Dicendi genus disputandique rationem quum considero, Aristotelis manum non prorsus agnoscere mihi videor; sed in tanta libri brevitate difficile est ex eiusmodi indiciis certi quidquam colligere. Nec spernenda est Graecorum interpretum auctoritas, qui quod Pasicli librum tribuunt, traditum accepisse, quod Aristoteli vindicant, id ex suo ingenio iudicare videntur. Itaque magis quidem eo inclino, ut non esse Aristotelis hunc librum putem, sed tamen pro certo id nolim contendisse.

Alia est libri *Δ* ratio. Enumerantur hoc libro aliquot vocabula apud philosophos quummaxime usurpata, ἀρχή, αἴτιον, στοιχεῖον, φύσις, ἀναγκαῖον, ἕν, ὄν, οὐσία, ταὐτόν, ἕτερον, ἀντικείμενα, πρότερον καὶ ὕστερον, δύναμις, ποσόν, ποιόν, πρός τι, τέλειον, πέρας, καθ' ὅ, διάθεσις, ἕξις, πάθος, στέρησις, ἔχειν, ἔκ τινος, μέρος, ὅλον, κολοβόν, γένος, ψεῦδος, συμβεβηκός, et quot modis singula usurpentur, ποσαχῶς λέγεται, exponitur. Aristotelis quidem quin sit hic liber, non est cur dubitemus; neque enim vel in sententiis vel in genere dicendi invenias, quod ab Aristotele alienum videatur, et aliquoties per reliquos Metaphysicorum libros ipse Aristoteles hunc commentarium περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων nominatim respicit, *E* 4. 1028*a* 4: φανερὸν δ' ἐν οἷς διωρισάμεθα περὶ τοῦ ποσαχῶς λέγεται ἕκαστον, ὅτι πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν. *Z* 1. 1028*a* 10: τὸ ὂν λέγεται πολλαχῶς, καθάπερ διειλόμεθα πρότερον ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς, cf. *Δ* 7. — *I* 1. 1052*a* 15: τὸ ἓν ὅτι μὲν λέγεται πολλαχῶς, ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς διῃρημένοις εἴρηται πρότερον, cf. *Δ* 6. Non significato libri argumento vel titulo eundem librum *Δ* respicere videtur *Θ* 1. 1046*a* 5 (cf. *Δ* 12), 8. 1049*b* 4 (cf. *Δ* 11), *I* 3 extr. (referri hoc potest ad *Δ* 28), 4. 1055*b* 7 (*Δ* 22), 6. 1056*b* 35 (*Δ* 13). Contra in ipso libro *Δ* disputationem de potentia et actu postea subtilius pertractandam esse dicit *Δ* 7. 1017*b* 9, quod pertinere potest ad librum *Θ*, praecipue ad *Θ* 7. De notione τοῦ συμβεβηκότος καθ' αὑτό quod ait λόγος δὲ τούτου ἐν ἑτέροις 30. 1025*a* 33, intelligere quidem possumus cum Alexandro Aphrodisiensi ad h. l. Analytica posteriora, sed cum disputationem absolutam dicat an instituendam, ipsis Aristotelis ver-

bis frustra quaeras indicatum. Denique quod dicit I5. 1021ᵃ 19: τῶν δὲ κατ' ἀριθμὸν (int. πρός τι) οὐκ εἰσὶν ἐνέργειαι ἀλλ' ἢ ὃν τρόπον ἐν ἑτέροις εἴρηται, admodum est dubium quo referendum putemus.

Aristotelica igitur huius libri origo ut traditur sine ulla varietate, ita nihil est cur in dubitationem vocetur. Sed neque hoc loco Metaphysicorum retineri, neque ad metaphysicam doctrinam referri omnino potest. Per se quidem haud absurdum fuerit, pro exordio vel alius disciplinae philosophicae vel primae philosophiae enumerare, quot modis vulgo usurpari soleant usitatissima et quasi ipsius artis vocabula; sed eiusmodi quidem descriptio, quoniam nec pertinet ad ipsam quaestionem, nec quae sit propria ac primaria vocabulorum singulorum notio decernit, praemitti debet disputationi, non interponi. Alexander quidem vulgatum libri locum iustum esse et necessarium studet demonstrare, p. 302, 18: ὅτι δὲ καὶ ἡ τάξις τοῦ βιβλίου αὕτη, δῆλον ἐκ τοῦ ποιεῖσθαι μὲν αὐτὸν τὴν διαίρεσιν τῶν πολλαχῶς λεγομένων τούτων, οἷς αἱ ἐπιστῆμαι χρῶνται, ἃ κοινῶς τῷ ὄντι παρακολουθεῖ· περὶ ὧν εἶπε καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ δεῖν τὸν φιλόσοφον πραγματεύεσθαι διελόμενον ποσαχῶς ἕκαστον λέγεται. ἀκόλουθον δέ ἐστι μετὰ τὸ δειχθῆναι περὶ τίνων ἐστὶ τῆς πρώτης φιλοσοφίας ἡ θεωρία, ὃ ἐν τῷ τρίτῳ δέδεικται, ἐφεξῆς περὶ τούτων πρώτων θεωρεῖν οἷς ἀναγκαῖον χρῆσθαι πρὸς τὴν τῶν ἄλλων τῶν μελλόντων δείκνυσθαι θεωρίαν τε καὶ δεῖξιν. διὸ καὶ πρῶτον περὶ ἀξιώματος εἶπε τοῦ ἐπὶ παντὸς δεῖν τὴν κατάφασιν ἢ τὴν ἀπόφασιν, ὄντος πρὸς τὰς δείξεις χρησίμου· μεθ' ἃ ἐν τούτῳ τὴν διαίρεσιν ποιεῖται τῶν οὕτως πολλαχῶς λεγομένων. Sed quantopere iis verbis Aristotelis, ex quibus haec repetita est ratiocinatio, et Alexander abutatur et quotcunque eum secuti sunt, facile est videre; illic enim Γ 2. 1004ᵃ 28 (per errorem enim Alexander videtur scripsisse ἐν τῷ δευτέρῳ): ὥστε διελόμενον ποσαχῶς λέγεται ἕκαστον κτλ. Aristoteles comprobat cur disputatio de unitate, diversitate, contrarietate aliisque similibus notionibus, quamquam multifariam usurpantur, tamen entis ad cognitionem pertineat; sed minime hoc dicit, enumerandum primum esse varium vocabulorum usum, id quod hoc libro fecit, deinde de ipsis notionibus, quid va-

leant quibusque inter se rationibus cohaereant disputandum esse. Praeterea si qua est libri *K* auctoritas in definiendo uberioris disputationis ordine, sicuti illic expositum principium contradictionis continuo sequitur philosophiae primae definitio et entis disquisitio, ita librum *E* post ipsum librum *Γ* ponendum neque aliud quidquam interponendum esse consentaneum est.

Quodsi quis his motus rationibus mutato librorum ordine librum *Δ* reliquis omnibus praeponere induxerit in animum, ne sic quidem omnes dubitationes videbitur sustulisse. Nam si ad primam philosophiam paraturus aditum Aristoteles vocabulorum quorundam varium usum persequi voluisset, ea nimirum vocabula eligi par erat, quorum praecipuus esset in hac philosophiae parte usus. Hanc vero legem, ab ipsa rei natura scriptam, parum videmus observatam esse; neque enim omnes persecutus est notiones, quas iure requirimus, veluti aegre desideramus vocabula *εἶδος*, *ὕλη*, *ὅρος*, *τί ἐστι*, *ἐνέργεια* al., et adiecit alia, quorum aut nullus est aut admodum exiguus in prima philosophia usus, veluti *κολοβός*, *διάθεσις*, *ἔχειν* al. Et omnino si quis vocabulorum, quorum usum exponit Aristoteles, vel delectum vel ordinem ad certam quandam legem referre susceperit, operam videtur perdere; quid quod etiam singulorum vocabulorum explicatio disputandi subtilitate longe est et physicis et metaphysicis libris inferior [1]). — Itaque suspicor Aristotelem hoc in libro nihil aliud nisi congessisse usitatissima quaedam vocabula, nulla certa ratione ductum neque in delectu neque in ordine instituendo, et hunc commentarium seorsim scripsisse ut neque cum physicis neque cum metaphysicis libris artiore quodam contextu cohaereret. — De altero capite libri *Δ*, quod ipsis verbis concinit cum Phys. II, 3, dictum est in commentario.

Iam semotis ex opere metaphysico his duobus libris *α* et *Δ*, accedimus ad librum *I*. Ibi explicato vario usu, quem vocabulum unitatis habeat, philosophus quae sit princeps eius notio investigat, eamque adversus placita Platonicorum et Pythagoreorum tuetur. Deinde notionem unitatis per ca-

1) Cf. quae adnotavi ad *Δ* 1. 4 al.

tegorias quantitatis et qualitatis ita persequitur, ut quomodo inter se opponantur unum et multa, quae sit contrarietatis notio, quae sint genere vel specie diversa, quae media inter contraria exponat, et alias quasdam quaestiones his cognatas diligenter et acute pertractet. — De Aristotelica libri origine neque ex auctoritate veterum interpretum neque ex ipsa libri natura ulla repeti potest dubitatio; et ad primam quidem philosophiam pertinere eas quaestiones, in quibus instituendis hic liber versatur, manifestum est. Primae enim philosophiae est ens cognoscere quatenus est ens; atqui reciprocas inter se esse entis et unitatis notiones in ipso introitu Metaphysicorum *Γ* 2 exposuit; ergo eiusdem est primae philosophiae, unitatis notionem et quae cum ea coniuncta sunt investigare. Atque Aristotelem quidem eo consilio hunc librum *I* scripsisse, ut cum libris antea dispositis *ΑΒΓΕΖΗΘ* una et continua serie contineretur, non improbabiliter coniicias ex initio capitis secundi: *κατὰ δὲ τὴν οὐσίαν καὶ τὴν φύσιν ζητητέον ποτέρως ἔχει, καθάπερ ἐν τοῖς διαπορήμασιν ἐπήλθομεν τί τὸ ἕν ἐστι καὶ πῶς δεῖ περὶ αὐτοῦ λαβεῖν κτλ.*; manifesto enim respicit quaestionem eam quae disceptata est *B* 4. 1001^{a} 4—^{b}25, neque tamquam petitam ex alia disciplina, sed ut quae eiusdem sit disciplinae et disputationis [1]). Sed licet de metaphysica huius libri dignitate constet et voluisse eum Aristotelem inserere operi metaphysico per libros *Α*—*Θ* continuato probabile videatur, tamen qua ratione cum illis coniunctus sit et quem potissimum locum vel priori disputationis parti, qua de unitate universe disserit, vel posteriori, ubi singula quaedam unitatis et multitudinis et contrarietatis genera persequitur, voluerit assignare, ne levissimo quidem indicio significatum est. Non continuari hoc libro quaestionem extremis libris *ΖΗΘ* propositam, sed satis magno intervallo rumpi sententiarum contextum, vel obiter legenti libros apparet. Accedit quod ne iis quidem locis ad superiores disputationes respicit, ubi id fieri iure requiras, ut re vera unum exsistat

1) Laudatur praeterea etiam liber *Z* libro *I* 2. 1053^{a} 16: *εἰ δὲ μηθὲν τῶν καθόλου δυνατὸν οὐσίαν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς περὶ οὐσίας καὶ περὶ τοῦ ὄντος εἴρηται λόγοις*, cf. *Z*, 13; sed inde non satis certo cognoscas, utrum librum *Z* ex eadem disciplina esse et eodem opere contineri voluerit necne.

disciplinae corpus; veluti quum de unitate disputat, ea, quae de unitate et notionis et rerum sensibilium antea disputavit *H* 6, ne verbo quidem commemorat nec quomodo haec inter se cohaereant exponit, nisi forte cui satisfactum videtur iis verbis quae legimus *I* 1. 1052ª 31 sqq.; deinde quod exponit, quae sint genere diversa quae specie, coniunctum id quidem est ipsa re cum ea disputatione, quam de quaerenda notionum definitione libro *Z* instituit, sed nullo modo ad eam refertur; et id genus alia poterunt afferri. Inde veri simile est, Aristotelem hunc librum de una quadam quaestione primae philosophiae seorsim scripsisse, et voluisse eum quidem coniungere cum ampliore opere metaphysico, sed id quod voluit non perfecisse. — Ceterum ne quis forte putet libro *I* contineri illam *διαίρεσιν* sive *ἐκλογὴν τῶν ἐναντίων*, quam se scripsisse aliquoties per libros metaphysicos commemorat *Γ* 2. 1004ª 2, *K* 3. 1061ª 15, eo est cautum quod eiusdem libri etiam in libro *I* mentionem facit 3. 1054ª 30.

Libri *K* priore de parte 1. 1059ª 18 — 8. 1065ª 26 supra est expositum p. 15; videri Aristotelem his capitibus eandem de prima philosophia disputationem breviter adumbrasse, quam deinde, retento eodem fere ordine, uberius et diligentius libris *BΓE* explicuerit. Et breviorem hanc doctrinae adumbrationem utrum ipse non perduxerit ad eundem locum ac pleniorem rei tractationem, an posterior pars interciderit, nec potest nec multum refert diiudicari. Ex ipso initio libri *K*: *ὅτι μὲν ἡ σοφία περὶ ἀρχὰς ἐπιστήμη τίς ἐστι, δῆλον ἐκ τῶν πρώτων, ἐν οἷς διηπόρηται πρὸς τὰ ὑπὸ τῶν ἄλλων εἰρημένα περὶ τῶν ἀρχῶν*, praepositam fuisse apparet huic libro historicam quandam disputationem, qualem habemus in libro *A*, sive ipse liber *A* etiam libro *K* praepositus fuit, sive alia eiusdem argumenti commentatio, quae brevitate a libro *A* perinde distingueretur ac liber *K* a libris *BΓE*.

Altera vero libri *K* pars 8. 1065ª 26 — 12. 1069ª 14 tam manifesto ex Physica auscultatione est excerpta, ut Graeci iam interpretes eam hanc ipsam ob causam enarrare supersederint, cf. Alex. p. 640, 30 sqq. Aristotelem autem non esse huius epitomae auctorem, equidem non dubitaverim con-

tendere. Fieri quidem potuit, ut nescio quo consilio Aristoteles opus illud physicum in brevius contraheret, sed profecto non potuit eam sui ipse operis facere epitomen, qua temere frusta quaedam evellerentur, sententiarum autem contextus prorsus obscuraretur. Sed quis fecerit hanc epitomen et qui factum sit ut metaphysicis libris insereretur, id ne divinando quidem videmur assequi posse. Ad hanc autem maxime partem (cf. praeterea *Δ* 2) pertinere videtur quod tradit Asclepius Sch. p. 519*b* 37: τὰ δὲ ἐξ ἄλλων πραγματειῶν ὁλόκληρα μετενήνεκται.

Eximius in universis Metaphysicis locus assignandus est libro *Λ*, siquidem hoc libro et libro *Z* altissima Aristoteles iacit primae suae philosophiae fundamenta. Distinguuntur autem, si vel obiter librum *Λ* legeris, et dicendi genere et rebus disceptatis duae partes, quarum altera prioribus quinque capitibus continetur, altera reliquis quinque absolvitur. In priore parte adeo breve est et asperum et abruptum dicendi genus, ut eam quidem adumbratam esse, non elaboratam liquido appareat; altera vero longe est et planius et uberius composita, ut consuetam Aristotelis dictionem facile agnoscas. Et priore quidem parte haec deinceps exponuntur: Quaerendum est de substantia, rerum enim omnium prima est substantia. Substantiarum tria sunt genera. Sensibilis substantia mutationi est obnoxia; mutatio autem ut possit esse, ponenda est materia; ad materiam, quae potentia est, non actu, ut efficiantur res concretae, vel forma accedit vel privatio, στέρησις. Nec materia prima, nec prima forma generatur. Quaecunque generantur, ea omnia generantur e substantia sibi cognomine. Distinguuntur inter se materia et forma et res sensibilis ex utraque composita; formae num possint seorsim ac per se esse quaeritur. Singularum entium categoriarum diversa quidem sunt elementa, sed quodammodo tamen, si universalem quandam similitudinem spectaveris, eadem omnium: forma, privatio, materia; ad haec tria elementa, ipsa re inclusa, quartum accedit extra rem positum: principium movens. Denique haec principia et inter se et cum diversitate potentiae et actus comparantur.

Singillatim singula posui disputationis capita, neque quem vel divinare vel ex ingenio addere possimus sententiarum

contextum significavi, quoniam Aristoteles ipse seorsim singula quaeque perstringit; quin etiam ea utitur formula: *μετὰ ταῦτα ὅτι* i. e. *μετὰ ταῦτα λέγειν δεῖ ὅτι* (3. 1069*b* 35. 1070*a* 4), ex qua appareat, eum breviter quasi in commentariis designare, quae sint exponenda, neque vero exponere.

Altera vero libri parte, facto a sensibili substantia ad substantiam aeternam et immobilem transitu 6. 1071*b* 4, uno disputandi tenore explicat, esse summum quoddam principium movens, ipsum immobile; illudque esse divinam mentem, sui ipsius contemplatione contentam, actum potentia immunem. Atque explicatis mentis divinae virtutibus et qua ratione movens ea sit principium, perversa reliquorum philosophorum placita persequitur, quae hac doctrina refutentur.

Hanc alteram libri partem et pertinere ad primam philosophiam et ex intimo eius recessu petitam esse, collata primae philosophiae definitione *E* 1 apparet; prior autem libri pars physicae magis est quam metaphysicae disciplinae. Nec tamen divelli eam posse a posteriore sed introductionis loco praepositam esse, ut a physica doctrina transeatur ad oppositam ei et eandem superiorem primam philosophiam, facile cognoscas si contuleris 1. 1069*b* 1: *ἐκεῖναι μὲν δὴ φυσικῆς (μετὰ κινήσεως γάρ), αὕτη δ' ἑτέρας, εἰ μηδεμία αὐτοῖς ἀρχὴ κοινή* cum 6. 1071*b* 3: *ἐπεὶ δ' ἦσαν τρεῖς οὐσίαι, δύο μὲν αἱ φυσικαί, μία δ' ἡ ἀκίνητος, περὶ ταύτης λεκτέον κτλ.* Et priorem quidem libri partem levissime adumbravit, sive postea uberius eadem pertractare in animo habuit, sive satis habuit in memoriam legentibus revocasse, quae maximam partem in physicis uberius essent explicata; alteram vero partem, nisi forte Platonicam in Aristotele requiris artem, satis plane et copiose elaboravit. Habemus igitur opus haud dubie metaphysicum, sed quo id vinculo coniunctum sit cum superiore disputatione per septem libros continuata frustra quaeras. Illic enim quae sunt disceptata, hoc libro ne semel quidem respiciuntur. Brandisius quidem quae quarto capite libri *Λ* exponuntur referri quodammodo censet ad quaestiones libro *B* propositas [1]); sed ego qui-

1) Endlich wird untersucht, in wiefern andere Ursachen und Principe für Anderes, in wiefern dieselben für Alles anzunehmen (c. 4), nicht ohne Berücksichtigung der Aporien des Buches *B*. l. l. p. 80.

dem reperire non possum, quam tandem quaestionem libri *B* putemus esse, quae huc referatur. Quod enim illic quaerit 4. 1000^a 5 — 1001^a 3 num aeternarum rerum et intereuntium eadem sint principia necne, quod quidem unum huc videtur trahi posse, apertum est quantum ab hac distet disputatione, qua non res aeternae et intereuntes, sed diversa sensibilium mutabiliumque rerum genera num ab iisdem suspensa sint principiis disceptatur. Quod si vel hac de re videatur dubitari posse, illud certe ne negligentissimum quidem lectorem potest fugere, si librum *Λ* Aristoteles positum esse voluisset post illam primae philosophiae institutionem, quae libris *Α* — *Θ* continetur, debuisse eum superioris disputationis mentionem facere, ubi, quae illic uberius exposita sunt, hic breviter perstringuntur. Hoc praecipue cadit in caput tertium libri *Λ* collato libro *Z*; alia praeterea in commentario allata sunt; sed nusquam commemoratae superioris disputationis vel levissimum vestigium. Neque denique inter librum *Λ* et superiores illos libros vel omnes vel aliquot ea intercedit ratio, quae inter librum *K* et libros *BΓE*, ut eadem brevius vel paullo aliter exposita sint, quae illic quoque disceptata sunt; sed quae in ipsa metaphysica libri *Λ* parte explicantur, si omiseris prooemium physicum, plane sunt nova neque ex ulla superiorum librorum parte repeti possunt. Alterum igitur in hoc libro *Λ* videmur habere opus metaphysicum Aristotelis, distinctum et seiunctum a superiore; uberior illa commentatio suis et quasi domesticis primae philosophiae innititur principiis, haec physicae disciplinae artissime adnectitur; illa vel pertinet ad omnes primae philosophiae partes, vel ita est instituta, ut possit ad omnes pertinere, haec unum quendam et peculiarem locum, de summo principio movente, reliquis omissis pertractandum sibi sumpsit. Altera commentatio cum altera nullo modo est coniuncta; utra prius scripta videatur, difficile est iudicium, quamquam conferentes caput tertium libri *Λ* cum libro *Z* magis eo inclinabimus, ut librum *Λ* prius esse scriptum opinemur.

Denique extremi duo libri *M* et *N* inter se quidem ipsos ita connexi, ut ubi aptissime alterum distingueretur ab altero dubitatum sit (vid. ad *M* 9. 1086^a 21), a reliquis li-

bris metaphysicis aliquanto longius distant. Quam quaestionem tractare his libris susceperit Aristoteles, ipso initio declarat: quaerendum enim esse dicit, num sit praeter substantias sensibiles alia immobilis et aeterna, et si sit, qualem eam esse statuendum sit; id quo diligentius decernatur, percensendas esse superiorum philosophorum de eadem re sententias. Itaque Platonicorum praecipue et Pythagoreorum de numeris eorumque principiis placita persequitur et quas in reprehensiones incurrant exponit. Non ad aliam philosophiae partem nisi ad primam philosophiam pertinere quae de his rebus disputantur, et ex ipsa rei tractatae natura cognoscitur si contuleris primae philosophiae definitionem *E* 1, et ab Aristotele significatur, quum quidem physicam disciplinam huic disputationi opponit *M* 1. 1076a 9. Et ad ampliorem quidem illam de prima philosophia disputationem *A*—*Θ* hos etiam libros referre voluisse Aristotelem inde concludas, quod quaestiones libro *B* propositas nominatim respicit *M* 2. 1076a 39: *εἴρηται μὲν καὶ ἐν τοῖς διαπορήμασιν ὅτι δύο ἅμα στερεὰ εἶναι ἀδύνατον* cf. *B* 2. 998a 7—19. *M* 2. 1076b 39: *ἔτι ἅπερ καὶ ἐν τοῖς ἀπορήμασιν ἐπήλθομεν πῶς ἐνδέχεται λύειν* cf. *B* 2. 997b 12—34. *M* 10. 1086b 14: *ὃ δὲ καὶ τοῖς λέγουσι τὰς ἰδέας ἔχει τινὰ ἀπορίαν καὶ τοῖς μὴ λέγουσι, καὶ κατ' ἀρχὰς ἐν τοῖς διαπορήμασιν ἐλέχθη πρότερον, λέγωμεν νῦν* cf. *B* 6. 1003a 6—17, ac vicissim *H* 1. 1042b 22: *περὶ δὲ τῶν ἰδεῶν καὶ τῶν μαθηματικῶν ὕστερον σκεπτέον* promittere videtur hanc commentationem. Quem autem locum in universa disciplinae tractatione hos libros habere voluerit, difficile est decernere. Post librum *B* eos ponendos esse ex locis modo allatis cognoscitur; iam vero librum *B* qui excipiunt libri *ΓΕΖΗΘ* ita sunt vel sua natura vel per auctoritatem libri *K* inter se coniuncti, ut nusquam reperias ubi apte hos libros interponas. In fine autem totius operis ponendos esse hos libros neque per se consentaneum est, siquidem enarrandis et iudicandis aliorum philosophorum placitis ordiri potius quam concludere disputationem Aristoteles solet, neque ex ipsis libris satis certo colligitur. Nimirum aliquoties per hos libros quae alibi demonstrata sint in memoriam revocat, sed ea vel manifesto pertinent ad libros physicos,

cf. *M* 1. 1076ᵃ 9, vel quum possint videri ad Metaphysica pertinere, possunt tamen etiam referri ad physicos libros, cf. ad *M* 1. 1076ᵃ 10. *N* 2. 1088ᵇ 24; et quae contra ideas Platonicas per libros *Z* et *H* disputavit, ne verbo quidem respicit. Librum *I* certe non scripsisse Aristotelem ante libros *MN* vel iis non voluisse praeponi apertum est; alioquin quae *N* 1. 1087ᵃ 33 de unitatis notione copiose disserit supersedisset profecto explicare, quoniam eadem dilucide *I* 1 persecutus est. — Quare ut referendos esse hos duo libros ad primam philosophiam constat, ita quo sint loco in universo doctrinae corpore ponendi in medio videtur relinquendum. Nec magis de ea parte libri *M* (c. 4. 5) quae iisdem fere verbis legitur *A* 9 vel certum iudicium habeo vel probabilem coniecturam.

Haec si cum aliqua veritatis specie disputata sunt, de metaphysicorum librorum ordine et contextu hunc fere in modum videtur statuendum esse:

Uno Metaphysicorum volumine duae continentur de prima philosophia disputationes, altera uberior et ita instituta, ut universam primae philosophiae doctrinam Aristoteles complecti susciperet, continuatur per libros *ABΓEZHΘ*, et eius quidem disputationis pars *BΓE* brevius adumbrata superest in libro *K* 1—8. Ad eandem disputationem Aristoteles referre constituit librum *I* et libros *MN*, sed quibus potissimum locis eos poni voluerit dubium est. Altera commentatio, non destinata ad complectendam universam primae philosophiae doctrinam, sed ad tractandam peculiarem quandam quaestionem, uno libro *Λ* continetur. — Liber *Δ* Aristotelis quidem est, sed alienus a prima philosophia; interpositus autem videtur metaphysicis libris, quia in his aliquoties respicitur, et praepositus quidem libro *E*, quia in hoc demum disputationis περὶ τῶν πολλαχῶς λεγομένων mentio fit. — Liber *α* num sit Aristotelis in dubitationem iure vocatur; sed sive est Aristotelis, sive non est, a prima philosophia profecto est seiungendus. — Denique libri *K* pars altera a posteriore quodam philosopho ex Physicis Aristotelis negligenter est excerpta. — Hos quatuordecim libros quicunque primus in unum volumen coniunxit, propter id ipsum, quia prima philosophia non continuo ordine et ra-

tione in iis pertractata videtur, Aristotelico ipsius disciplinae nomini πρώτη φιλοσοφία, θεολογία, σοφία, praetulisse videtur eam inscriptionem, quae locum modo et ordinem horum librorum significaret, τὰ μετὰ τὰ φυσικά.

Duae restant quaestiones, de quibus quid videatur breviter est significandum. Primum enim quaeritur, num his libris metaphysicis absoluta videri possit et conclusa Aristotelis de prima philosophia doctrina, deinde num iidem libri elaborati sint et eam in formam redacti, qua eos edere constituerat, an adumbrati tantum ut eos retractaret et copiosius demum elaboratos ederet.

Et perfectam quidem absolutamque non esse his libris primae philosophiae disciplinam, vel ex iis quae supra exposita sunt intelligitur. Partes enim habemus quatuor *AB ΓEZHΘ*, *I*, *MN*, *Λ*, quas eiusdem esse disciplinae ex ipsa rerum tractatarum natura necessario colligimus; et tres quidem priores partes voluisse se in unum corpus coniunctas esse, ipse Aristoteles significavit quidem, sed non coniunxit; quartam, quam extremo posuimus loco, ne significavit quidem cum reliquis esse coniungendam. Sed etiamsi ponamus perfectum esse, quocunque id fieri potuerit modo, hunc quem desideramus librorum contextum, insertos suis locis librum *I* et libros *M* et *N*, conglutinatum cum his librum *Λ*, ne sic quidem absoluta videri poterit primae philosophiae doctrina; desiderabuntur enim etiamtum disputationis partes neque exiguae neque leves. Exposuit Aristoteles de summo motus principio immobili; sed ut plana sint et perspicua omnia, quae de ea re disseruit, qua tandem ratione a primo illo motore descendatur ad causas moventes, quae singulis in rebus cernuntur, ac praecipue ad id motus genus, in quo cardo vertitur totius doctrinae Aristotelicae, quo potentia ad actum transducitur ac perficitur, vel forma cum materia coalescit, frustra vel levissimo vestigio significatum quaeras. Mentis divinae naturam luculente et sublimiter explicuit; esse illam summam ἐνέργειαν ab omni potentiae admistione immunem, summum τί ἦν εἶναι a sensibili materia integrum; sed quae inter hanc ἐνέργειαν et singulas singularum rerum ἐνεργείας, vel inter hoc τί ἦν εἶναι et rerum vel aeternarum vel intereuntium τὰ τί ἦν εἶναι intercedat

ratio, non magis inveneris indicatum. Haec aliaque eiusdem modi plura iure desiderabit, qui universam Aristotelis de prima philosophia doctrinam concipere animo et complecti susceperit. Iam intercidisse quosdam Metaphysicorum libros temporis iniuria, quamquam non prorsus est incredibile, nullo tamen satis certo documento confirmatur. Aliquoties quidem Aristoteles per libros metaphysicos se expositurum quaedam pollicetur, quae frustra his aliisve in libris Aristotelicis quaeras, cf. ad *Z* 13. 1039*a* 22. *M* 3. 1078*b* 5; sed quod se promittit expositurum, inde nondum conficitur ut re vera exposuerit. Et quod Asclepius tradit interiisse quosdam e libris metaphysicis Eudemo traditis et a posterioribus male suppletos esse ex reliquis scriptis Aristotelicis, cf. p. 7, id haud scio an concluserit magis ex singulari illa et mira libri *K* forma, quam certis auctoribus traditum acceperit. — Aristoteles vero ipse num de illis rebus, quas requiri ad concludendam universam doctrinam indicavi, certi quidpiam statuerit quidem apud animum, sed vel omiserit scriptis exponere vel morte interceptus non potuerit, ut interpretis sit concludendo colligendisque singulis partibus omnibus supplere has lacunas, quoniam in coniectura omne est iudicium positum, alii aliter sentient; equidem magnopere me dubitare profiteor, num illis etiam in quaestionibus doctrinam suam plene absolverit et concluserit Aristoteles. Is enim ut est diligentissimus in cognoscendis rebus singulis, quorum ingentem prorsus et prope incredibilem animo complexus est scientiam, ut est acutus et ingeniosus in redigendis his singulis rebus ad summas, quas distinxit, omnium entium categorias: ita quum de iaciendis altissimis doctrinae fundamentis et de confirmandis interque se conciliandis principiis agitur, plurimum relinquit dubitationis [1]). Quapropter ut interpretis munere sincere et modeste fungi viderer, quae Aristoteles ipse disseruit, ea quam diligentissime putavi explicanda, hos autem fines divinando et coniectando egredi religionis esse duxi; verendum est enim ne ausi ex ingenio supplere et concludere doctrinam Aristotelicam in eandem incidamus in-

1) Cf. Zeller Phil. d. Gr. II. p. 405—408, 562 sqq. Heyder Arist. und Hegel'sche Dialektik I, 1. p. 181 sqq.

iuriam, quam Aristotelem haud raro in referendis veterum philosophorum placitis commisisse cognoscimus.

Elaborati autem ad edendum an adumbrati modo sint libri metaphysici, non instituerem quaerere, nisi me moveret Brandisii ea de re sententia. Is enim in eximia illa, quam de Metaphysicis Aristotelis scripsit, commentatione prope ubique Metaphysicorum disputationem adumbratam modo esse significat [1]). Quod si ita voluit accipi, universae philosophiae primae descripta tantum esse lineamenta quaedam ab Aristotele neque totum opus ad finem perductum, hanc quidem sententiam plane esse probandam supra mihi videor demonstrasse. Sin hoc voluit dicere, id quod ex eius verbis prope necessario colligas, vel singulas disciplinae partes singulosque libros adumbratos tantum esse, necdum elaboratos ad edendum, magnopere dubitaverim ei assentire. Asperius quaedam dicta et parum apte disposita nec ubique singulas disputationis partes arte inter se contextas esse in ipsis iis libris, quos cohaerere inter se apertum est, limaturum etiam fortasse fuisse quaedam auctorem, si retractandis libris otium aetasve suppetiisset, quis est qui neget; sed ita nondum comprobatum est, adumbrasse modo Aristotelem quae postea elaboraret et elaborata ederet. Conferre iuvabit libri Δ capita quinque priora et cum altera libri Δ parte et cum reliquis libris metaphysicis omnibus; illa enim quinque capita profecto leviter modo adumbrata sunt, et iniquius de Aristotele iudicare videatur, si quis eum haec, qualia nunc exhibentur, edere voluisse contenderit; sed ea quantum a reliquis et dicendi genere et disputandi ratione distent, neminem potest fugere.

Exposita de librorum metaphysicorum ordine et contextu ea sententia, quam ad veritatem proxime accedere putem, iam quid alii viri docti, quorum libros initio prooemii indicavi, de eadem re censuerint, paucis commemorabo. Quae qui-

1) Cf. p. 77: Einen ohngleich befriedigenderen Entwurf besitzen wir von dem zweiten Haupttheile der ersten Philosophie des Aristoteles, in den Büchern *E* bis *Θ* und *Λ*, aber doch auch nur einen bald mehr bald weniger ausgeführten Entwurf. p. 69: Auf diese antinomische Erörterung — folgt in dem kurzen (*K*) wie in dem ausführlichen Entwurf (*Γ* und *E*) die positive Bestimmung etc. p. 70. 71. 72. 87.

dem sententiae quamquam longe inter se differunt, sunt tamen quaedam quae quum a plurimis probentur ex ipso hoc consensu maiorem auctoritatem videantur accipere.

Petitus, qui primus hanc quaestionem diligentius excussit, quoniam id maxime spectavit, ut libros metaphysicos vel singulos vel aliquot inter se coniunctos redigeret ad inscriptiones librorum Aristotelicorum a Diogene Laertio traditas, non est quod eius coniecturis multum immoremur. Etenim quam sit incertum et lubricum hoc coniectandi genus supra monuimus p. 6, ac praecipue eos libros, quos potissimum in Metaphysicis invenisse sibi visus est, τοὺς περὶ φιλοσοφίας, distinctos fuisse a libris metaphysicis, Brandisii doctrina et diligentia demonstratum est, cf. p. 6.

Ei opinioni, ut in Metaphysicis quaerendos esse libros περὶ φιλοσοφίας autumet, Buhlius quum et ipse assentiat, eo tamen distat a Petito, quod et aliis in libris Metaphysicorum hos contineri putat ac Petitus, et praeterea magnam Metaphysicorum partem ab Aristotele abiudicat. Ipsos libros περὶ φιλοσοφίας, hoc est autem ipsa Aristotelis Metaphysica, contineri putat his libris *ΒΓΕΖΗΘΙ* (quamquam de libro *Ι* quid iudicandum sit dubitat) *ΜΝ*. Libros *Κ* et *Λ* c. 1—5 posteriore tempore ex Aristotelicis scriptis esse congestos; alteram libri *Λ* partem Aristotelis quidem esse, sed operis a Metaphysicis distincti fragmentum quoddam. Librum *Δ* seiungendum esse a Metaphysicis et pro singulari quadam Aristotelis de diversis vocabulorum aliquot notationibus commentatione habendum. Libros *Α* et *α* maxime quidem eo inclinat ut spurios esse iudicet; si sint genuini Aristotelis a Metaphysicis certe alienos esse et ad alia opera delegandos. — Huius sententiae maximam partem certis argumentis comprobare et difficile est nec magnopere in ea re laboravit Buhlius.

Qui proxime post Buhlium eandem quaestionem diligentius et copiosius tractare instituit, Franc. Nic. Titze, quamquam errori illi de libris περὶ φιλοσοφίας inhaeret et ipse ac saepe incertae divinationi nimium indulget, plura tamen protulit, quae etiam post explosam a Brandisio illam opinionem probanda videantur. Duplicem enim statuit in Metaphysicis exstare eiusdem operis recensionem, alteram contineri libris

ΑΚΛ, et eos quidem esse libros, quos *περὶ φιλοσοφίας* Aristoteles scripsisse tradatur; postea Aristotelem, quae libro *K* breviter abumbravit, uberius exposuisse libris *ΒΓΕΖΗΘΙ*, et addidisse ad praeparandam extremi libri disputationem commentationem historicam, quam habemus in libris *MN*; ita quidem ut altera Metaphysicorum recensio absolvatur per hos libros *ΑΒΓΕΖΗΘΙΜΝΛ*. Librum *Δ* ad logica scripta esse referendum, librum *α* ad Physicam auscultationem.

Titzii sententiam paullum immutavit, non emendavit Io. Car. Glaser. Omissa enim illa de libris *περὶ φιλοσοφίας* opinione, quae interim refutata erat, et ipse duplicem totius operis exstare putat recensionem. Breviorem contineri libris *ΑΚ* 1—8 *Λ*, reliquam enim libri *K* partem non esse ab Aristotele scriptam vere iudicat. Iam quae libri *K* priore parte perstringuntur, uberius exposita esse libris *ΒΓΕ*; eandem rationem, ut quae altero loco abumbrata sunt, eadem altero exponantur, intercedere libri *Λ* tribus primis capitibus cum libris *Z* et *H*, quarto libri *Λ* capiti cum libro *I*, quinto cum libro *Θ*, sexti capitis priori parti cum libro *M*; proximae brevioris recensionis parti *Λ* 6—10. 1075^a 25 quae responderent in uberiore rei tractatione intercidisse; denique extremam libri *Λ* partem inde a 10. 1075^a 25 concinere cum libro *N*. Librum *Δ* aptissime post librum *B* interponi, librum *α* ad physica scripta referendum esse. Inde hanc habemus duplicem operis metaphysici formam:

Α	*K* 1—8 *Λ* 1—6	*Λ* 6—10	*Λ* 10
Α	*ΒΔΓΕ* *ΖΗΙΘΜ*		*N*.

Perturbatum potius quam restitutum esse hac ratione librorum metaphysicorum ordinem vix est quod moneamus attentos eorum lectores; levissimis ac prorsus inanibus argumentis Glaserum usum esse ad confirmandam suam coniecturam exposui in Jahnii Annal. 1841. XXXII, 4. p. 371 sqq.

Vulgato librorum ordini vel plane vel paucis immutatis patrocinati sunt Biese, Brummerstädt, Michelet. Et Biese quidem librum *α* ad Physica pertinere censet[1]), reliquorum de ordine quamquam non diserte quid censeat exponit, tamen quod eodem, quo nunc vulgantur ordine libri,

1) Phil. des Aristot. I. p. 395 not.

vernacule eos interpretatur, eum probare hunc ordinem iure colligas. Ne hoc quidem libello a Metaphysicis secluso, universum, qui nunc vulgatur, librorum ordinem tuetur et argumento copiose exposito comprobare studet Brummerstädt. Denique Michelet, si omittimus quae de tempore, quo singulos Metaphysicorum libros primum conscripserit Aristoteles, deinde coniunxerit, tum retractaverit et auxerit, scire sibi videtur, ab hac sententia ita tantum discedit, ut libros *MN* ponendos censeat ante librum *Λ*. — Hi quidem viri dum patrocinari videntur eximio, quod praedicant, Aristotelis operi, vereor ne summam auctori inferant iniuriam; quam enim socordiam et negligentiam vix in levissimo scriptore ferendam putes, eam summo philosopho adscribere non dubitant.

Brandisii de libris metaphysicis sententiam non est cur denuo exponam; eius enim potissimam sententiam me secutum esse ab initio disputationis dixi, et sicubi discedendum videbatur in ipsa iam disputatione monui.

Eodem fere quo Brandisius tempore hanc quaestionem eximia cum doctrina et diligentia tractavit vir doctus Francogallus Felix Ravaisson, qui quod haud paucis in rebus consentit cum Brandisio, cuius nondum noverat commentationem, aliquid videtur ad confirmandam eam sententiam momenti afferre. Ravaisson enim librum *α* a metaphysicis libris ad physicos transferendum censet, deinde librum *Δ* suo loco movendum ac praeponendum universo operi metaphysico; hunc esse illum librum quem Diogenes nominavit *περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων*, atque, ut sit seorsim scriptus, aptum tamen videri ad praeparandam primae philosophiae institutionem [1]). Librum *I* eo quidem esse consilio scriptum, ut insereretur primae philosophiae, sed posteriore libri parte aliquanto longius discessisse philosophum ab ipso fine, qui erat propositus, neque postea librum ita immutasse et conformasse, ut apte posset toti operi intexi [2]). Libri *K* prio-

1) Il faut le rapporter avant le I^er, comme une dissertation préliminaire. p. 89.

2) Mais cette question (du véritable rapport de l'être et de l'un) est ici dépassée de trop loin, et le X^e livre, dans son développement, forme un véritable épisode. Nous le considerons comme une étude qui devait être fondue dans la Métaphysique, et qui n'a pas subi cette opération. p. 95.

rem partem recensionem esse alteram librorum *BΓE*, fortasse discipulorum in usum scriptam, quum denuo docere Aristoteles primam philosophiam institueret. Alteram libri *K* partem physicae doctrinae esse fragmentum, quod ipsi Aristoteli assignare Ravaisson non videtur dubitare. Denique extremos tres libros ita esse transponendos, ut priore loco ponantur libri *MN*, quibus aliorum placita enarret et iudicet, posteriore loco liber *Λ*, quo suam ipsius sententiam exponat; vulgatum ordinem non ex natura rei, sed ex ipso, quo scripti sint libri, tempore ortum esse videri; scriptum enim esse librum *Λ* ante libros *MN* inde probabiliter colligi, quod in libro *Λ* omnino nusquam disputationem libris *MN* absolutam respiciat. Itaque ipsos libros metaphysicos ita inter se esse continuandos, ut, praeposito introductionis loco libro *Δ* περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων, subsequantur *ΑΒΓΕΖΗΘΙ*1—4 *ΜΝΛ*.

Omissis aliis rebus, de quibus viro doctissimo non possum assentire, id unum quaerendum videtur, quod commune habet cum aliquot ex interpretibus antea nominatis, rectene statuerit librum *Λ* ponendum esse post libros *MN*. Quodsi ea intercederet inter librum *Λ* et libros *MN* necessitudo, ut quibus de rebus libris *MN* aliorum persequitur placita, de iisdem libro *Λ* suam explicet sententiam, probabilis profecto esset is librorum ordo, quem Ravaisson restitui voluit. Verum non est ita. Namque libris *MN* de ideis numerisque et de eorum principiis quid docuerint Platonici et Pythagorei explicat; quibus placitis si eas volebat suae philosophiae partes opponere, quibus illa refutarentur, numeris idealibus veram vel suam de rebus mathematicis sententiam debebat opponere, quae quidem in ipso principio libri *M* exponitur, ideis autem suam de notione substantiali, τῷ τί ἦν εἶναι, doctrinam, qualem libro *Z* disceptatam legimus. Horum autem nihil inveniri in libro *Λ* ex argumento libri supra enarrato apparet. Quapropter quoniam inter hos libros neutiquam ea intercedit necessitudo, quam et Ravaisson et alii invenire sibi visi sunt, nihil proficimus ad restituendum continuum disputationis tenorem, sive libros *MN* ante librum *Λ* sive post eum ponimus.

Denique Aug. Bernh. Krische ubi in interpretandis

Ciceronis libris de natura deorum ad hanc quaestionem defertur, in universum quidem de ordine ac ratione librorum metaphysicorum Brandisio videtur assentire (l. l. p. 271), neque totam quaestionem de integro persequitur, sed praecipue quo tempore et ordo et titulus nunc vulgatus in usum venire coeperit inquirit, ut inde intelligatur, quo pertineant notissima illa et multum disceptata verba Ciceronis de nat. deor. I 13, quibus Aristotelem in tertio de philosophia libro multa turbasse iudicat. Ea verba referenda esse demonstrat ad Metaphysicorum librum *Λ*. Phaedrum autem, philosophum Epicureum, cuius e libro *περὶ θεῶν*, neque ex ipsis veterum philosophorum scriptis, Cicero hauserit quae de eorum placitis narret, usum videri editione Metaphysicorum a viro docto Alexandrino, fortasse ab Hermippo, instructa, in qua primae philosophiae institutio conclusa esset his tribus libris *ΑΚΛ* et significata, secundum librum *K* 3. 1061b 5, 4. 1061b 25 *φιλοσοφίας* nomine; nec tamen debere nos deceptos nominis similitudine hos libros eosdem putare fuisse, atque eos quos *περὶ φιλοσοφίας* se scripsisse Aristoteles aliquoties commemorat. — Haec sententia, a Krischio docte et acute exposita, ut est satis probabilis et ad explicanda verba Ciceronis aptissima, ita tot nititur coniecturis, ut ad certum iudicium eam posse adduci vix crediderim; sed etiamsi certo constaret, ab antiquiore aliquo editore hos tres libros *ΑΚΛ* tamquam continuos coniunctos fuisse, ad cognoscendum genuinum Metaphysicorum ordinem id certe non pertineret, quoniam haec librorum coniunctio vulgato nunc librorum ordine non melior sed vel minus apta est.

A.

CAP. I.

Describitur quomodo gradatim a sensuum perceptione ad cognitionem principiorum ascendatur. Communis animalibus omnibus perceptio est quae per sensus fit — 980a 28, ad eam in quibusdam accedit animalibus perceptarum imaginum mansio sive memoria — b26, coniunctae eiusdem rei complures recordationes in homine potissimum experientiam efficiunt — 981a 1. Ex experientia ars exsistit et scientia, et praestat quidem ars experientia eo quod et universum spectat, non res singulas, et causam cognitam habet, unde fit ut doceri possit — b13. Artes autem eo plus habere iudicantur dignitatis, quo longius absunt a necessitudine vitae, et ut theoreticae practicis praestant, ita summum obtinet locum principiorum cognitio sive sapientia — 982a 3.

Cum universa huius capitis disputatione conferenda sunt quae de eadem re eodem modo Aristoteles explicuit Anal. post. II 19. 99*b* 34—100*b* 17, Waitz ad h. l. Trendelenb. El. log. §. 69 (edit. III.).

980*a* 22 *τοῦ εἰδέναι*. Verbi *εἰδέναι* notio ab Aristotele saepius ita refertur ad cognitionem ipsius naturae ac substantiae rei (*B* 2. 996*b* 19: *τὸ εἰδέναι ἕκαστον — τότ' οἰόμεθα ὑπάρχειν, ὅταν εἰδῶμεν τί ἐστιν*. *Z* 1. 1028*a* 36) et ad cognitionem causae (*A* 3. 983*a* 25: *τότε γὰρ εἰδέναι φαμὲν ἕκαστον, ὅταν τὴν πρώτην αἰτίαν οἰώμεθα γνωρίζειν*. 1. 981*a* 24. 28. *α* 2. 994*b* 29), ut ipsam scientiam significet eam, quae ratiocinando confecta, certis argumentis innixa, ab omni denique opinationis arbitrio libera, proprie hoc nomine digna est, ideoque cum verbo *ἐπίστασθαι* ut synonymum coniungatur *A* 2. 982*a* 30, *b*21. *α* 2. 994*b* 20. 21. An. pr. II 21. 67*b* 3—6. An. post. I 2. 71*b* 16 sq. Phys. I 1. init. al.

Hoc autem loco latius patere eius verbi vim neque adstrictam esse illis philosophiae finibus, immo εἰδέναι ea potius accipiendum significatione, quam vulgo habet, ex proximis verbis apparet, quum quidem inde, quod sensuum perceptionibus delectamur easque magni facimus, comprobari dicit insitum hominibus scientiae studium. Nimirum sensuum perceptio quam longe distet a scientia hoc ipso capite exponit. Sed licet latius extendi huius notionis fines videantur, manet tamen de qua hic maxime agitur inter εἰδέναι et πράττειν oppositio, cf. *a* 22 χωρὶς τῆς χρείας, 24 μηθὲν μέλλοντες πράττειν, 2. 982*b* 21.

980*a* 21 σημεῖον — 28 τὰ ζῷα. A natura insitam dicit omnibus animalibus sentiendi facultatem; etenim ipsa animalis natura et notio, qualem Aristoteles statuit, in eo cernitur, quod sentiendi facultate praeditum est, hoc differt τὸ ζῷον et τὸ ζῶν, de an. II 2. 413*b* 1: τὸ μὲν οὖν ζῆν διὰ τὴν ἀρχὴν ταύτην (int. δι' ἧς αὔξησίν τε καὶ φθίσιν λαμβάνουσι) ὑπάρχει, τὸ δὲ ζῷον διὰ τὴν αἴσθησιν πρώτως, de sens. 1. 436*b* 10. Eandem sentiendi facultatem alibi appellat δύναμιν σύμφυτον κριτικήν Anal. post. II 19. 99*b* 34, quia, ut est in libro de anima III 2. 426*b* 10, κρίνει τὰς τοῦ ὑποκειμένου διαφοράς. Ac prae ceteris quidem sensibus videndi sensus multa percipit rerum sensibilium discrimina, quibus definiatur eorum natura (cf. de voc. διαφορά *A* 4. 985*b* 13. *H* 2. 1042*b* 12, 32. 1043*a* 19. *A* 9. 992*b* 3, 5), ideoque sua ac propria virtute reliquis praestat, cf. de sens. 1. 437*a* 2: πολλὰς γὰρ εἰσαγγέλλουσι (int. αἱ αἰσθήσεις) διαφοράς, ἐξ ὧν ἥ τε τῶν νοητῶν ἐγγίνεται φρόνησις καὶ ἡ τῶν πρακτῶν. αὐτῶν δὲ τούτων πρὸς μὲν τὰ ἀναγκαῖα κρείττων ἡ ὄψις καὶ καθ' αὑτήν, πρὸς δὲ νοῦν καὶ κατὰ συμβεβηκὸς ἡ ἀκοή. διαφορὰς μὲν γὰρ πολλὰς εἰσαγγέλλει καὶ παντοδαπὰς ἡ τῆς ὄψεως δύναμις διὰ τὸ πάντα τὰ σώματα μετέχειν χρώματος, ὥστε καὶ τὰ κοινὰ διὰ ταύτης αἰσθάνεσθαι μάλιστα· λέγω δὲ κοινὰ σχῆμα, μέγεθος, κίνησιν, ἀριθμόν. Quia igitur non omnino videndi sensus reliquis praestat sensibus, sed singularem etiam vim ad excolendum animum audiendi habet sensus, ideo non simpliciter dicit omnibus rebus nos praeferre videndi facultatem, sed cum aliqua restrictione f e r e, p r o p e d i x e r i m omnibus rebus, πάντων

ὡς εἰπεῖν τῶν ἄλλων. **Hanc enim vim habet formula** *ὡς* *εἰπεῖν*, **ut id, cui adiecta est, vocabulum in artiores fines redigat et non sua ac plena significatione accipiendum esse moneat.** Quare apud Aristotelem, qui praecipue hanc formulam frequentat, saepissime eam iis vocabulis additam invenies, quibus quid vel affirmatur universe vel negatur, veluti *πᾶς*, *ἕκαστος*, *ἄπειρα*, *μόνον*, *οὐθέν*, cf. ut intra metaphysicos libros consistamus, *E* 2. 1026*b* 9. *Α* 5. 985*b* 31. *B* 3. 998*b* 32. *Z* 1. 1028*b* 7. *Γ* 5. 1010*a* 30. *M* 9. 1085*b* 11. *N* 1. 1087*b* 19. Heindorf et Stallb. ad Plat. Phaedon. 66a. Krüger gr. Gr. §. 55, 1. A. 2.

980*a* 28 *ἐκ δὲ τῆς αἰσθήσεως* — *b* 26 *καὶ ταῖς μνήμαις.* Quibus animalibus praeter sensum etiam memoriam inesse significat, eadem paullo infra *b* 26 vivere dicit *ταῖς φαντασίαις καὶ ταῖς μνήμαις*. Nimirum licet ex sensu proficiscatur memoria (*ἐκ τῆς αἰσθήσεως — ἐγγίγνεται μνήμη*), non ex ipso tamen sensu continuo exsistere memoriam placet Aristoteli, sed intercedente imaginatione, *τῇ φαντασίᾳ*, cuius de vi ac natura cf. de anim. II 3. Est enim memoria *φαντάσματος, ὡς εἰκόνος οὗ φάντασμα, ἕξις* de mem. 1. 451*a* 15. Itaque quum suspensa sit ab imaginatione memoria, angustioribus continetur quam sentiendi facultas finibus; sensus enim animalibus inest omnibus, imaginatio multis, non omnibus, cf. de anim. III 3. 428*a* 22, II 3. 415*a* 10; latius autem quam ratio patet memoria, ut quae multis insit animalibus rationis expertibus, de mem. 1. 450*a* 15. — Quaecunque autem animalia memoria sunt praedita, ea dicit *φρονιμώτερα καὶ μαθητικώτερα* reliquis esse, siquidem nec prudentia, qualiscunque omnino tribui potest animalibus, nec docilitas haberi potest, nisi quae sensibus percepta sunt retineantur; et primum quidem utramque et prudentiae et docilitatis virtutem omnibus tribuit animalibus memoria praeditis, deinde quae prudentia tantum sint, quae praeterea docilia distinguit. (Minus apte hanc distinctionem plerique libri statim ab initio ponunt: *τὰ μὲν φρόνιμα, τὰ δὲ μαθητικώτερα τῶν μὴ κτλ.*, Bekkeriana lectio: *ταῦτα φρονιμώτερα καὶ μαθητικώτερα* et Alexandri auctoritate et sententiae ratione confirmatur.) Et *φρόνησιν* quidem quod tribuit Aristoteles animalibus, non plena ac propria huius vocabuli vi

utitur; est enim φρόνησις ἀρετὴ τοῦ λογιστικοῦ Top. V 5. 134*a* 34. 6. 136*b* 11. 8. 138*b* 2. VI 6. 145*a* 29 sqq., et quae in rebus agendis cernitur φρόνησις, ea dicitur esse ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά Eth. N. VI 5. 1140*b* 5, cf. Trendelenb. de anim. III 3, 3; sed latiore quodam sensu hoc vocabulo utitur, quem et usurpat saepe in iis libris, qui sunt de animalium natura et partibus, et diserte significat in iisdem Ethicis Nic. IV 7. 1141*a* 26: διὸ καὶ τῶν θηρίων ἔνια φρόνιμά φασιν εἶναι, ὅσα περὶ τὸν αὑτῶν βίον ἔχοντα φαίνεται δύναμιν προνοητικήν. Aptissime hanc φρόνησιν describit Alex. ad h. l. τὴν κατὰ τὰς φαντασίας ἀκρίβειαν καὶ διάρθρωσιν, καὶ τὴν περὶ τὰ πρακτὰ φυσικὴν εὐστροφίαν. — Docilia autem (μαθητικά) num sint animalia necne, ex audiendi facultate suspensum est; etenim non per se quidem, sed per accidens plurimum confert et audiendi facultas ad discendum, de sens. 1. 437*a* 11, et lingua ad docendum, de part. an. II 17. 660*a* 15. — Et apem quidem, quamquam audiendi sensu videtur carere, Hist. an. IX 40. 627*a* 17, et esse animal prudens et unde repetenda sit haec prudentia saepe Aristoteles monet, veluti de part. an. II 1. 648*a* 6. 4. 650*a* 25 al. Quod quum satis consentaneum sit et cum latiore illo, quem supra exposui, φρονήσεως ambitu concinat, illud iure mireris, quod alibi imaginatio num sit apibus tribuenda dubitat, de an. III 3. 428*a* 10, quum tamen hoc loco apum prudentiam a memoria repetat, quae sine imaginatione non potest esse. Quae num possint inter se conciliari, alii viderint; equidem potius eam mihi videor agnoscere dubitationem, quam et de maioribus rebus et de minoribus saepe reperias apud Aristotelem.

980*b* 27 τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων — 981*a* 12 τέχνης. Reliquis animalium generibus humanum genus eo praestat, quod et artem habet et λογισμούς. Significat Aristoteles vocabulis λογίζεσθαι, λογισμός eam rationem, per quam, quid sit verum quid falsum, quid sit faciendum quid non, deliberamus causasque in utramque partem perpendimus, cf. Eth. N. VI 2. 1139*a* 12: τὸ γὰρ βουλεύεσθαι καὶ τὸ λογίζεσθαι ταὐτόν — ὥστε τὸ λογιστικόν ἐστιν ἕν τι μέρος τοῦ λόγον ἔχοντος. de anim. III 11. 434*a* 7: ἡ δὲ βουλευτικὴ (sc. φαντασία) ἐν τοῖς λογιστικοῖς· πότερον γὰρ πράξει τόδε ἢ τόδε,

λογισμοῦ ἤδη ἐστὶν ἔργον. Errori quoniam obnoxius est *λογισμός*, coniungitur cum *δόξῃ*, Anal. post. II 19. 100*b* 7, reliquis autem praeter hominem animalibus non assignatur, de anim. III 10. 433*a* 12, *b* 29, ut qui suspensus sit a perpendendis causis. — Neque vero ex ipsa memoria secundum Aristotelis sententiam continuo prodire existimanda est ars vel scientia, sed media intercedit experientia, *ἐμπειρία*. Exsistit autem experientia, quum plures eiusdem rei conceptus inhaerentes in animo et memoriae infixi in unam quasi summam coaluerunt, *αἱ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσιν*, vel ut est in Anal. post. II 19. 100*a* 5: *αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τῷ ἀριθμῷ ἐμπειρία μία ἐστίν.* Plures autem rerum singularum conceptus ita tantum in unum possunt coire, ut quae in iis communia sunt retineantur, abiiciatur vero quidquid inter se diversum habent et contrarium. Itaque necessario per experientiam a conceptibus singulis singularum rerum ad universale quidpiam adscenditur, ideoque in Anal. l. l. cum *ἐμπειρίᾳ* coniungitur *τὸ καθόλου, τὸ ἓν παρὰ τὰ πολλά* — *ἐκ δ' ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλά.* Nihilo tamen secius, licet et experientia universale quidpiam concipiamus et scientiae ea ipsa sit natura ut universalibus notionibus conficiatur, distingui tamen experientiam a scientia ex proxima disputatione manifestum est, et vel inde potest colligi, quod experiëntiae aliqua pars etiam reliquis animalibus assignatur 980*b* 26. Et Analyticorum quidem l. l. si contuleris, illud unum videtur esse scientiae et experientiae discrimen, quod scientia ultra experientiam ad universaliores etiam atque etiam notiones escendit, cf. Alex. p. 5, 27 sqq. Subtilius vero et accuratius discrimen in his Metaphysicorum verbis significatum invenias, nam praeterquam quod ars, et quod de arte dictum est idem ad scientiam pertinebit, altius usque ad universaliora escendit, hoc ei proprium est, quod quae communia complectitur ea *κατ' εἶδος ἓν ἀφορίζει*, h. e. per experientiam eiusdem similiumve rerum imagines sensu conceptae et memoriae infixae nihil aliud quam in summam quandam coalescunt, per artem et scientiam notionis fines accurate describuntur; illa necessario cohaeret cum singularum

rerum conceptibus nec divelli ab iis potest (*ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἕκαστόν ἐστι γνῶσις* 981*a* 15), scientia vero et ars versatur in notionibus universalibus, solutis ac liberis a conceptu singularum rerum, ideoque, etsi orta est a principio ex experientia 981*a* 2, cf. Anal. pr. I 30. 46*a* 18 et Waitz ad h. l., tradi tamen etiam iis potest, qui careant experientia.

981*a* 3 *ὡς φησὶ Πῶλος*. cf. Plat. Gorg. 448c: *ἐμπειρία μὲν γὰρ ποιεῖ τὸν αἰῶνα ἡμῶν πορεύεσθαι κατὰ τέχνην, ἀπειρία δὲ κατὰ τύχην* et Stallb. ad h. l. Petitam esse hanc sententiam ex iis libris, quos de arte oratoria Polus composuit, uberius docet Spengel Art. script. p. 84—87.

981*a* 7 *ὑπόληψις* quid sit Aristoteli explicat Trendel. de anim. p. 469, ibi quae forte desiderentur supplevit Biese I. p. 211 et rectius Waitz Org. I. p. 523. Significat enim *ὑπολαμβάνειν* sumere et statuere aliquid pro vero, sive illud est verum sive secus. Itaque opponitur verbo *λέγειν* *Γ* 3. 1005*b* 25: *οὐκ ἔστι γὰρ ἀναγκαῖον, ἅ τις λέγει, ταῦτα καὶ ὑπολαμβάνειν*, coniungitur autem pro synonymo cum verbo *τιθέναι* *Β* 3. 998*a* 20. 22, et *ὑπόληψις* cum nomine *δόξα* (cuius voc. de notione cf. ad *Β* 2. 996*b* 28) promiscue usurpatur, veluti *Α* 8. 1073*a* 17: *ἡ περὶ τὰς ἰδέας ὑπόληψις*, *Μ* 4. 1078*b* 13: *ἡ περὶ τῶν εἰδῶν δόξα*. — Vernacule *ὑπόληψις* fere interpreteris *Annahme* vel *Ansicht*.

981*a* 12 *πρὸς μὲν οὖν* — *b*9 *διδάσκειν*. Actio quaelibet in singulis versatur rebus (cf. Eth. N. VI 12. 1143*a* 32: *ἔστι δὲ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἐσχάτων πάντα τὰ πρακτά κτλ.* 8. 1141*b* 16), universalia autem ita tantum spectat, quod singulae, in quibus cernitur, res communi quodam genere et lege continentur eique subiiciuntur, *ὑγιάζει ὁ ἰατρεύων — Καλλίαν — ᾧ συμβέβηκε καὶ ἀνθρώπῳ εἶναι* *a*20, ubi quidem verbum *συμβαίνειν* seposita omni fortuiti notione ea usurpatur sententia, quae accuratius per *συμβαίνειν καθ' αὑτό, συμβεβηκὸς καθ' αὑτό* significatur, cf. ad *Δ* 30. 1025*a* 30. Artis vero ea est natura, ut non ad singulas res referatur, sed communem totius generis legem scribat, *a* 16, 21, cf. Rhet. I 2. 1356*b* 28. Quare experientia, quae in singulis rebus percipiendis cernitur, quantum ad usum vitae pertinet, arte non modo inferior non erit, sed saepe etiam superior, *κυριώτερα γάρ ἐστι πρὸς τὴν χρείαν τῶν καθόλου*

τὰ καθ' ἕκαστα τῶν πραγμάτων Rhet. II 19. 1393*a* 17; nimirum tum maxime experientia superabit artem, si quis per artis institutionem notionem quidem et universalem legem est edoctus, nec tamen singulas res usu cognovit (quod quomodo fieri possit explicatum est Anal. pr. II 21. 67*a* 9—*b* 11), *τῶν ἄνευ ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων* *a* 14. Significat enim *λόγον ἔχειν* notionem rei perceptam habere; quum autem *λόγος*, notio, universalem rerum similium naturam complectatur (cf. *Z* 10. 1035*b* 34: *ὁ λόγος ἐστὶ τοῦ καθόλου*. *K* 1. 1059*b* 26. *Λ* 5. 1071*a* 29), ideo eadem vi ac *λόγον ἔχειν* deinceps scribit Aristoteles *τὸ καθόλου γνωρίζειν* *a* 21. — Sed licet ad agendum et ad usum vitae ars non praestet experientia, sciendi tamen laus arti potius quam experientiae tribuenda est, propter id ipsum quia ars notionem rei perceptam habet, ex qua ad cognoscendam causam proceditur *a* 29; causae enim cognitione perficitur et consummatur scientia, cf. ad 2. 982*b* 5. Tribui autem arti potius quam experientiae sciendi laudem verbo *ἀκολουθεῖν* significat, *ὡς κατὰ τὸ εἰδέναι μᾶλλον ἀκολουθοῦσαν τὴν σοφίαν πᾶσιν* *a* 26, quo quidem verbo *ἀκολουθεῖν* pariter ac verbo *ἕπεσθαι* Aristoteles denotat praedicari aliquam notionem de altera, ita ut hac posita illa etiam ponenda sit, cf. *Γ* 2. 1003*b* 23. et de interpr. 13 passim. Itaque verba *ὡς ἀκολ. τ. σ. π.* significant sapientiam tribui cuilibet pro modo sciendi, non pro facultate agendi. — Iste autem principatus, qui artibus prae experientia tribuitur, quoniam a cognitione notionum universalium repetitur, ipsarum etiam artium faciendum est discrimen; sunt enim quaedam artes, quae alias gubernant et quid iis sit perficiendum praescribunt, sunt vicissim aliae, quae imperia illorum exsequuntur; ex quibus manifesto illae maiorem habent sapientiae laudem quam hae. Et illas quidem artes gubernatrices Aristoteles *ἀρχικωτέρας* *Λ* 2. 982*a* 14, *ἀρχιτεκτονικάς* Eth. N. I 1. 1094*a* 14. VI 8. 1141*b* 22. 25 earumque artifices *ἀρχιτέκτονας* appellat, has artes *ὑπηρετούσας* nominat *Λ* 2. l. l. et artifices *χειροτέχνας* 981*b* 1. Cf. de hoc discrimine Eth. N. VI 8. l. l.: *τῆς δὲ περὶ τὴν πόλιν ἡ μὲν ὡς ἀρχιτεκτονικὴ φρόνησις νομοθετική, ἡ δὲ ὡς τὰ καθ' ἕκαστα τὸ κοινὸν ἔχει ὄνομα, πολιτική*, et Zell ad Eth. Nic. I 1. p. 5 sq.

981*b* 5 ὡς οὐ κατὰ τὸ — 6 γνωρίζειν. Difficultas quaedam in hac cernitur sententia, quae utrum emendandis verbis an explicandis tollenda sit dubium est. Etenim quae proxime antecedunt verba si respexeris, σοφωτέρους ὄντας ad χειροτέχνας referendum putabis; e contextu autem sententiarum non χειροτέχνας sed ἀρχιτέκτονας intelligendos esse apparet, qui sapientiores dicantur. Iam sublata profecto erit haec difficultas, si cum codd. *A*b*D*b verba *b*1 τοὺς δ' ὥσπερ — 5 δι' ἔθος omiseris, quam rationem Schweglerus iniit. Ac sane neque Alexandri auctoritas huic emendationi obstat, quoniam is τῶν ἀψύχων nullam facit mentionem, ut illa verba videri possit in suo textu non habuisse, neque quidquam desideraveris, si illa verba omittantur. Attamen et rerum inanimarum cum opificibus comparatio aptior est, quam quae ex glossemate iure repetenda esse videatur, neque verborum illorum τοὺς δ' ὥσπερ κτλ. conformatio grammatica adeo est perturbata, id quod contendit Schweglerus, ut inde concludas ea omittenda esse; pendent enim verba τοὺς δ' et reliqua a verbo νομίζομεν; denique codici *A*b in consensu reliquorum prope omnium tantum tribuere auctoritatis dubitaverim (cf. Vol. I. praef. p. XV), praesertim quum saepius in eo libro aliquot verba omissa esse ex var. lect. facile cognoscatur. — Itaque si esset coniectura opus, eo potius inclinarem ut ante ὡς οὐ excidisse putarem architectorum mentionem, τοὺς δὲ ἀρχιτέκτονας κατὰ λόγον vel κατὰ τέχνην (cf. Schw. ad h. l.), sed videtur acquiesci posse in textu vulgato. Subiectum enim enunciati ὡς οὐ κτλ. non repetendum est e superioribus verbis, sed supplendum cogitatione pronomen indefinitum τινας, quae ellipsis ut frequens est et finitis in modis et in infinitivo, ita neque in participio videtur offendere posse, quamquam consimile quod afferam exemplum non habeo. Hoc igitur Aristoteles videbitur dicere: In rebus inanimis a naturali quodam instinctu, in opificibus a consuetudine causam repetimus agendi; neutri generi propterea sapientiam adscribimus, quoniam eius vis non in agendi facilitate, sed in cognoscendis rerum causis cernitur. [Fort. scribendum est ὧν οὐ κατὰ τὸ πρακτικοὺς εἶναι σοφωτέρους εἶναι τοὺς σοφωτέρους ὄντας. *Hk.*]

981*b* 7 σημεῖον sensu logico, quem recte huc trahas, explicatur Anal. pr. II 27. 70*a* 7 sqq. Trendel. El. log. §. 37.

Ars quoniam cognitione perficitur, tradi docerique potest; vicissim inde quod potest ars doceri, experientia vero non potest, concludi licet, arti potius quam experientiae sciendi laudem esse assignandam, cf. Plat. Alcib. I. p. 118d: *καλὸν δήπου τεκμήριον τῶν ἐπισταμένων ὁτιοῦν, ὅτι ἐπίστανται, ἐπειδὰν καὶ ἄλλον οἷοί τε ὦσιν ἀποδεῖξαι ἐπιστάμενον.* — *b*9 *δύνανται γάρ, οἱ δὲ οὐ δύνανται διδάσκειν.* Plenius dici poterat *οἱ μὲν γὰρ* (int. *οἱ τεχνῖται*) *δύνανται, οἱ δὲ* (int. *οἱ ἔμπειροι*) *οὐ δύνανται διδάσκειν.* Eiusdem breviloquentiae exempla attulit Krüger gr. Gr. §. 50, 1. A. 12.

981*b* 9 *ἔτι δὲ τῶν αἰσθήσεων* — 13 *ὅτι θερμόν.* Causae in cognitione artis ac scientiae cerni dignitatem apparere dicit ex comparatione sensuum. Etenim sensuum perceptiones, quia neque universale quidquam concipiunt nec causas perspiciunt (cf. Anal. post. I 31), sapientiae nomine insignire nemo inducit animum, quamquam rerum singularum sensus sunt *κυριώταται γνώσεις*, h. e. penes sensus est de rebus singulis ac sensibilibus iudicare et decernere quid sit verum, quid secus, cf. *Γ* 5. 1010*b* 12: *οὐ δήπου ὁμοίως κυρία ἡ τοῦ ἰατροῦ δόξα καὶ ἡ τοῦ ἀγνοοῦντος.* de somn. 2. 460*b* 21: *κυριωτέρα γὰρ τῆς ἁφῆς ἡ ὄψις.* Singularum enim rerum externarum cognitio non aliter potest quaeri nec aliunde est suspensa, nisi a sensibus (cf. *A* 9. 993*a* 7: *ὧν ἐστὶν αἴσθησις, ταῦτα πῶς ἄν τις μὴ ἔχων τὴν αἴσθησιν γνοίη*), qui in suis quisque et propriis rebus numquam falluntur sed verum ubique cognoscunt, *Γ* 5. 1010*b* 2. de anim. II 6.

981*b* 13 *τὸ μὲν οὖν πρῶτον* — 27 *ὁμογενῶν.* Artes inter se ut tempore inventionis ita dignitate differunt; inventae enim primum eae sunt artes, quibus vitae necessitates suppeditantur; posteriores tempore, sed dignitate superiores eae accesserunt, quae ad liberalem vitae cultum pertinent; denique ut postremo inventae sunt, ita summum obtinent dignitatis gradum eae artes, quae ab omni usu exemtae ac liberae unice in contemplando eo, quod est verum, versantur, h. e. artes theoreticae. — *τὸ μὲν οὖν πρῶτον* ex aliquot codd. consentiente Asclepio et, ut videtur, Alexandro praetuli vulgatae lectioni *τὸν μὲν οὖν πρῶτον*, quia, si sequentes enunciationes contuleris, apparet non de

ipso primo artis alicuius inventore agi, sed universe eum significari ordinem et decursum inventionis, ut primum quidem inventae et probatae sint quaelibet artes, deinde quum inter plures artes (*πλειόνων δ' εὑρισκομένων τεχνῶν*) dignitatis discrimen fieri possit, necessariis artibus praeponantur eae, quae cultum vitae spectant, denique his omnibus artibus ex utroque genere inventis (*ὅθεν ἤδη πάντων τῶν τοιούτων κατεσκευασμένων*) accesserint artes theoreticae. Atque istud quidem et temporis et dignitatis discrimen ut apte significetur, iure requiras *τὸ μὲν οὖν πρῶτον*, non *τὸν μὲν οὖν πρῶτον*. — Cuiuslibet artis inventor ab initio laudandus videbatur, utpote egressus solam sensuum perceptionem, quae quia communis est omnibus hominibus *κοινή* dicitur, *παρὰ τὰς κοινὰς αἰσθήσεις* *b* 14. — Necessitati vitae, *τοῖς ἀναγκαίοις*, opponitur *ἡ διαγωγή*, quo vocabulo significari vitae cultum et quaecunque ad voluptatem potius et oblectationem, quam ad solam pertinent necessitatem, inde cognoscitur quod cum *ἡδονῇ* et *ῥᾳστώνῃ* coniungitur, cf. *b* 21: *αἱ μὴ πρὸς ἡδονὴν μηδὲ πρὸς τἀναγκαῖα* cum *b* 17: *τῶν μὲν πρὸς τἀναγκαῖα τῶν δὲ πρὸς διαγωγὴν οὐσῶν*. 2. 982*b* 23: *καὶ πρὸς ῥᾳστώνην καὶ διαγωγήν*. Eth. N. IV 14. 1127*b* 33: *οὔσης δὲ καὶ ἀναπαύσεως ἐν τῷ βίῳ, καὶ ἐν ταύτῃ διαγωγῆς μετὰ παιδιᾶς*. IX 11. 1171*b* 13: *τήν τε διαγωγὴν ἡδεῖαν ἔχει*. Polit. VIII 5. 1339*a* 25: *ἢ πρὸς διαγωγήν τι συμβάλλεται* (int. *ἡ μουσική*) *καὶ πρὸς φρόνησιν*. *b* 17: *τὴν διαγωγὴν ὁμολογουμένως δεῖ μὴ μόνον ἔχειν τὸ καλὸν ἀλλὰ καὶ τὴν ἡδονήν*. VII 15. 1334*a* 16: *χρήσιμοι — πρὸς τὴν σχολὴν καὶ διαγωγήν*. Disputat de hoc vocabulo Biese I. p. 549 not., sed eum quidem unius loci natura deceptum nimis arte huius notionis fines contrahere apparebit et eos quos laudavimus locos conferenti et praecipue Eth. N. X 6. 1176*b* 12. 14. — Has post artes, quibus et necessitates et oblectamenta comparantur, quod mathematicae exortae sunt, quae quidem primae inter theoreticas inventae sunt, id ei debetur otio, quo apud Aegyptios, geometriae auctores (Herod. II 109), pontificum ordini (*ἔθνος*, cf. Ast. lex. Plat. s. h. v.) licebat frui. Et otio quidem opus esse ad contemplandam veritatem, otium negotiis, contemplativam vitam activae, theoreticas artes ac disciplinas practicis praeponen-

das esse uberius exponit Aristoteles Eth. N. X 7. cf. Polit. VII 4. 14. 15. Artem autem angustiore et peculiari huius vocabuli sensu (latiore enim sensu Graecorum τέχνην pariter ac Latinorum artem etiam ad scientiam referri vel ex superiore disputatione colligi potest 981*b* 24 αἱ μαθηματικαὶ τέχναι, cf. An. pr. I 30. 46*a* 22. An. post. I 1. 71*a* 4. Top. IX 9. 170*a* 31, 30. 11. 172*a* 29, 28 et ad Θ 2. 1046*b* 3) a scientia in Ethicis Nicomacheis, ad quae lectorem delegat, ita distinguit, ut sit τέχνη ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική VI 4. 1040*a* 20, ἐπιστήμη autem ἕξις ἀποδεικτική 3. 1039*b* 31 (cf. Anal. post. II 19. 100*a* 6: ἐκ δ' ἐμπειρίας — τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης, ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν, τέχνης, ἐὰν δὲ περὶ τὸ ὄν, ἐπιστήμης), omninoque in illa Ethicorum parte VI 3—7 cetera quoque, quae eiusdem sunt ac scientia generis (καὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμογενῶν *b* 26), veluti φρόνησιν, σοφίαν, νοῦν, definit et explicat.

981*b* 27 οὗ δ' ἕνεκα — 982*a* 3 δῆλον. Non colligit e superiore expositione Aristoteles, sapientiam communi omnium consensu pro scientia summorum principiorum haberi, nec superiora se exposuisse dicit propterea ut appareat hanc esse vulgarem de sapientia opinionem, sed quia haec esse sapientiae vis ac natura vulgo statuitur; itaque non concludit ex superiore disputatione, sed ad eam assumit definitionem sapientiae. Nimirum antea exposuit, quo et temporis et dignitatis ordine sese invicem excipiant sensus, memoria, experientia, ars, scientia; unde si voluisset repetere et conficere sapientiae definitionem, ea ipsa discrimina, de quibus lectorem ad Ethica Nicomachea remittit εἴρηται μὲν οὖν — ὁμογενῶν, diligentissime erant exponenda: tantum assecutus est, non usu, sed scientiae laude aestimari singulorum generum dignitatem. Iam vero si est ex vulgari hominum iudicio sapientia summorum principiorum scientia, eam dignitate reliquis omnibus cognitionis generibus praestare apparet ὥστε καθάπερ εἴρηται — μᾶλλον: hanc autem naturam re vera tribui sapientiae communi omnium iudicio sequenti capite demonstrat.

CAP. II.

a) *Quod vulgo statuunt sapientiam ad omnia pertinere et difficillimam esse et accuratissimam et ad docendum aptissimam neque aliunde nisi a semet ipsa suspensam: inde colligi potest, eam primarum causarum cognitione contineri* 982*a* 4—*b* 10. b) *Non ad agendum sed ad sciendum pertinere sapientiam ex eo apparet et quod ab admiratione originem cepit, et quod inventa est quum iam suppeterent quae ad victum et cultum sunt necessaria* *b* 11—28. c) *Divina iure dici potest sapientia et propter suam dignitatem et propter naturam eius, quam contemplatur, rei* *b* 28—983*a* 11. d) *Profecta ab admiratione sapientia desinit in admirationem priori admirationi contrariam* *a* 11—23.

a) 982*a* 4 *ἐπεὶ δὲ ταύτην* — *b* 10 *τῶν αἰτίων ἐστίν.* Sapientiae quae sit natura ac notio superiore capite non demonstravit, sed simpliciter contendit *ὅτι τὴν ὀνομαζομένην σοφίαν περὶ τὰ πρῶτα αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς ὑπολαμβάνουσι πάντες* 981*b* 27. Et pro certo ac manifesto paullo post hoc unum posuit, versari in cognoscendis quibusdam causis et principiis sapientiam 982*a* 2, quippe verum quidem esse ratus, sed non perinde manifestum, summas esse et principes causas, ad quas referatur sapientia. Iam quod in medio reliquit investigat, quales sint eae causae, ad quas referenda esse sapientia communi omnium consensu iudicetur. Quoniam autem non in statuenda ipsa sapientiae definitione cernitur ille opinionum vulgarium consensus, verum potius varia feruntur de sapientiae dignitate ac praestantia iudicia, haec omnia ad eandem pertinere sapientiae notionem, obscure animo conceptam, demonstrat. Et ea quidem ratio investigandi neque per se inepta est, nimirum transitur a praedicatis sive notis notionis cuiusdam ad ipsam notionem, qualem oporteat poni, ut recte ei praedicata illa tribuantur, cf. de anim. I 1. 402*b* 16—25, neque Aristoteli temere vel fortuito instituta videri poterat. Sicuti enim ipsam naturam nihil temere nec sine ratione instituere Aristoteles censet, cf. de resp. 10. 476*a* 12, ita etiam vulgatis ac late patentibus hominum opinionibus, quas *ὑπολήψεις* ipse dicit (cf. ad

1. 981*a* 7), Alexander p. 9, 19 Stoicorum, ni fallor, more apte *κοινὰς καὶ φυσικὰς τῶν ἀνθρώπων ἐννοίας* appellat, eam tribuit vim, ut non plane a veritate alienae esse videantur, cf. de divin. 1. 462*b* 14. Hanc auctoritatem ac dignitatem quum tribuat vulgatis hominum iudiciis, mirari non debemus, quod qua via iis est incedendum, qui nihil aliud nisi nominis alicuius significationem et usum constituere volunt — his enim quaerendum est, qua vi illud nomen usurpent homines, quid ei tribuant —, eandem insistat ubi ipsius rei natura, nec nominis tantum significatio ad investigandum est proposita. Ita in Physicorum libro IV ad inveniendam spatii ac temporis notionem, in Ethicis Nic. VI 7 ad definiendam sapientiam a communibus ac vulgatis proficiscitur hominum opinionibus, easque, quum singulae singulis in notis haereant, quasi unam in summam redigit; eadem ratione usus hoc loco sapientiae notionem ita investigat, ut singulas, quae vulgo ei tribuuntur, notas, quum quidem ad omnia eam pertinere et difficillimam esse et accuratissimam et ad docendum aptissimam neque alio referendam et ceterarum disciplinarum dominam esse statuunt, eas omnes pertinere doceat ad indagationem primarum causarum.

Et primum quidem quod omnia scire sapiens putatur, caute addidit *ὡς ἐνδέχεται a* 9, siquidem fieri non potest ut singulas res quisquam omnes habeat cognitas, *μὴ καθ' ἕκαστον ἔχοντα ἐπιστήμην αὐτῶν*: colligitur autem inde *a* 21—23 maxime universalem eam oportere esse scientiam, quae ad omnia pertinere iudicetur. Universalem enim qui concepit notionem, is *οἶδέ πως πάντα τὰ ὑποκείμενα*. Non simpliciter sed quodammodo eum cognovisse dicit *πάντα τὰ ὑποκείμενα*, quoniam in universali notione non actu, sed potentia continentur singulae res quae ei sunt subiectae, cf. Anal. post I 24. 86*a* 22 sqq., Phys. VII 3. 247*b* 6, Trendel. Elem. §. 6. Eas autem res singulas notioni subiectas quod vocabulo *ὑποκείμενα* significat, non possum eiusdem usus alia ex Aristotelis libris afferre exempla, quamquam ex ea vi, quam vulgo apud Aristotelem habet, facile haec significatio repeti potest. Etenim *τὸ ὑποκείμενον* quum aut id significet quod subiicitur vel formae rem definienti 3. 983*a* 30. 984*a* 22 vel accidentibus rei 3. 983*a* 16. *Z* 3. 1029*a* 1,

aut id de quo quid praedicatur h. e. subiectum logicum, *K* 6. 1063*b* 21 al.; ex altera hac significatione, quoniam praedicatur de singulis rebus notio universalis atque subiectum in affirmativis certe enunciatis minus late patere solet quam praedicatum, sponte eo ducimur, ut res singulae subiectae universali notioni dici possint *ὑποκείμενα*, sed exempla, ut dixi, plane similia desiderò, praeter id quod in hac eadem disputatione legimus *b* 4, ubi *τὰ ὑποκείμενα* opponuntur *τοῖς πρώτοις καὶ αἰτίοις*. Quodammodo comparari potest usus voc. *ὑποκείμενον* An. post. I 13. 79*a* 8. II 3. 91*a* 11.

Deinde quod sapientia difficillima esse vulgo iudicatur, *a* 10—12, 23—25, eo et distinguitur a perceptione sensuum, quae utpote communis omnibus hominibus sapientiae nullam habet laudem, *a* 11, cf. ad 1. 981*b* 14, et ad universales refertur notiones; eae enim licet suapte natura facillimae sint ad cognoscendum, tamen nobis hominibus (*χαλεπώτατα — γνωρίζειν τοῖς ἀνθρώποις* *a* 24) ideo sunt difficillimae, quod a sensibus longissime sunt remotae. De qua oppositione earum rerum, quae *φύσει* et quae *πρὸς ἡμᾶς* cognitu sint faciles, cf. ad *Δ* 11. 1018*b* 32. *Z* 4. 1029*b* 7 sqq.

Tum praecipua quaedam *ἀκρίβεια* vulgo assignatur sapientiae *a* 12, 25—28. Iam vero *ἀκρίβειαν* sive exactam et omnibus numeris perfectam cognitionem (cf. *ἀκριβέστερον ἀποδεικνύναι* cui opponitur *μαλακώτερον* *K* 7. 1064*a* 7, *ἀκριβέστεροι λόγοι* *A* 9. 990*b* 15. *M* 4. 1079*a* 11. 5. 1080*a* 10, Waitz ad An. post. I 13. 78*b* 32) tum maxime possumus consequi, quum in simplicissimis versamur notionibus. Simplicissimae autem notiones eaedem maxime sunt universales et summae et sua natura primae; reliquae enim, quae iis subiiciantur et in earum ambitum cadant, additis notis quibusdam, *ἐκ προσθέσεως* *a* 27, exsistunt. Cf. *M* 3. 1078*a* 9: *καὶ ὅσῳ δὴ ἂν περὶ προτέρων τῷ λόγῳ καὶ ἁπλουστέρων, τοσούτῳ μᾶλλον ἔχει τἀκριβές· τοῦτο δὲ τὸ ἁπλοῦν ἐστίν.* Significari autem per *πρόσθεσιν* eam notionis alicuius determinationem, quae fit additis notis, oppositam abstractioni, *τῇ ἀφαιρέσει*, quae demtis notis conficitur, et collatis aliis locis apparet, *Z* 4. 1029*b* 30. 5. 1031*a* 2. 4. *K* 4. 1061*a* 29. *M* 2. 1077*b* 10. *Γ* 2. 1003*b* 31 (cf. Trendelenburg Kategorienlehre. p. 83. n. 2, Waitz ad An. post. I 18. 81*b* 3), et illustratur hoc ipso loco

per exemplum arithmeticae et geometricae doctrinae. Nimirum ad notionem magnitudinis, in qua exquirenda versatur arithmetica, in geometria accedit extensionis nota, ut tametsi omnes omnino mathematicae disciplinae *τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως* indagare ab Aristotele iudicentur, *K* 3. 1061*a* 28. *M* 3. de coelo III 1. 299*a* 15, tamen geometria, si cum arithmetica conferatur, *ἐκ προσθέσεως* esse ideoque minus habere *ἀκριβείας* dici possit. Cf. Anal. post. I 27. 87*a* 34: *καὶ ἡ ἐξ ἐλαττόνων* (int. *ἐπιστήμη ἀκριβεστέρα ἐστί*) *τῆς ἐκ προσθέσεως, οἷον γεωμετρίας ἀριθμητική. λέγω δ' ἐκ προσθέσεως, οἷον μονὰς οὐσία ἄθετος, στιγμὴ δὲ οὐσία θετός, ταύτην ἐκ προσθέσεως.* — Itaque *ἀκρίβειαν* praecipuam qui tribuunt sapientiae, eam referre debent ad prima et simplicissima rerum genera.

Nec multum differt, quod ad docendum aptissimam statuunt esse sapientiam, *a* 13, 28—30. Docendi enim facultas omnis quum contineatur in tradendis causis rerum, sapientia ut recte iudicetur ad docendum aptissima esse, in contemplandis et investigandis causis versetur oportet; quod quidem cum superioribus propterea concinit, quia eadem et prima sunt et causae reliquorum. *ἀλλὰ μὴν καὶ διδασκαλική γε ἡ τῶν αἰτιῶν θεωρητικὴ μᾶλλον*, *a* 28. Adverbium *μᾶλλον* utrum unice ad *διδασκαλική* an idem simul ad *θεωρητική* referendum sit, et Alexander dubitat, nec facile videtur ad diiudicandum, quum utraque interpretatio habeat quo commendetur.

Denique si qua scientia non propter usum aliquem, sed propter semet ipsam petitur, *a* 14—16, 30—*b* 4, eam ipsa sciendi vi ac virtute excellere oportet. Atqui sciendi dignitas aestimatur ex dignitate earum rerum quae sciuntur. Ergo maxime scibilia esse oportet, ad quae referatur scientia propter semet ipsam expetenda. Talia autem sunt *τὰ πρῶτα*, i. e. *τὰ μὴ δι' ἑτέρων ἀλλὰ δι' αὐτῶν τὴν πίστιν ἔχοντα* Top. I 1. 100*b* 18 (cf. Waitz ad An. post. I 2. 71*b* 16) et *τὰ αἴτια*, siquidem prorsus scire aliquid nobis videmur, ubi causas cognovimus, cf. 3. 983*a* 25. *α* 2. 994*b* 29. Phys. I 1. 184*a* 12: *τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας.* cf. II 3. 194*b* 18. Anal. post. I 2. 71*b* 9: *ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθ' ἕκα-*

στον ἁπλῶς — ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν δι' ἥν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεται τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. Waitz ad h. l. 71*b* 30. Trend. El. log. §. 17. — Atque eadem primarum causarum scientia iure quasi quaedam regina ceterarum doctrinarum esse iudicatur, *a*16—19, *b*4—7, 10. Sicuti enim artium earum, quae nihil nisi instrumenta parant ac suppeditant, illa est domina, quae et ipsa cognoscit cur quidque faciendum sit et reliquis praescribit (cf. Eth. N. I 1), ita disciplinarum omnium ea videri debet domina esse, quae quem ad finem tendant omnia cognoscit, cf. *B* 2. 996*b* 10 sqq. Est autem illud τίνος ἕνεκα sive causa finalis singulis in rebus suum cuiusque bonum, in universitate autem rerum summum bonum sive mens divina, cf. *Λ* 7. Quod quidem summum bonum quum unum sit e principiis, sapientiae, quae circa principia versatur, hoc erit tribuendum, ut sit ἀρχικωτάτη τῶν ἐπιστημῶν. (τἀγαθὸν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα *b*10, cf. ad 3. 983*a* 31.)

Quidquid igitur de sapientia vulgo iudicatur, ea omnia tendunt ad eandem primarum causarum indagationem, ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην πίπτει τὸ ζητούμενον ὄνομα *b*8, i. e. nomen sapientiae, de quo quaerimus, cadit in eandem, quam modo descripsimus, summorum principiorum scientiam.

b) 982*b* 11 ὅτι δ' οὐ — 28 ἕνεκέν ἐστιν. Quoniam omnis doctrina aut ποιητική est aut πρακτική aut θεωρητική, cf. *E* 1, sapientiam ad theoreticum genus referendam esse iam inde cognoscitur (καὶ *b*11), si quis originem philosophiae respexerit. Qui enim primum philosophati sunt (ἐκ τῶν πρώτων φιλοσοφησάντων *b*11; ne quis πρῶτον, quod est in lemmate cod. *M* Alex. pro πρώτων reponere cogitet cf. 3. 983*b* 6. 29. de part. an. I 1. 640*b* 4), admiratione moti ad philosophiam accesserunt; quam quidem admirationem quum ab inscientia causae proficiscatur, ad cognoscendam causam tendere et in eius cognitione acquiescere apparet. (Quod dicit *b*20: διὰ τὸ εἰδέναι τὸ ἐπίστασθαι ἐδίωκον, non videtur de discrimine verborum εἰδέναι et ἐπίστασθαι subtilius quaerendum. Saepissime enim Aristoteles haec verba ita coniungit, ut ea nullo prorsus discrimine ab eo usurpari appareat, cf. ad 1. 980*a* 21, et quod Schweglerus esse vult discrimen, ut ἐπίστασθαι cognoscendi viam ac ra-

tionem, *εἰδέναι* sciendi finem et eventum significet, ne ex ipso quidem hoc loco potest comprobari, siquidem non verbo *εἰδέναι*, sed praepositione *διά* significatum est, quo tendat cognoscendi studium. Quodsi quid est statuendum discriminis, probabilius dixeris per verbum *εἰδέναι* cognitionem opponi actioni, cf. ad l. l., per verbum *ἐπίστασθαι* stabilem et firmam scientiam distingui ab inani opinione.) Et admirationem quidem quod philosophandi statuit causam esse, cum Platone consentit, Theaet. p. 155d: *μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἀρχὴ ἄλλη φιλοσοφίας ἢ αὕτη.* Atque ea admiratio exorsa a rebus levissimis et quae maxime sunt in promptu ad maiora paullatim et graviora escendit *οἷον περί τε τῶν τῆς σελήνης παθημάτων καὶ τῶν περὶ τὸν ἥλιον καὶ ἄστρα καὶ περὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως.* Acquiescendum putavi in lectione codicum praeter *A*[b] omnium *ἄστρα*, neque ex hoc uno libro, cui nimium videtur Brandisius tribuisse, cum Brand. et Bekk. recipiendum *περὶ ἄστρων.* Aptius enim graviora illa, quae admirationem eademque investigationem moveant, duas distribuentur in partes particulis *τε* — *καὶ* et iterata praepositione *περὶ* cum genitivo coniuncta significatas, quarum partium altera cernatur in affectionibus, in motu ac cursu lunae solis ceterorum siderum, altera in universa rerum omnium generatione; minus apte ex scriptura cod. *A*[b] divellas siderum affectiones ab affectionibus lunae et solis, ut tres exsistant indagandi causae, una in luna ac sole, altera in sideribus, tertia in omni rerum generatione. Quamquam confiteor etiam in vulgata, quam restitui, lectione, aegre me carere articulo ante *ἄστρα*, nisi, quod interdum videtur fieri, prioris vocabuli articulum, *τὸν ἥλιον*, etiam ad proximum nomen referri putemus. Alexandri in explicatione siderum mentionem frustra quaeras. — Eiusdem libri *A*[b] fidem, quam hoc loco spernendam putavi, proximis in verbis secutus sum, quod reiecta omnium et editionum et, ut videtur, codicum lectione *διὸ καὶ φιλόμυθος ὁ φιλόσοφός πώς ἐστιν* scripsi cum Alexandro p. 14, 26 transposito articulo *διὸ καὶ ὁ φιλόμυθος φιλόσοφός πώς ἐστιν.* Habet sane vulgata lectio aliquam commendationem ex Asclepio p. 529, 12—23, quamvis hic in ea explicanda frustra laborans nugetur, et obi-

ter inspicienti ad Platonis fabulas referri posse videatur; sed si universam argumentandi rationem respexeris, non videbitur retineri posse. Nimirum ex admiratione rerum mirabilium repetitur philosophiae studium, nec contra e studio sapientiae admiratio; itaque *τῷ φιλομύθῳ*, quoniam *ὁ μῦθος σύγκειται ἐκ θαυμασίων*, recte tribuitur, ut quodammodo sit philosophiae studiosus *φιλόσοφός πως*, nec vero intelligi potest, qua ratione ductus philosopho Aristoteles fabularum assignet studium.

Haec theoretica philosophiae natura eo confirmatur, quod quaeri coepta est quum iam suppeterent et quae necessaria sunt ad vivendum et quae ad victum et cultum pertinent, *πάντων ὑπαρχόντων τῶν ἀναγκαίων καὶ πρὸς ῥᾳστώνην καὶ διαγωγὴν ἡ τοιαύτη φρόνησις ἤρξατο ζητεῖσθαι* *b*22. Unus, quod sciam, Schweglerus haec verba aliter est interpretatus; is enim ratus, si ita voluisset Aristoteles enunciatum intelligi, scribendum fuisse *καὶ τῶν πρὸς ῥᾳστ.*, verba *καὶ πρὸς ῥᾳστ. κ. δ.* ad *ἤρξατο ζητεῖσθαι* trahit, et sic interpretatur: «***erst als man im Besitz alles Nothwendigen war, begann man, zum Behufe feineren, edleren Lebensgenusses auch nach wissenschaftlicher Einsicht zu streben,***» allatis ad confirmandam hanc explicationem et aliis locis, quales adscripsimus ad 1. 981*b* 18, et praecipue Polit. VII 15. 1334*a* 22: *ἀνδρίας καὶ καρτερίας δεῖ πρὸς τὴν ἀσχολίαν, φιλοσοφίας πρὸς τὴν σχολὴν καὶ διαγωγήν.* Sed neque oportebat, quod opinatur Schweglerus, iterari articulum, siquidem una notione scriptor comprehendi voluit quae vel ad sustentandam vitam necessaria vel utilia sunt ad eam ornandam; neque notiones admodum sibi affines *ῥᾳστώνη* et *διαγωγή* per particulas *καί* — *καί* coniunxisset, sed per part. *τε* — *καί*: neque *ῥᾳστώνη* significat otium, sed vivendi facilitatem vel commoditatem, philosophia autem ad otium exornandum dici potest aliquid conferre, *πρὸς τὴν σχολήν* Polit. l. l., non item ad commoditatem. Denique vocabulum *διαγωγή* latius patet, ut philosophia eodem iure et dici possit requiri ad *διαγωγήν*, et inventa demum esse perfectis iam artibus omnibus quae pertinerent ad *διαγωγήν*, cf. ad 1. 981*b* 18. Itaque redeundum ad vulgatam antiquitus interpretationem, quae magis etiam confirmari videbitur, si

quis et contulerit cap. 1 l. l., et id spectare philosophum reputaverit, ut philosophiam non ad aliud quidquam referri, sed propter semet ipsam expeti doceat.

Comparatis igitur quae ad victum et cultum pertinent rebus omnibus *ἤρξατο ἡ τοιαύτη φρόνησις ζητεῖσθαι* *b*24. Vocabulum *φρόνησις* non pertinet, qui frequentissimus est apud Aristotelem usus, ad regenda agendi consilia, sed unice ad cognitionem refertur, ut non multum distet ab *ἐπιστήμη*, cf. ad 1. 980*b* 21, et *M* 4. 1078*b* 15: *ὥστ' εἴπερ ἐπιστήμη τινὸς ἔσται καὶ φρόνησις, ἑτέρας δεῖν τινὰς φύσεις εἶναι παρὰ τὰς αἰσθητὰς μενούσας*. *Γ* 5. 1009*b* 13 coll. *B* 4. 999*b* 3. Conferri praeterea potest Platonicus eiusdem vocabuli usus, Phaed. 79d. Phileb. 13e, et Xenocratea *φρονήσεως* definitio Top. VI 3. 141*a* 7. — Itaque quum integra sit philosophia et absoluta ab omni vitae usu, homini libero, qui non ex alieno pendet imperio (cf. Pol. I 4. 1254*a* 14, Rhet. I 9. 1367*a* 32), recte comparatur, et ipsa sola omnium doctrinarum libera esse dicitur. Hoc manifesto dicit Aristoteles verbis *ἀλλ' ὥσπερ — ἐπιστημῶν* *b*25—27, sed ipsa enunciati conformatio aliquanto est impeditior, sive ea negligentia Aristoteli est tribuenda sive errori nescio cui librariorum. Nec multum profeceris si cum Brandisio ex cod. *A*[b] scripseris *αὐτὴν ὡς μόνην οὖσαν ἐλευθέραν*, quoniam superior etiam enunciati pars liberius conformata est; audacius Schweglerus verba *μόνη γάρ* omittenda censet.

c) 982*b* 28 *διὸ καὶ δικαίως* — 983*a* 11 *ἀμείνων οὐδεμία*. Humana natura quoniam multis in rebus aliunde suspensa est (*πολλαχῇ γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν ἀνθρώπων ἐστίν* h. e. *ἡ τῶν ἀνθρώπων φύσις πολλαχῇ δούλη ἐστίν*), summa illa sapientia, quae vere libera dicatur, humanae facultatis fines excedere et tamquam proprius diis honos vindicandus videtur, quemadmodum de summa atque absoluta bonitate Simonides dicit *θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας*. (Articulum ante *γέρας* cum uno cod. *A*[b] Bekk. expunxit; equidem reliquorum librorum auctoritati obtemperandum censui; licet enim metri ratio articulum respuere videatur, cf. Bergk Poet. lyr. p. 748, tamen in afferendis memoriter versibus non nimis religiosum esse Aristotelem pluribus potest exemplis comprobari. Ceterum etiam Plato articulum ha-

bet, ubi eundem Simonidis versum plane iisdem verbis affert, Protag. p. 344 c. Proxima autem verba *ἄνδρα δ' οὐκ ἄξιον μὴ οὐ ζητεῖν κτλ.* conformata ab Aristotele esse ad similitudinem Simonideorum *ἄνδρα δ' οὐκ ἔστι μὴ οὐ κακὸν ἔμμεναι*, vere Schweglerus monet.) Quare si verum esset, quod de invidia deorum antiquitus poetae cecinerunt (Herod. I 32. III 40. IV 205. VII 10. 46 et interpr. ad h. l. Cf. Lange verm. Schr. p. 238 sq. Nägelsbach hom. Theol. p. 33), in hanc potissimum sapientiam eam invidiam cadere et infaustos esse consentaneum esset, qui positum humanae naturae modum transgredi conarentur, *τοὺς περιττούς* 983*a* 2. (Vocatur enim *περιττός* qui singulari quadam virtute excellit et reliquos superat. Rhet. II 15. 1390*b* 27. Probl. XXX 1. 953*a* 10. Met. *I* 1. 1053*b* 3. Eurip. Hipp. 445. 948.) Sed procul a deo omnis est invidia (cf. Plat. Phaedr. 247 a. Tim. p. 29 d), poetarum commentis numini afficta; etenim *πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί*, ut est in proverbio, antiquissimo illo quidem, siquidem iam Solon illud tamquam proverbium in elegiis adhibuit, Bergk Poet. lyr. p. 333, cf. Schol. Platon. p. 465 ed. Bekk. Immo vero non quod homo eius expers sit sapientiae, sed alia eaque duplici ratione haec sapientia et divina et dignissima iudicanda est; etenim neque deus activam habere potest scientiam, quae ad alia pertineat, sed unice hanc sapientiam, qua semet ipsum contemplatur, cf. *Λ* 7 et 9, et quoniam deus ipse in summis esse causis et principiis communi omnium consensu iudicatur, ea sapientia, quae ad ultimas causas progreditur, divinam naturam ad investigandum habet propositam ideoque iure divina dicitur, cf. *E* 1. 1026*a* 19 sqq. — (*a* 7 *κἂν εἴ τις τῶν θείων εἴη*. In uno vocabulo *κἂν* saepe universae apodosis vis continetur: *καὶ εἴη ἂν θεία ἐπιστήμη, εἴ τις τῶν θείων εἴη*. Cf. Stallb. ad Plat. Phaedon. 71 b, et quos ille affert.)

Cum hac de divinitate contemplativae sapientiae disputatione cf. praeter *Λ* l. l. Eth. Nic. X 7 et universum caput et praecipue haec verba 1177*b* 30 sqq.: *ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη βίος κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει —. εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον. οὐ χρὴ*

δὲ κατὰ τοὺς παραινοῦντας (cf. Rhet. II, 21. 1394b 24) ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀθανατίζειν. Cf. 8. 1178b 20 sqq. Polit. VII, 2. 3.

d) 983a 11 δεῖ μέντοι — 20 μετρητή. Exorsa ab admiratione eius rerum naturae, quam usu et experientia cognovimus, sapientia desinit in admirationem aliam eamque ut est in proverbio (δευτέρων ἀμεινόνων Alex. p. 16, 18. Erasm. Adag. I, 3. 38) meliorem, ut miretur, si quis animum induxerit res aliter se habere ac vere habent. Veluti qui geometriam nondum perdidicit, quoniam linea quaelibet in infinitum dividi potest, miratur quod eadem mensura infinite parva mensurari posse negantur latus et linea diagonalis quadrati (εἴ τι τῷ ἐλαχίστῳ μὴ μετρεῖται a 17); qui vero gnarus est geometriae, is fieri non posse intelligit, ut communis sit utriusque mensura. Solenne hoc exemplum, ἀσύμμετρος ἡ διάμετρος, praecipue ubi de eo agitur, quod simpliciter et suapte natura est impossible. Cf. *Γ* 8. 1012a 33. *Δ* 7. 1017a 35. 12. 1019b 24. 29. 1024b 19. *Θ* 4. 1047b 6. Waitz ad Anal. pr. I 23. 41a 26. Anal. post. I 2. 71b 26. 33. 89a 30. Top. I 15. 106a 38. VIII 13. 163a 11. IX 6. 168a 40. 10. 171a 14. Phys. IV 12. 221a 24. 222a 4. de an. III 6. 430a 31. et Trend. ad h. l.

983a 14 καθάπερ τῶν θαυμάτων — 15 αἰτίαν. Alex. ad h. l. p. 16, 6 θαύματα interpretatur τὰ ὑπὸ τῶν θαυματοποιῶν δεικνύμενα παίγνια, ἃ ἐξ αὐτῶν δοκεῖ καὶ αὐτομάτως κινεῖσθαι. Vulgatam hanc fuisse voc. θαῦμα significationem optime cognoscitur ex loco Platonico de rep. VII 514 b, cf. Ruhnk. ad Tim. lex. Plat. s. v. θαύματα. Quemadmodum, ait Aristoteles, spectatores causarum ignari admirantur simulacra illa, quae praestigiatores fidibus vel nervis occultis movent, ut suapte sponte moveri videantur (ταὐτόματα τῶν θ.), ita solis motus et alia id genus admiratione eos implent, num vere ita res se habere possit. Hanc fere esse verborum sententiam facile apparet, sed dativum τοῖς — τεθεωρηκόσι quo referendum putem, ut apta vel tolerabilis exsistat enunciati conformatio grammatica, non possum reperire. Aptissime quidem haec verba τοῖς μήπω τεθ. τ. α. et cum grammatica enunciati forma et cum sententiarum or-

dine concinent, si post *πᾶσιν* *a* 16 posita fuerint: *θαυμαστὸν γὰρ δοκεῖ πᾶσι τοῖς μήπω τεθεωρηκόσι τὴν αἰτίαν, εἴ τι τῷ ἐλαχίστῳ μὴ μετρεῖται*, cui opponatur deinde *a* 19: *οὐθὲν γὰρ ἂν οὕτω θαυμάσειεν ἀνὴρ γεωμετρικός*. Sed quum neque e *libris* mscr. neque e commentario Alexandri afferre quidquam possim ad confirmandam hanc coniecturam, vereor audacius in transponendis verbis versari. — Aliam interpretandi viam Schweglerus ingressus est; is enim *τῶν θαυμάτων* seiungit a v. *ταὐτόματα*, et subintellecto verbo *ἐστι* idem significare existimat ac: *θαυμαστά ἐστι, καθάπερ ταὐτόματα θαυμαστά ἐστι τοῖς μήπω τεθεωρηκόσι τ. αἰτ.* Sed vereor ut haec interpretatio ferri possit; quae enim affert exempla *τῶν ἀναγκαίων ἐστί, τῶν ἀδυνάτων ἐστί* etc., ea omnia nomen adiectivum habent, non nomen substantivum; ac praeterea nomen *θαῦμα*, quum esset usitatum ad significanda praestigiatorum artificia, vix probabile est Aristotelem usurpasse ad denotandam modo admirationem his ipsis praestigiis excitatam.

983*a* 20 *τίς μὲν οὖν ὁ τρόπος τῆς ἐπιστήμης τῆς ζητουμένης, εἴρηται.* Sapientiae quae sit notio Aristoteles vulgatas de ea secutus opiniones descripsit; sapientiae autem nomine utrum universe scientiam vel philosophiam, an primam philosophiam significare voluerit, iure quaesiverit aliquis. Nimirum *σοφία* utraque vi apud Aristotelem legitur, veluti de scientia vel philosophia universe *A* 1. 981*a* 27: *ὡς κατὰ τὸ εἰδέναι μᾶλλον ἀκολουθοῦσαν τὴν σοφίαν πᾶσιν.* *Γ* 3. 1005*b* 1: *ἔστι δὲ σοφία τις καὶ ἡ φυσική, ἀλλ' οὐ πρώτη.* *K* 4. 1061*b* 32: *διὸ καὶ ταύτην* (int. *τὴν φυσικήν*) *καὶ τὴν μαθηματικὴν μέρη τῆς σοφίας εἶναι θετέον*: contra primam philosophiam vocabulo *σοφίας* significari apparet his locis *B* 1. 995*b* 12. 2. 996*b* 9. *K* 1. 1059*a* 18—32. 2. 1060*a* 10. *Λ* 10. 1075*b* 20, cf. Eth. Nic. VI 7, Waitz ad Anal. post. prooem. Atque hoc ipso capite ad definiendam *σοφίαν* plura affert, quae non ad primam potissimum philosophiam sed omnino scientiae ad naturam pertinent, veluti quod eam dicit ad docendum aptam esse et propter semet ipsam quaeri, alia id genus. Attamen si consideraveris, sapientiam ad primas rerum causas referri et maxime universalem et divinam dici, probabile videbitur, universam

disputationem, licet communes quasdam omnis scientiae notas contineat, pertinere ad primam philosophiam. Atque id, confirmatur collato *B* 2. 996b 8 sqq.; ibi enim, quum manifesto de prima philosophia disserat, ipsius huius disputationis facit mentionem: *ἐκ μὲν οὖν τῶν πάλαι διωρισμένων, τίνα χρὴ καλεῖν τῶν ἐπιστημῶν σοφίαν, ἔχει λόγον ἑκάστην προσαγορεύειν. ἡ μὲν γὰρ ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη κτλ.* Quod autem primam philosophiam hoc capite non tam certis descripsit finibus, quam *Γ* 1 et *E* 1, non possumus mirari; illis enim locis ex sua ipsius sententia primam philosophiam describit, hoc capite tantum componit, quantum ex vulgatis hominum opinionibus colligi potest, ex quibus adumbrasse huius disciplinae notionem satis videbitur.

983a 22 *τὴν ζήτησιν καὶ τὴν ὅλην μέθοδον.* Voc. *μέθοδος* apud Aristotelem latius patet, quam qua significatione in hodiernum sermonem transiit. Usurpatur quidem *μέθοδος* ad significandam viam ac rationem disputandi vel inquirendi An. pr. I 31. 46a 32, b26. II 1. 53a 2. *ζητεῖν, εὑρεῖν, ἔχειν μέθοδον* Top. I 1. 100a 18. 2. 101a 29. 3. 102b 36. *ὑπὸ τὴν αὐτὴν μέθοδον* Top. I 5. 102a 10, 37. *ἰδία, οἰκεία, ἡτισοῦν μέθοδος* Top. I 6. 102b 39. VIII 12. 162b 8. An. pr. II 23. 68b 12 (cf. *ὁδός* An. pr. II 1. 53a 2. I 27. 43a 21. 28. 45a 21, b37. 30. 46a 3. 31. 46b 24, 33. Top. II 2. 109b 14). Saepe vero hoc vocabulo non forma disputationis, sed ipsa disputatio vel disquisitio significatur, cf. *A* 3. 983b 4. 984a 28. *M* 1. 1076a 9. 9. 1086a 24. *N* 3. 1091a 20. Top. IX 11. 172b 8. 34. 184b 8 (cf. 183b 13. 184b 7). VII 3. 153a 25. Et ea quidem vi hoc loco usurpatum esse voc. *μέθοδος*, vel ex addito nomine *ζήτησις* colligas. Denique *μέθοδος* perinde ac *πραγματεία* interdum disciplinam quandam significat, via ac ratione traditam, Top. I 2. 101b 3. — Cf. de usu voc. *μέθοδος* Zell ad Eth. Nic. p. 3. Waitz ad An. post. I 1. 71a 1. Heyder krit. Darstellung etc. I 1. p. 216 not.

CAP. III.

Quatuor esse causarum principum genera ut est demonstratum in Physicis, ita comprobatur veterum philosophorum auctoritate, qui nullum praeterea genus potuerunt

reperire 983*a* 24—*b*6. *Antiquissimi enim philosophi non posuerunt aliam nisi materialem rerum causam, sive aquam, sive aërem, sive alia corpora simplicissima* *b*6—984*a* 16, *postea ipsa veritate ducti materiae addiderunt causam movendi, praeter eos qui immotam esse omnem rerum universitatem sibi persuaserunt* *a*16—*b*8, *tum Anaxagoras primus eadem rerum natura ductus tertiam ponendam esse causam intellexit, ex qua quidquid esset boni in omni rerum natura repeteretur, nec tamen eam seiunxit a causa motrice* *b*8—22.

983*a* 24 ἐπεὶ δὲ φανερὸν — *b*3 περὶ τῆς ἀληθείας. Causarum principum quaerendam esse cognitionem, qua in re primam philosophiam versari supra docuit, iam confirmat ex ipsa scientiae natura: τότε γὰρ εἰδέναι φαμὲν ἕκαστον (quod vocabulum generis neutrius esse, non masculini, ut interpretatus est Schweglerus, apparet ex locis adscriptis ad 2. 982*b* 3), ὅταν τὴν πρώτην αἰτίαν οἰώμεθα γνωρίζειν. Et primam quidem causam, τὴν πρώτην αἰτίαν, non dici eam, quae rei effectae proxima est (τὰ ἐγγύτατα αἴτια *H* 4. 1044*b* 2), id quod per usum vocabuli πρῶτος videtur licere (cf. *Δ* 4. 1015*a* 7: ἥ τε πρώτη ὕλη, καὶ αὕτη διχῶς, ἢ ἡ πρὸς αὐτὸ πρώτη ἢ ἡ ὅλως πρώτη), verum potius eam, quae non aliunde suspensa sed suapte natura causa est (cf. *Γ* 2. 1003*b* 16: τοῦ πρώτου — καὶ ἐξ οὗ τὰ ἄλλα ἤρτηται. *Z* 6. 1031*b* 12: καθ' αὑτὰ καὶ πρῶτα. 1032*a* 5 al.), et consentaneum videbitur conferenti An. post. I 24. 85*b* 23 sqq. et eos locos, quos adhibui de eadem re ad 2. 982*b* 3, et ex hoc ipso loco cognosci potest. Easdem enim causas antea dixit τὰ ἐξ ἀρχῆς αἴτια, definiens notionem causae per notionem principii ita, ut prima et absoluta causa significetur. (Conferri potest cum hac formula τὰ ἐξ ἀρχῆς αἴτια, quod saepissime Aristoteles αἴτιον et ἀρχή pro synonymis coniungit, cf. 2. 982*b* 9. 5. 986*b* 33. 8. 989*b* 23. 990*a* 2. *B* 3. 999*a* 18. *Γ* 1. 1003*a* 26. 2. 1003*b* 18 al.)

Quatuor causarum genera Aristotelem notum est distinguere, ubicunque de rerum natura et generatione agendum est, cf. ex Metaphysicis *B* 2. 996*b* 5 sqq. *Δ* 2. *H* 4. 1044*a* 33 sqq. et ad *Λ* 4, ex Physicis praecipue Phys. II 3. 7. de gener. an. I 1. V 1. e Logicis An. post. II 11. Uberius

de hac causarum distinctione et quomodo quatuor haec causarum genera ad tria revocentur disputaverunt Ritter Gesch. d. Phil. III. p. 159 sqq. Zeller Phil. d. Gr. II p. 409 sqq. Waitz ad An. post. II 11. 94*a* 20. Forchhammer Verhandl. der sechsten Vers. deutscher Philologen. 1844. p. 84—89.

Ac primum quidem substantiam et notionem substantialem (cf. ad *Z* 4 sqq.) principiorum in numero esse habendam inde apparet: *ἀνάγεται γὰρ τὸ διὰ τί εἰς τὸν λόγον ἔσχατον* *a* 28, h. e. si quis quaesiverit, cur aliquid hoc sit vel illud, quum multa possint responderi, postremo tamen, *ἔσχατον*, afferenda est ea notio, quae ipsam rei naturam exprimat (vernacule interpreteris: *denn das Warum wird zuletzt auf den Begriff der Sache zurückgeführt*). Nimirum *ἔσχατον* cum Alexandro referendum esse ad verbum *ἀνάγεται*, nec cum Hengstenbergio ad *τὸν λόγον*, confirmatur coll. Phys. II 7. 198*a* 16: *εἰς τὸ τί ἐστιν ἀνάγεται τὸ διὰ τί ἔσχατον ἐν τοῖς ἀκινήτοις, οἷον ἐν τοῖς μαθήμασιν· εἰς ὁρισμὸν γὰρ τοῦ εὐθέος ἢ συμμέτρου ἢ ἄλλου τινὸς ἀνάγεται ἔσχατον*. Iam vero quo in investigando postremo devenimus, id suapte natura primum est, Alex. p. 18, 2, atque hoc, propter quod tamquam primum (*διὰ τί πρῶτον*) quaelibet res ea est, quae est, hoc vero pro causa ac principio est habendum. Referendum esse *πρῶτον* ad *τί* neque ad *αἴτιον καὶ ἀρχή*, ut sit «propter quid tamquam primum,» sicuti paullo infra legitur *ἐξ οὗ πρώτου* *b* 8, cf. *Δ* 3. 1014*a* 26, ex eo cognoscitur, quod principii natura coniunctis vocabulis *αἴτιον καὶ ἀρχή* satis est definita, ad *διὰ τί* autem, superiora secuti, requirimus adiici quidpiam, unde non proximam quamque causae denotationem dici appareat, sed eam quae investiganti ultima, prima sit sua ipsius natura, cf. An. post. I 24. 85*b* 32: *καὶ οὕτως ἰόντες ὅταν μηκέτι δι' ἄλλο μηδ' ἄλλου ἕνεκα, διὰ τοῦτο ὡς τέλος φαμὲν ἐλθεῖν καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι, καὶ τότε εἰδέναι μάλιστα διὰ τί ἦλθεν*. — Alterum causae genus quum esse dicit *τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον* *a* 29, notio *τοῦ ὑποκειμένου*, quae latius patet, cf. *H* 4. 1044*a* 9 et ad *Α* 2. 982*a* 23, definitur apposita materiae notione. Tertio deinde generi, quod cernitur in causa motrice, quartum *τὸ οὗ ἕνεκα* oppositum esse dicit, *τὴν ἀντικειμένην ταύτῃ* *a* 31, quoniam ut altera ad originem respicit

generandi, ita altera prospicit finem. Coniungit autem causae finalis nomen τὸ οὗ ἕνεκα cum nomine boni καὶ τἀγαθόν (cf. eadem coniuncta 2. 982*b* 9. *B* 2. 996*a* 24. *b* 12. *Δ* 2. 1013*b* 25. *K* 1. 1059*a* 35 al.), quia utraque notio, si eam per se et plena absolutaque vi ceperis, idem Aristoteli significat. Summus enim finis, quo omnia tendunt, est ipsum bonum, et vicissim bonum ita tantum definit, ut illuc tamquam ad ultimum finem spectare omnia dicat. Cf. Eth. Nic. I 1. III 6. — Quatuor igitur quum sint (ἐπεὶ δέ *a* 24) causarum genera, quamquam satis est de iis disputatum (τεθεώρηται μὲν οὖν *a* 33) in Physicis, Phys. II 3. 7, adhibenda tamen sunt superiorum philosophorum placita. Hanc esse universi enunciati conformationem, nec recte Bekkerum ante τεθεώρηται μὲν οὖν plene distinxisse, demonstravi Obs. ad Met. p. 34. cf. Obs. ad Moral. p. 12—16. Quae ibi attuli exempla, eorum numerus ex Aristotele multo potest augeri, nec magnopere distat haec conformatio ab ea forma periodorum Latinarum, de qua exposuit Nägelsbach lat. Stilistik §. 116.

983*b* 1 τοὺς πρότερον — 3 ἀληθείας. Superiores philosophos quod dicit venisse εἰς ἐπίσκεψιν τῶν ὄντων et philosophatos esse περὶ τῆς ἀληθείας, idem fere utrisque verbis significat. Veritatis enim quum ea sit lex, ut quae sunt, ea esse, quae non sunt, ea non esse censeantur, *Γ* 7. 1011*a* 25, non multum differt utrum entia contemplari aliquem (cf. *Γ* 1) an de veritate philosophari (cf. *α* 1. 993*b* 20) dicas. — Superiorum autem philosophorum placita quum saepissime referat Aristoteles, numquam simpliciter historici partes agit, sed ubique aliorum sententias ad suam ipsius doctrinam confert, ut eorum dubitationibus quid sit quaerendum doceamur, *B* 1 init., vel quae male illi censuerunt, evitemus, quae bene, retineamus, cf. *M* 1. 1076*a* 12 sqq. *α* 1. 993*b* 12 sqq. de coelo I 10. 279*b* 5—12. de an. I 2. 403*b* 21—24. Et hoc quidem loco superiorum philosophorum auctoritate confirmat nullum a se praetermissum esse causarum genus, similiter ac *Λ* 10. 1075*a* 25—1076*a* 4 expositam de divina mente doctrinam eo comprobat, quod ita superiorum philosophorum dubitationes omnes solvantur.

983*b* 6 τῶν δὴ πρώτων — 18 ἐκείνης. Antiquissi-

morum philosophorum (*τῶν πρώτων φ.* cf. ad 2. 982*b* 11) plerique ea unice principia posuerunt, quae si diversa distinxeris principiorum genera, ad genus materiae referenda erunt, *τὰς ἐν ὕλης εἴδει b* 7. Subtilius hoc videtur dixisse Aristoteles, quam si dixisset: *τὴν ὕλην μόνην φήθησαν ἀρχὴν εἶναι πάντων.* Quae enim principia veteres posuerunt philosophi, maxime Ionici, ea materiae, qualem Aristoteles statuit, comparari quidem possunt ita, ut ad idem causarum genus videantur referenda esse, nec tamen ipsam referunt Aristotelicam materiae notionem. Aristoteli enim materia mera est potentia generandi, *δύναμις τοῦ γίγνεσθαι*, neque ulla per se specie aut forma praedita (cf. ad *Z* 3. 1029*a* 10 sqq.) ad quamlibet formam accipiendam pariter est idonea, quae forma si accesserit ad materiam, simplex ea est generatio, *ἁπλῆ γένεσις.* Veterum autem philosophorum, qui hic recensentur, principia materialia iam certa aliqua qualitate definita statuuntur. (Cf. de gen. II 1, praecipue 329*a* 33: *πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ' αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ' οἷον θερμότης καὶ ψυχρότης, τρίτον δ' ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα.*) Itaque quum in alias rerum formas transeunt, quoniam non induunt tum primum qualitatem quandam, sed integra substantia affectiones alteram altera commutant, ea non est simplex generatio, sed alteratio, *ἀλλοίωσις*, quam quomodo distinguat a generatione perspicue exponit Aristoteles de gen. I 4. Unde veteres philosophos sublatam e natura rerum generationem mutasse dicit in alterationem, cf. Phys. I 4. 187*a* 30: *καὶ τὸ γίνεσθαι τοιόνδε καθέστηκεν ἀλλοιοῦσθαι κτλ.* I 8. 191*a* 27: *καί φασιν οὔτε γίνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε φθείρεσθαι κτλ.* — *b* 13. 16 *Σωκράτην*, usitatum Aristoteli exemplum ad significandam rem unam vere exsistentem, cf. *Λ* 8. 1074*a* 35. An. pr. I 27. 43*a* 35. Top. VIII 160*b* 27. IX 5. 166*b* 23 al.

983*b* 20 *ἀλλὰ Θαλῆς μὲν* — 27 *τοῖς ὑγροῖς.* A Thalete qui repetunt philosophiae Graecae originem, veluti Theophrastus Simpl. ad Phys. 6, faciunt illi quidem recte, quoniam Thales primus nec fabularum involucris sententiam suam texit (*οἱ μυθικῶς σοφιζόμενοι B* 4. 1000*a* 18) neque immiscuit fabulas placitis philosophicis (*οἱ μεμιγμένοι N* 4. 1091*b* 8), sed argumentis (*οἱ δι' ἀποδείξεως λέγοντες B* 4. l. l.)

sententiam suam videtur comprobare voluisse. Quamquam hoc ipso Aristotelis loco, quum quidem Thales dicitur ὁ τῆς τοιαύτης ἀρχηγὸς φιλοσοφίας, non videmur ita posse uti, ut etiam ab Aristotele universe principem philosophiae Thaletem significari putemus; dicitur potius dux ac princeps esse τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας h. e. eius quaestionis et investigationis, qua materialia principia quaerenda et ea pro principiis omnium rerum habenda esse primum statuerunt. Etenim nomen φιλοσοφία, ut est repetitum a studio sapientiae, quum omnino quamlibet significet veritatis indagationem via ac ratione institutam, non modo de universa philosophia, sed etiam de singulis eius locis ac partibus usurpatur vel de variis philosophorum placitis. Cf. φιλοσοφία universali investigationis significatione *Λ* 8. 1074*b* 11: ἑκάστης τέχνης καὶ φιλοσοφίας. Phys. I 2. 185*a* 20: ἔχει γὰρ φιλοσοφίαν ἡ σκέψις coll. Met. *N* 2. 1089*a* 24: ἔχει ἐπίστασιν. Deinde de singulis doctrinae partibus Eth. N. I 4. 1096*b* 31: ἄλλης ἂν εἴη φιλοσοφίας οἰκειότερον. *E* 1. 1026*a* 18: τρεῖς φιλοσοφίαι. Denique de variis philosophorum placitis *A* 6. 987*a* 29. 31: αἱ εἰρημέναι φιλοσοφίαι, ἡ τῶν Ἰταλικῶν φιλοσοφία. Cf. Waitz ad An. post. II 13. 96*b* 15. — Argumentationem autem, qua ductus Thales aquam habuerit pro principio omnium rerum, quum nihil de ea literis mandatum a Thalete exstiterit, 984*a* 1, Alex. p. 21, 14, divinari potius ab Aristotele quam pro certo referri ex ipsis verbis apparet λαβὼν ἴσως τὴν ὑπόληψιν κτλ. *b* 22, cf. de coel. II 13. 294*a* 29. de an. I 5. 411*a* 8. Polit. I 12. 1259*a* 18. Krische Forschungen I p. 36 not. — *b* 6: διὰ τὸ πάντων τὰ σπέρματα τὴν φύσιν ὑγρὰν ἔχειν. Cf. de an. I 2. 405*b* 3: πεισθῆναι δ' ἐοίκασιν ἐκ τῆς γονῆς, ὅτι πάντων ὑγρά. De hac significatione nominis φύσις cf. ad *Δ* 4. 1014*b* 35.

983*b* 27 εἰσὶ δέ τινες — 984*a* 3 αἰτίας. Antiquissimos poetas (quos quod θεολογῆσαι dicit cf. ad *B* 4. 1000*a* 9) sunt qui consentire putent cum Thalete de aqua rerum omnium principio, siquidem Oceanum et Tethyn generationis posuerunt parentes. Homerum quidem respici his verbis apertum est, cf. Il. XIV 201, 246, quos eosdem versus Plato adhibet ad augendam Heracliteae doctrinae auctoritatem, Theaet. p. 180 d. 152 e. 160 d; sed quos praeter Home-

rum cogitaverit Aristoteles dubium est. Si quis contulerit Plat. Cratyl. p. 402b: *ὥσπερ αὖ Ὅμηρος Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν φησι καὶ μητέρα Τηθύν· οἶμαι δὲ καὶ Ἡσίοδος· λέγει δέ που καὶ Ὀρφεύς, ὅτι*

Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο,
ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιε,

de Orpheo et Hesiodo cogitari probabiliter coniiciet. Quamquam utrumque dubitationi obnoxium est. Versus enim Orphici, quos Plato affert, non ad ipsum generationis principium pertinent, sed e media eius theogonia sunt petiti, cf. Lobeck Aglaoph. p. 508. Brandis Gesch. I. p. 62; attamen quum varie traderentur Orphica de origine mundi placita, non defuere, qui aquam pro principio positam esse referrent, cf. Lob. p. 484. Brandis p. 66. Nec minor dubitatio de Hesiodo, quem unum praeter Homerum respici Alex. ad h. l. censet; Hesiodum enim constat non ab aqua sed a chao rerum omnium originem repetiisse. Quodsi quis cum Schweglero, usus opinione eorum, qui *χάος* a verbo *χεῖσθαι* ductum putaverunt, sic Hesiodi placita cum doctrina Thaletis conciliare studeat, is vereor ne nec vere nec ex Aristotelis sententia disputet, cf. Lob. p. 472 sqq. Sed non est, cur in eam rem subtilius inquiramus; fieri enim potuit ut Aristoteles de antiquissimis poetis universe locutus vix certos quosdam ipse in mente haberet, cf. Lob. p. 488 not., vel recordatus illa Platonica verba e Cratylo num recte adhibuisset Plato Orpheum et Hesiodum non curaret. — Artificiosius adhibito syllogismo aquam pro principio rerum positam esse inde videntur quidam conclusisse, quod poetae per Stygem deos faciunt iurantes, *καὶ τὸν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ* 31. (Quod ipsam Stygem, per quam dii iurant, *ὅρκον* Aristoteles appellat, antiquiorem secutus est huius vocabuli significationem, veluti Hom. Il. XV 37: *Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι*, apud Atticos scriptores, quantum scio, non usitatam. Cf. Buttmann Lexil. II. p. 52 sqq.) Atque is syllogismus, quem Aristoteles adhibet, ut suam habeat vim neve in secunda figura ex duabus propositionibus affirmativis concludi quid videatur, protasin maiorem recte Alexander monet p. 21, 6 per conversionem simplicem in hanc esse formam redigendam: *τὸ τι-*

μιώτατον πρεσβύτατον; cui si assumpseris minorem *ὅρκος τὸ τιμιώτατον*, sequitur ut sit *ὅρκος τὸ πρεσβύτατον*.

984*a* 3 *Ἵππωνα γὰρ* — 5 *διανοίας*. Hipponém Thaleti subiunxit Aristoteles non ut aetate sed placitis proximum Thaleti. Vixisse enim Hipponem Periclis aetate et a Cratino ea comoedia, quam *Πανόπτας* inscripsit, derisum esse, docte et copiose demonstravit Bergk reliq. comoed. Att. p. 164 — 181. Principium autem rerum omnium esse censuit humidam naturam, et id praecipue egisse videtur ut profectus ab hoc principio corporum membrorumque naturam et fabricam explicaret. Qua in re quum parum subtiliter versatus esset, Aristoteles modo *τοῖς φορτικωτέροις φιλοσόφοις* eum adnumerat, de anim. I 2. 405*b* 2, modo propter *εὐτέλειαν τῆς διανοίας*, cogitandi inertiam et socordiam, a severioribus philosophis excludendum dicit; ab aequalibus vero propter ipsa haec studia, collocata in explicanda rerum natura et origine, impietatis insimulatus est. — Pauca de eo habet Brandis Gesch. I. p. 121 — 123, uberrime quaecunque de eo tradita reperiuntur collegit Bergk l. l.

984*a* 5 *Ἀναξιμένης δὲ* — 11 *ἐξ ἑνός*. Ex simplicissimis corporibus, h. e. ex elementis, quum Thales aquam pro principio posuisset, alii aliud praetulerunt, ex quo potissimum rerum omnium originem repeterent. (*τῶν ἁπλῶν σωμάτων* *a*6 pendet a voc. *μάλιστα* neque, quod Schweglerus interpretatione vernacula expressit, a nomine *ἀρχήν*. Etenim *τὰ ἁπλᾶ σώματα* sunt elementa rerum, *τὰ στοιχεῖα* 8. 988*b* 30. *Δ* 8. 1017*b* 10. *H* 1. 1042*a* 8. *K* 10. 1067*a* 1 coll. Phys. III 5. 204*b* 33; ex his igitur reliqua omnia, non haec ex aliis fiunt principiis). Et Anaximenes quidem ac Diogenes, quos perinde atque Hipponem cum Thalete Aristoteles coniunxit non ut aetate suppares sed propter similitudinem quandam placitorum, ab aëre potius quam ab aqua rerum omnium originem repetierunt, cf. Brandis Gesch. I. p. 141 sqq. 272 sqq.; Hippasus Metapontinus et Heraclitus ignem rerum omnium principium esse voluerunt. De Hippaso, qui Heraclitea placita cum Pythagoreis videtur commiscuisse, parum certi traditur, cf. Brandis l. l. p. 509 sqq. Bergk rel. com. Att. p. 178 sq. Heraclitum autem longe alia ratione ignem posuisse pro principio, quam qua Thales aquam, aërem Ana-

ximenes statuerat, satis constat, cf. Brandis l. l. p. 159 sqq., nec fallere nos debet quod Aristoteles, quum rescissa suo ex ordine et contextu veterum philosophorum placita in alienum impingit et suum in usum convertit, interdum a veritate aliquantum deflectit, cf. Zeller Phil. d. Gr. I. p. 158 et infra ad *a* 30. 5. 986*a* 17. 6. 987*b* 14 al. Empedocles denique quum quatuor simplicissima corpora coniunctim pro principiis poneret, ea aeterna et immutata manere, neque alteratione, ut superiores physiologi, cf. ad 983*b* 6—18, sed coniunctione et disiunctione elementorum singulas rerum formas exsistere censuit, cf. *Δ* 4. 1015*a* 1: *φύσις οὐθενός ἐστιν ἐόντων, ἀλλὰ μόνον μῖξίς τε διάλλαξίς τε μιγέντων.* Hanc in universum esse sententiam verborum *ταῦτα γὰρ ἀεὶ — ἐξ ἑνός* *a* 9—11 facile apparet; sed duplex superest dubitatio, quaeritur enim utrum *ἕν, ἑνός* ad sphaerum pertineat, in quem rerum universitas amicitiae vi coalescit, an ad singulas rerum formas, et verba *πλήθει καὶ ὀλιγότητι* utrum cum *γίγνεσθαι* coniungenda sint an cum v. *συγκρινόμενα καὶ διακρινόμενα*, siquidem diversa rerum natura ab Empedocle ita explicatur, quod modo plures modo pauciores singulorum elementorum partes varia ratione in una re coniuncta sint, cf. ad 10. 993*a* 17 sqq. Exposita interpretationis varietate, quae inde oritur, Alexander ad h. l. p. 22, 1—12 rem in medio reliquit. Iam vero *ἕν* sine articulo usurpatum esse ad significandum sphaerum vix est probabile, et aptius huic loco videtur, si universus mutationis decursus, quam si extrema tantum in sphaerum coniunctio exponatur. Atque *πλήθει καὶ ὀλιγότητι* si ad *συγκρινόμενα καὶ διακρινόμενα* referri et de varia mistionis ratione intelligi voluit, admodum obscure locutus esse videbitur. Quare equidem verba sic arbitror interpretanda: haec elementa manere nec aliam nisi multitudinis et exiguitatis subire mutationem, prouti modo coalescunt unius rei in forma, modo ex ea disiunguntur. Ita plane concinet Aristotelis narratio cum versibus Empedocleis 93—104 Sturz. 138—149 Karst., ex quibus praecipue extremi quinque huc pertinent:

οὕτως ᾗ μὲν ἓν ἐκ πλεόνων μεμάθηκε φύεσθαι,
ἠδὲ πάλιν διαφύντος ἑνὸς πλέον' ἐκτελέθουσιν,
τῇ μὲν γίγνονταί τε καὶ οὔ σφισιν ἔμπεδος αἰών·

ᾗ δὲ τάδ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει,
ταύτῃ δ' αἰὲν ἔασιν ἀκινητὶ κατὰ κύκλον.

Cf. Panzerbieter Beiträge zur Krit. und Erkl. des Emped. Meiningen 1844. p. 22.

984*a* 11 *Ἀναξαγόρας δὲ* — 16 *διαμένειν ἀΐδια.* Anaxagoram quod dicit Aristoteles aetate priorem esse Empedocle *τοῖς δ' ἔργοις ὕστερον*, illud quidem apparet, quoniam de philosopho agitur, *τὰ ἔργα* ipsam eius esse doctrinam et philosophiam. Sed *ὕστερος* dubium est, utrum ad tempus referendum sit quo vel coeperit philosophari vel placita sua proposuerit Anaxagoras, an ad doctrinae Anaxagoreae dignitaten et auctoritatem. Illud si probamus, Anaxagoras provectiore demum aetate ad philosophiam dicitur accessisse, quum iam Empedocles, minor ille quidem aetate, suam explicuisset doctrinam; qui quidem aetatum ordo neque ex ea temporum ratione, qualem nunc divinamus magis quam cognoscimus, potest redargui, et ab Aristotele, ut tum erat arduum temporum rationes computare, pro vero potuit haberi. Sin autem *ὕστερος* de dignitate doctrinae dictum putamus, non potest vituperationem continere, quod voluit Brandis Gesch. I. p. 242*i*, quoniam si quis est *ἡλικίᾳ πρότερος*, ei non potest vitio dari quod non pariter elaboravit, sed ut recte opponi possit priori membro *τῇ μὲν ἡλικίᾳ πρότερος*, laudem debet significare. Hoc enim videbitur dixisse Aristoteles: Anaxagoras licet aetate prior sit Empedocle, tamen si eius doctrinam spectaveris posterioribus iisque politioribus philosophis accensendum iudicabis; quod idem infra dicit 8. 989*b* 5: *Ἀναξαγόρας — ἴσως ἂν φανείη καινοπρεπεστέρως λέγων.* *b* 19: *βούλεται μέντοι τι παραπλήσιον τοῖς ὕστερον λέγουσι.* Hanc explicandi rationem diligenter et exposuit et commendavit Breier Philos. des Anaxagoras p. 85, eaque interpretatio si non necessaria, tamen propter eos, quos contulimus locos, admodum est probabilis. — Anaxagoram igitur Aristoteles non cum Empedocle quatuor elementa, sed infinitum elementorum numerum posuisse dicit; quae quidem elementa quod *τὰ ὁμοιομερῆ* Aristoteles nuncupat, suo utitur, non Anaxagoreo vocabulo, ut luculenter docuit Breier l. l. p. 1 — 45. Adverbio autem *σχεδόν* — *σχεδὸν γὰρ ἅπαντα τὰ ὁμοιομερῆ* — ambitum *τῶν*

ὁμοιομερῶν artius circumscribit; neque enim omnes eas res, quae quod e partibus constant ipsi rei similibus Aristoteles uno *τῶν ὁμοιομερῶν* vocabulo complexus est, Anaxagoras in principiis rerum voluit haberi, sed quae et alii et Empedocles principia posuerunt et elementa, terram aquam aërem ignem, ea potissimum ipse ex mistione quadam orta esse censuit, cf. de coelo III 3. 302*a* 28: *Ἀναξαγόρας δ' Ἐμπεδοκλεῖ ἐναντίως λέγει περὶ τῶν στοιχείων. ὁ μὲν γὰρ πῦρ καὶ γῆν καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις στοιχεῖά φησιν εἶναι τῶν σωμάτων καὶ συγκεῖσθαι πάντ' ἐκ τούτων, Ἀναξαγόρας δὲ τοὐναντίον· τὰ γὰρ ὁμοιομερῆ στοιχεῖα (λέγω δ' οἷον σάρκα καὶ ὀστοῦν καὶ τῶν τοιούτων ἕκαστον), ἀέρα δὲ καὶ πῦρ μῖγμα τούτων καὶ τῶν ἄλλων σπερμάτων πάντων· εἶναι γὰρ ἑκάτερον αὐτῶν ἐξ ἀοράτων ὁμοιομερῶν πάντων ἠθροισμένων.* de gener. I 1. 314*a* 24. Inde simul cognoscitur, quomodo intelligenda sint verba *καθάπερ ὕδωρ ἢ πῦρ* *a* 14; non exempla affert earum rerum *ὁμοιομερῶν*, ex quarum mistione omnem rerum varietatem Anaxagoras repetierit, quod et repugnat placitis Anaxagoreis modo enarratis neque per part. *καθάπερ* sed per voc. *οἷον* significandum erat, verum potius notionem *τῶν ὁμοιομερῶν* comparata aquae et ignis natura illustrat. Prope omnes illas res, ait, numero infinitas, quae partes habent ipsi rei similes eundem in modum, atque aqua et ignis, principia esse voluit neque aliam nisi miscendi et discernendi mutationem subire. Aquam autem et ignem potissimum ut ad explicandam *τῶν ὁμοιομερῶν* naturam adhiberet, nec potius carnes ossa alia id genus enumeraret, eo videtur effectum esse, quod Anaxagoram cum Empedocle comparat; propterea Anaxagorea elementa comparatis Empedocleis illustrat. Eadem de causa mutationis rationem, antequam verbis *συγκρίσει καὶ διακρίσει* describat, adverbio *οὕτω* videtur significasse, h. e. eum in modum, quem ab Empedocle positum esse modo dixi, *συγκρινόμενα καὶ διακρινόμενα*. Cf. Breier l. l. p. 41. Zeller Phil. d. Gr. I. p. 229 not. — Ceterum Aristotelis verba plane concinunt cum ipsis Anaxagoreis, quae servavit Simpl. ad Ar. Phys. 34 b: *τὸ δὲ γίγνεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι οὐκ ὀρθῶς νομίζουσιν οἱ Ἕλληνες· οὐδὲν γὰρ χρῆμα γίνεται οὐδ' ἀπόλλυται, ἀλλ' ἀπὸ ἐόντων χρημάτων συμμίσγεταί τε καὶ διακρίνεται. καὶ οὕτως ἂν ὀρθῶς*

καλοῖεν τό τε γίνεσθαι συμμίσγεσθαι καὶ τὸ ἀπόλλυσθαι διακρίνεσθαι.

984*a* 16 *ἐκ μὲν οὖν τούτων* — *b*8 *τοὐναντίον.* Inventa materiali causa philosophi ipsa rei natura ac veritate adacti (cf. Phys. I 5. 188*b* 29: *ὥσπερ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀναγκασθέντες*), quoniam materia non potest sibi ipsa movendi esse causa (cf. de gen. et corr. II 9. 335*b* 29 sqq.), ad addendum alterum causae genus progressi sunt illud, quod Aristotelico vocabulo appellatur *ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως.* Atque ii quidem, qui primi ad hanc quaestionem accesserunt (*ἀψάμενοι τῆς μεθόδου τῆς τοιαύτης*, cf. ad 2. 983*a* 22), quod in una materiali causa statuenda acquieverant, nihil sibi ipsi displicuerunt (*οὐδὲν ἐδυσχέραναν ἑαυτοῖς*, cf. *M* 1. 1076*a* 15: *μὴ καθ' ἡμῶν δυσχεραίνωμεν*, nec tamen renuam, si quis praetulerit e commentario Alexandri, accedente quodammodo libri *A*[b] auctoritate, scribere *ἐδυσχέραναν ἐν αὐτοῖς* h. e. *ἐν τῷ θεῖναι μόνον τὴν ἐν ὕλης εἴδει ἀρχήν.*). Exstiterunt tamen inter eos, qui victi eius quaestionis, quae est de causa motrice, difficultate, *ὥσπερ ἡττηθέντες ὑπὸ ταύτης τῆς ζητήσεως* *a* 30, non solum simplicem generationem et interitum tollerent, quae fuit communis antiquissimorum philosophorum sententia, cf. ad 983*b* 6 sqq., sed reliqua etiam mutationis genera, mutationem loci qualitatis quantitatis. Eleatas ab Aristotele significari manifestum est; sed ipsam eius doctrinae indolem non aptius describit, quam paullo ante Heracliteae philosophiae *a* 7. Nam Parmenides certe non potest dici victus motricis causae investigandae difficultate *τὸ ἕν* immobile statuisse; cessit potius, licet invitis sensibus, cogitandi necessitati; quoniam cogitari non possit notio *τοῦ γίγνεσθαι*, sed caeco surdoque similis sit, si quis idem et esse et non esse contendat, propterea id quod est immobile et aeternum esse censet; cf. Parm. v. 49 Karst. Nec recte Eleatae in eodem possunt ordine poni cum Ionicis illis philosophis, qui unum statuerunt principium materiale, quod quidem Aristoteles facit et *a* 29: *ἔνιοί γε τῶν ἓν λεγόντων* et *b* 1: *τῶν μὲν οὖν ἓν φασκόντων εἶναι τὸ πᾶν.* Hoc altero etiam loco, licet vocabulum *τὸ πᾶν* apte videatur ad Eleatas referri posse, non hos solum dici sed utrosque et Ionicos physiologos et Eleatas una comprehendi no-

tione, et consentaneum est collato superiore loco *a* 29, et inde confirmatur, quod in Eleatis, quippe qui immobilem statuerent rerum universitatem, ne quaeri quidem poterat de causa motrice. De formula ἓν τὸ πᾶν cf. ad 8. 988*b* 22. Unus Parmenides quodammodo causam motricem posuit, neque tamen in ea, cui ipse fidem habuit, philosophia, sed ἐν τοῖς πρὸς δόξαν, ubi quidem sensuum iudicio et vulgi opinionibus tantum concessit, ut generationem, quam tollendam funditus cognoverat, explicare studeret, cf. Parm. v. 112 sqq. Karst. Itaque Parmenidem Aristoteles eatenus modo accessisse dicit ad statuendum principium movens, quatenus (κατὰ τοσοῦτον ὅσον *b* 3) duo principia, calidum et frigidum, posuit, alterum ut movens, alterum ut materiale; quae quidem duo principia quia non in ipsa philosophiae expositione sed ἐν τοῖς πρὸς δόξαν statuit, non ἁπλῶς sed πως *b* 4 posuisse dicitur. — Proxima verba τοῖς δὲ πλείω ποιοῦσι μᾶλλον ἐνδέχεται λέγειν *b* 5 non debemus quaerere ad quem philosophum referenda sint, qui quum plura statueret elementa uni ex his tribuerit vim motricem. Tantum enim dicit Aristoteles: potuisse eos philosophos, qui plura statuerent rerum elementa, facilius pervenire ad inveniendam causam motricem; atque id eos potuisse proximis verbis exemplo Parmenidis illustrat οἷον τοῖς θερμὸν καὶ ψυχρὸν κτλ., quem eundem iam antea dixit eatenus causam motricem, principium movens statuisse, quatenus non unam sed duas causas esse poneret. Ad Parmenidem enim referenda esse haec verba οἷον τοῖς κτλ. apparebit conferenti 5. 986*b* 31. de gen. et corr. I 3. 318*b* 6. Quod si quis Empedoclem potius his verbis significari putaverit, quoniam is ignem reliquis tribus elementis opposuerit et maiorem ei dignitatem tribuerit, cf. ad 4. 985*a* 31, ea quidem ratio argutior videtur esse quam verior; ignem enim licet Empedocles supra reliqua elementa dignitate efferret, tamen vix videtur tantum a sua ipsius sententia discessisse, ut vindicatam amicitiae et contentioni vim motricem ad hoc elementum transferret.

984*b* 8 μετὰ δὲ τούτους — 22 τοῖς οὖσιν. Cognitis his duobus causarum generibus, μετὰ τὰς τοιαύτας ἀρχάς h. e. τὰς ὑλικὰς καὶ τὰς ποιητικάς, ipsa veritatis vi coacti (cf. ad *a* 18), quoniam ordo rerum nec ab elementis re-

peti, nec fortunae — τῷ αὐτομάτῳ καὶ τῇ τύχῃ, de quorum discrimin cf. Phys. II 6 — videbatur tribui posse, hunc novo causarum genere explicandum censuerunt philosophi. Quod quum manifesto instituerit Anaxagoras, dicitur tamen (αἰτίαν ἔχει cf. Stallb. ad Plat. Apol. p. 38c) Hermotimus antea in eadem fuisse sententia. Sed ab ea, quam Aristoteles instituit, causarum distinctione ita dissenserunt Anaxagoras et si qui alii idem statuerunt (οἱ μὲν οὖν οὕτως ὑπολαμβάνοντες *b*20), ut non seiungerent a motrice causa finalem, sed ex eodem principio et motus originem et finem bonum repeterent. Cf. 7. 988*b* 7. Ipsa verba *b*21 ἅμα τοῦ καλῶς — 21 τοῖς οὖσιν ita videntur construenda esse: τὴν αἰτίαν τοῦ καλῶς (i. e. τοῦ καλῶς ἔχειν τὰ ὄντα) ἅμα ἀρχὴν τῶν ὄντων ἔθεσαν, καὶ τὴν τοιαύτην (h. e. et talem quidem) ὅθεν ἡ κίνησις κτλ. — De usu adv. ἴσως *b*12 cf. ad 5. 987*a* 26. — De Hermotimo *b*19 interpretes Graeci nihil amplius prodiderunt, nisi quae ex his ipsis verbis Aristotelis collegerant. Quod Aristoteles scribit de an. I 2. 404*a* 25: Ἀναξαγόρας ψυχὴν εἶναι λέγει τὴν κινοῦσαν καὶ εἴ τις ἄλλος εἴρηκεν ὡς τὸ πᾶν ἐκίνησε νοῦς, id num ad Hermotimum referri voluerit, admodum dubium est; Philoponus Archelaum dici putat. Quaecunque de Hermotimo feruntur, diligentissime collegit Carus Ideen zur Gesch. d. Phil. p. 330—393. Commentationem, quam de eadem re scripsit Ign. Denzinger (de Hermotimo Clazomenio commentat. Leodii 1825) equidem non vidi.

CAP. IV.

In simili sententia etiam Hesiodus et Parmenides fuisse videntur 984*b* 23—32. ***Quoniam autem in natura rerum ordo non ubique servatus sed subinde etiam perturbatus cernitur, Empedocles duplicem posuit causam motricem, alteram boni alteram mali*** *b*32—985*a* 10. ***Sed quum hi philosophi duo ponerent principia, materiale et movens, motrice causa parum ad explicandam naturam usus est Anaxagoras*** — 21, ***neque Empedocles satis sibi ipse constat*** — 29, ***qui quidem praeter duplicitatem causae motricis illud etiam novavit, quod primus quatuor posuit elementa***

— *b*4. ***Leucippus et Democritus, plenum et inane principia esse rerum rati, ex forma situ ordine corpusculorum diversitatem rerum explicuerunt, de motrice causa parum solliciti*** — *b*22.

984*b* 23 *ὑποπτεύσειε δ' ἄν τις* — 32 *κρίνειν ὕστερον.* Hesiodus in theogonia v. 116—120 et Parmenides in ea parte carminis, qua accedens ad vulgarem opinationem generationem studet explicare v. 131 Karst., quod Amorem, *Ἔρωτα*, pro principio posuerunt, eos simile quid, *τὸ τοιοῦτον*, quaesivisse Aristoteles suspicatur. In suspicione acquiescit, nec pro certo quidquam statuit propterea, quod fabularum involucris ipsa obtecta est horum virorum sententia. Quod autem dicit *τὸ τοιοῦτον ζητῆσαι* referendum est ad extrema superioris capitis verba; qui Amorem in principiis posuerunt, eam quaesiverunt causam, quae eadem et finalis est et movens. Quamquam enim sub finem huius expositionis, quae est de Hesiodo et Parmenide, unice motricem principii naturam significat, *αἰτίαν ἥτις κινήσει καὶ συνάξει τὰ πράγματα* *b*30, tamen et profecta est haec disputatio a mentione causae finalis *b*8, et deinceps ad eandem redit, quum Empedoclem pulchritudine et deformitate naturae pariter spectata ad duplex principium deductum esse dicit *b*32 sqq. — Parmenideum versum quum alii etiam scriptores adhibeant, cf. Karst. ad l. l., nusquam tamen quid sit verbi *μητίσατο* subiectum grammaticum invenitur. Ac nomen quidem, quod posuerit Parmenides, utrum fuerit *Ἀνάγκη* vel *Δίκη*, quod Stallbaumius voluit ad Plat. Symp. 178b, an *Γένεσις* vel *Φύσις*, ut placet aliis, incertae est coniecturae relinquendum; de ipsa re hoc constat, quemcunque posuerit summi principii moventis auctorem, eum adeo indefinita notione fuisse circumscriptum, ut quo eum nomine appellaverit non multum referat. Hesiodi autem versus extremus, ab Aristotele procul dubio memoriter allatus, nostris in editionibus paullo aliter exhibetur: *ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσιν.* Videtur autem Aristoteles aberravisse ab ipsis Hesiodeis verbis similium versuum recordatione deceptus, veluti Hom. Il. *β* 579. *π* 194. Hym. in Apoll. 315. 327. — Quod autem dicit, quis sit primus eiusdem sententiae auctor *ἐξέστω κρίνειν ὕστερον* *b*32, quamquam postea de simili re agi-

tur *N* 4. 1091*b* 4 sqq., tamen illuc non potest referri, quia ibi non magis quam hoc loco definitur quo ordine alter alterum exceperit, sed universe hanc quaestionem, ut alienam a re proposita, alium in locum transfert.

984*b* 32 *ἐπεὶ δὲ καὶ τἀναντία* — 985*a* 10 *τὸ κακόν*. Qua ratiocinatione ductus Anaxagoras mentem omnis generationis posuit principium, eadem fere ductum Empedoclem, adhibita ad considerationem pariter naturae deformitate, duplex posuisse principium Aristoteles arbitratur. Collegisse hoc videtur Aristoteles vel ex iis epithetis, quibus Empedocles *Φιλίαν* et *Νεῖκος* describit, quum illam dicit *ἐπίφρονα*, *θεμερῶπιν* v. 146. 12 Sturz, hoc *οὐλόμενον* v. 30. 51, *μαινόμενον* v. 8, *λυγρόν* v. 320, *αἱματόεν* v. 12, vel inde quod unitati sphaeri, amicitiae vi coniunctae, divinam potissimum naturam Empedocles videtur assignasse, cf. *B* 4. 1000*b* 3 sqq. Sed utrum recte et ex ipsa Empedoclis sententia hoc collegerit Aristoteles, iure dubitat Brandis Gesch. I. p. 199; videtur enim duobus his principiis naturalem potius quam moralem et finalem vim Empedocles significasse, ita quidem ut generatio in duas coniungendi et disiungendi vires partita hac ipsa partitione explicetur, non sublata entis immutabili natura. — Collegisse autem sese hoc ex carminibus Empedoclis nec certum eius testimonium afferre posse, hoc certe loco (confidentius enim alibi idem ponit *Λ* 10. 1075*a* 36. *b*2) significat verbis *εἰ γάρ τις ἀκολουθοίη* — *Ἐμπεδοκλῆς* *a*4. 5, ubi quidem ad verba *ἀκολουθοίη* et *λαμβάνοι* obiectum *ἃ λέγει Ἐμπ.* repetendum est e verbis *πρὸς ἃ ψελλίζεται λέγων Ἐμπ.* Veteres philosophos quasi propter infantiam artis balbutire alibi etiam queritur Aristoteles, 10. 993*a* 15, ideoque quae subobscure significarunt, *a*13, quum ad certas et suas quidem notiones redigeret (*διαρθροῦν* 5. 986*b* 6. 8. 989*a* 32. *b*5), saepe aliquantum immutavit.

985*a* 10 *οὗτοι μὲν οὖν* — 29 *διακρίνεσθαι πάλιν*. Tria causarum genera inventa esse a veteribus philosophis antea exposuit, materiam 3. 983*b* 6, causam motricem 984*a* 18, finalem 984*b* 8. Sed quoniam finalem principii naturam a motrice non segregarunt, 984*b* 20, et aperte motricem magis quam moralem causae vim spectarunt, iam duo modo

genera eos attigisse dicit ex iis generibus, quae in Physicis ipse distinxit, cf. ad 3. 983*a* 33. Movens autem principium non via ac ratione ab iis esse adhibitum ut cum integro doctrinae corpore coalesceret, Anaxagorae maxime obiicit, qui mentem non tam personam dramati adhibuerit quam deum ex machina (*μηχανῇ χρῆται* *a* 18, cf. poet. 15. 1454*b* 2 *μηχανῇ χρηστέον*. Plat. Cratyl. 425 d *ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγειν*); idem Plato in Anaxagora vituperat Phaed. 97 c sqq. de legg. XII. 967, cf. Brandis Gesch. I. p. 269*u*. Neque vero Empedocles, quum latius apud eum pateret moventium principiorum usus, in distinguenda eorum vi satis sibi potuit constare, siquidem et in dirimendis elementis amicitia et in coniungendis rixa opus est, cf. *B* 4. 1000*a* 26. Sturz ad Emped. p. 219. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 190. — *a* 19 *πρὸς τὴν κοσμοποιίαν*. Sicuti *ποιεῖν πλείω αἴτια* 3. 984*b* 5 dicuntur, qui plura principia esse statuunt, vel *γεννᾶν τὴν τῶν ὄντων φύσιν* 3. 984*b* 9, *κατασκευάζειν τὴν τοῦ παντὸς γένεσιν* 4. 984*b* 25 de explicanda natura et generatione rerum usurpatur, aliaque id genus plurima, ita *κοσμοποιεῖν*, *κοσμοποιία* doctrinam significat de fabrica mundi *N* 3. 1091*a* 18. Phys. II 4. 196*a* 22. VIII 1. 250*b* 16. — *a* 21 *αἰτιᾶται* i. e. *τίθεται ὡς αἴτια*, cf. *Δ* 2. 1013*b* 13. Phys. II 4. 196*a* 25, *ἐπαιτιᾶσθαι* Plat. Phaed. 98 c. — *a* 27 *πάντα — συνίωσιν*. De nomine neutrius generis plurali coniuncto cum verbo plurali cf. Krüger Gr. §. 63, 2. A. 1. Bernhardy Synt. p. 418. Herm. ad Soph. El. 430. Stallb. ad Plat. de rep. I. 353 b. Frequentior is usus apud Aristotelem, cuius quae collegerunt exempla Zell ad Eth. Nic. p. 4. 209, Waitz ad An. pr. II 26. 69*b* 3 facile est multis aliis locis Aristotelicis augere.

985*a* 31 *ἔτι δὲ τὰ — b 3 ἐπῶν*. Quatuor elementa primus Empedocles posuisse constanter traditur, cf. Sturz p. 150. Sed ea quodammodo ad duo rediisse elementa Aristoteles monet etiam de gen. II 3. 330*b* 20: *ἔνιοι δ' εὐθὺς τέτταρα λέγουσιν, οἷον Ἐμπεδοκλῆς. συνάγει δὲ καὶ οὗτος εἰς τὰ δύο· τῷ γὰρ πυρὶ τἆλλα πάντα ἀντιτίθησιν*. Cf. Sturz p. 171. Brandis I. p. 204 ac praecipue Zeller I. p. 182 sq. Ipsi autem versus, ex quibus hoc collegit Aristoteles (*θεωρῶν ἐκ τῶν ἐπῶν* *b* 2), non videntur superesse.

985*b* 4 *Λεύκιππος δὲ καὶ — 20 ῥᾳθύμως ἀφεῖ-*

σαν. Leucippus et eius discipulus (hoc enim significari nomine ἑταῖρος monet C. F. Hermann Gesch. u. Syst. Plat. I. p. 284, 61. cf. Mullach Democrit. fragm. p. 9 not. Krische Forschungen p. 145) Democritus, ut motus cogitari omnino possit neve in Eleaticam recidant immobilitatem, adversati Parmenidi, qui universum plenum esse entis statuit, πᾶν δὲ πλέον ἐστὶν ἐόντος v. 79 Karst., spatium vacuum in re ac veritate esse contendunt. Quod quidem κενόν quamquam ita opponunt corpusculis, quae iis sunt ἡ ὑποκειμένη οὐσία *b*10, ut hanc δέν (Plut. adv. Col. p. 1109) vel ὄν, illud μηδέν vel μὴ ὄν appellent, tamen ipsum illud μὴ ὄν vere esse statuunt, perinde ac vel ipse Parmenides in opinabili illa generationis explicatione quum frigidam naturam ad non-ens referret, esse eam nihilo secius voluit, 5. 987*a* 1, vel Plato ut effugeret Parmenideas ratiocinationes exsistentiam non-entis comprobandam sibi putavit, *N* 2. 1089*a* 2 sqq. — διὸ καὶ, ait Aristoteles *b*8, οὐθὲν μᾶλλον τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος εἶναί φασιν, ὅτι οὐδὲ τὸ κενὸν τοῦ σώματος. Extrema verba adeo manifesto sunt corrupta, ut non abstinuissem a recipienda in textum coniectura, si satis facilem invenissem medelam. Ut enim, quod rei natura flagitat, τὸ κενόν comparetur τῷ μὴ ὄντι, τὸ σῶμα autem τῷ ὄντι, scribendum est ὅτι οὐδὲ τὸ σῶμα τοῦ κενοῦ vel simile quidpiam, quale etiam veteres interpretes explicuisse coniicias Ascl. p. 538*b* 31. Alex. p. 27, 5. — Iam sicuti antiquissimi philosophi quum unam subiicerent rebus materiam, varietatem rerum repetunt ex primis huius materiae affectionibus, condensatione et extenuatione (Phys. I 4. 187*a* 12: οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον — τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες. de gen. III 5. 303*b* 13), ita atomistae ex primis atomorum differentiis (τὰς διαφορὰς *b* 13, sc. τῶν ἀτόμων) diversam rerum naturam explicare studuerunt, ponentes tamquam principia differentiarum ῥυσμόν (cf. Trendelbg. de an. p. 214. Brandis Gesch. I. p. 314. Mullach Democr. p. 132 sqq.) διαθιγήν (Mullach l. l. p. 262) τροπήν, h. e. formam et ordinem et positionem; et diversitatis quidem per positionem effectae quod *N* et *Z* pro exemplo affert, cogitandum nimirum est de antiquissimis harum literarum figuris, quae adeo sibi sunt affines, ut si altera inclinetur altera

inde exsistat. Motricem autem causam quum necessitatem esse voluerint (Democr. fr. phys. 41. Ar. de gen. an. V 8. 789*b* 2) eamque ita simpliciter et indefinite posuerint, ut non iniuria τὴν τύχην καὶ τὸ αὐτόματον Aristoteles eos pro causa habuisse universi rerum ordinis censeret (Phys. II 4. 196*a* 26. coll. Sext. Emp. adv. math. IX 113. p. 416, 19. Bk.), mirari non possumus, quod eos pariter ac reliquos philosophos antiquissimos levitatis in investiganda hac causa incusat. Cf. Zeller. I. p. 206. Mullach Democrit. p. 382.

985*b* 6 λέγοντες οἷον τὸ μὲν ὄν. Unius libri *A*[b] auctoritati obsecuti οἷον omiserunt Brand. et Bekk. Sed praeterquam quod huic codici Brandisium praecipue nimium esse confisum alibi etiam apparet, haud scio an hoc loco cur librarius οἷον omiserit facile possit perspici. Nimirum usitata ei erat ea significatio vocabuli οἷον, qua exemplis afferendis inservit, non meminerat idem haud raro usurpari, ubi non exemplis res illustratur, sed aliud quid ad explicationem additur. Cf. *Δ* 11. 1018*b* 15, 17. *Z* 8. 1033*a* 34. *I* 4. 1055*b* 28. *Λ* 4. 1070*b* 23. 5. 1071*a* 4, de interp. 5. 17*a* 20, 22. An. pr. I 1. 24*b* 16. 5. 27*b* 11, 14, 24. 16. 36*a* 40, *b* 1. λέγω δ' οἷον *M* 3. 1078*b* 3. An. post. I 19. 82*a* 3. οἷον λέγω An. post. I 2. 72*a* 30. Waitz ad Cat. 3. 1*b* 18.

CAP. V.

Pythagorei, in numeris cerni naturam rerum rati, numerorum elementa, par et impar, sive indefinitum et definitum, pro principiis materialibus habuerunt, 985*b* 23—986*a* 21. *Alii e Pythagoreis paria quaedam contrariorum vel decem vel numero indefinita principiorum numero habuerunt* — *b* 2. *Videntur autem Pythagorei ad materiale causae genus sua retulisse principia* — *b* 8. — *Eleatae, qui immutabilem statuerunt entis unitatem, in censum hic non veniunt, nisi quatenus vel materialem vel idealem eam esse voluerunt unitatem, et quatenus Parmenides opinabilem certe suscepit generationis explicationem* — 987*a* 2. *Denique quid hucusque de principiis a veteribus acceperimus computat* — *a* 19, *et Pythagoreos primos quidem sed parum diligenter ideale causae genus quaesivisse addit* — *a* 28.

985*b* 23 ἐν δὲ τούτοις καὶ — 986*a* 13 ἀκριβέστερον. Pythagoreorum nomini participium οἱ καλούμενοι *b* 23 (cf. 8. 989*b* 29. Meteor. I 6. 342*b* 30. 8. 345*a* 13. de coelo II 13. 293*a* 20) propterea videtur addidisse Aristoteles, quia de ipso Pythagora eiusque doctrina vix quidquam traditum acceperat, cf. Brandis I. p. 435*f*; tempus etiam, quo exstiterit primum et effloruerit disciplina Pythagorica satis amplis finibus describit, quum Pythagoreos philosophis antea nominatis partim aequales aetate partim superiores esse dicit. Hi igitur Pythagorei quum sese immersissent rebus mathematicis, harum principia principia omnium rerum esse putaverunt (cf. 9. 992*a* 32 de Platonicis: γέγονε τὰ μαθήματα τοῖς νῦν ἡ φιλοσοφία.). Sed ex ipsis rebus mathematicis ut numeros potissimum principiorum loco haberent, duabus eos rationibus adductos dicit. Etenim et numerorum notio simplicissima est inter omnes res mathematicas, cf. ad 2. 982*a* 26, ideoque numeri inter eas natura primi; et numeris quam elementis materialibus similiora sibi videbantur cognoscere omnia, quaecunque vel sunt vel fiunt, et vel sensibus percipiuntur vel mente cogitantur. (ὁμοιώματα τοῖς οὖσι *b* 27. cf. 6. 987*b* 11: μιμήσει τὰ ὄντα φασὶν εἶναι τῶν ἀριθμῶν.) Veluti iustitiam, animam ac mentem (Alex. p. 29, 16. Ascl. p. 541*a* 17. Brandis I. p. 491*v*), maturitatem, reliqua fere (ὡς εἰπεῖν, cf. ad 1. 980*a* 25) omnia singula ad singulos referebant numeros, in quibus illorum naturam contineri arbitrabantur, cf. Alex. ad h. l. Brandis I. p. 472 sq. Quod quum his significat verbis: ὅτι τὸ μὲν τοιονδὶ τῶν ἀριθμῶν πάθος δικαιοσύνη *b* 29, nomen πάθος nullam habere potest ex iis significationibus, quas enumeravit Aristoteles *Δ* 21. Sed quum πάθος καθ' αὑτό sive πάθος ἴδιον, οἰκεῖον pariter ac συμβεβηκὸς καθ' αὑτό (cf. *Δ* 30. 1025*a* 30—33) ea significet apud Aristotelem, quae quum non contineantur in ipsa notionis alicuius definitione, necessario tamen nec per accidens et universe de ea praedicantur (cf. *Γ* 2. 1004*b* 10: ἐπεὶ ὥσπερ ἔστι καὶ ἀριθμοῦ ᾗ ἀριθμὸς ἴδια πάθη, οἷον περιττότης ἀρτιότης, συμμετρία ἰσότης, ὑπεροχὴ ἔλλειψις, καὶ ταῦτα καὶ καθ' αὑτοὺς καὶ πρὸς ἀλλήλους ὑπάρχει τοῖς ἀριθμοῖς κτλ. ibid. *b* 6, 15. *Δ* 11. 1019*a* 1 al. et ad *Β* 2. 997*a* 7), hoc quidem sensu apte accipi poterunt verba τὸ

μὲν τοιονδὶ τῶν ἀριθμῶν πάθος. Veluti quaternarii numeri id est πάθος καθ' αὑτό, ut sit numerus quadratus, ac propterea iustitiae naturam putatur exprimere, ac similis reliquorum ratio. — Apertissime vero numerorum vim in harmoniis musicis cognoscere sibi visi sunt Pythagorei, τῶν ἁρμονιῶν ἐν ἀριθμοῖς ὁρῶντες τὰ πάθη καὶ τοὺς λόγους *b* 31, h. e. singularum harmoniarum definitas qualitates, quod quidem distinctus est concentus διὰ πασῶν a concentu διὰ πέντε vel διὰ τεσσάρων, ipsasque earum notiones descriptas esse cognoverunt numerorum rationibus, cf. *Δ* 2. 1013*a* 27: ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι, — οἷον τοῦ διὰ πασῶν τὰ δύο πρὸς ἓν καὶ ὅλως ὁ ἀριθμός. *Α* 9. 991*b* 14. *Ν* 5. 1092*b* 14. ἁρμονιῶν scripsi, quum adhuc in editionibus exhibeatur ἁρμονικῶν, et codicum aliquot et maxime Alexandri et Bessarionis obsecutus auctoritati, coll. 986*a* 4 et *Ν* 3. 1090*a* 24: ὅτι τὰ πάθη τὰ τῶν ἀριθμῶν ἐν ἁρμονίᾳ ὑπάρχει καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ κτλ. Ceterum haec verba ἔτι δὲ — ὁρῶντες — τοὺς λόγους arte coniungenda sunt cum superioribus ἐπεὶ ἐδόκουν θεωρεῖν, siquidem leniter immutata conformatione ad demonstrandam eandem pertinent inter res et numeros similitudinem; proximis demum verbis ἐπειδὴ κτλ. altera orditur eiusdem enunciati protasis, secundum eam periodorum formam, de qua disputavit Nägelsbach lat. Stil. §. 116, cf. ad 3. 983*a* 33. Sed prima huius alterius protasis verba, ἐπειδὴ τὰ μὲν ἄλλα τοῖς ἀριθμοῖς ἐφαίνετο τὴν φύσιν ἀφωμοιῶσθαι πᾶσαν *b* 32, dubito num ab omni parte sana sint. Etenim πᾶσα ἡ φύσις nihil videtur aliud significare posse, nisi rerum universitatem, cf. 986*a* 1, nec vero universam rei alicuius naturam, id quod hoc loco dicendum erat. Quare nisi audacius videretur, pro πᾶσαν scriberem πάντα, adhibita Alexandri auctoritate p. 28, 17: ἐπεὶ τὰ μὲν ἄλλα πάντα ὁμοιότητα πρὸς τοὺς ἀριθμοὺς εἶχεν. Iam quae hoc loco per τὰ ἄλλα πάντα significantur, eadem proximis verbis πάσης τῆς φύσεως nomine notantur; reliqua omnia ad similitudinem numerorum videntur efficta, numeri autem rerum omnium sunt primi. — His igitur causis adducti quum e numerorum elementis universitatem rerum repeterent, si quid alicubi minus videretur concinere, προσεγλίχοντο τοῦ συνειρομένην πᾶσαν αὐτοῖς εἶναι τὴν πραγματείαν *a* 7. γλίχεσθαι verbum

haud ita frequens vehementiam videtur quandam significare concupiscendi, cf. Herod. II 102. III 72. VII 161. VIII 143. Plat. Phaedr. 248a. Phaedon. 117a. Hipparch. 226d. Arist. de mund. 5. 396*b* 7 et ad *N* 3. 1090*b* 31. Inde verba Aristotelis hunc in modum videntur explicanda esse: sicubi quid desideraretur, addendo (*προσεγλ.*) id efficere enixissime studuerunt, ut universa de numeris disputatio ac doctrina (*πραγματεία*, cf. ad 6. 987*a* 30) perfecta esse et sibi constare videretur. Eiusmodi ingeniosae levitatis exemplum quod hic adhibet de antichthone placitum, idem commemorat quidem de coelo II 13. 293*a* 23: *ἔτι δ' ἐναντίαν ἄλλην ταύτῃ κατασκευάζουσι γῆν, ἣν ἀντίχθονα ὄνομα καλοῦσιν, οὐ πρὸς τὰ φαινόμενα τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ζητοῦντες, ἀλλὰ πρός τινας λόγους καὶ δόξας αὑτῶν τὰ φαινόμενα προσέλκοντες καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν.* Sed quod *ἀκριβέστερον* se alibi de ea re exposuisse dicit *a* 12, non potest profecto hunc locum respicere, sed potius eos libros, quos singillatim eum de Pythagoreorum doctrina conscripsisse testatur Alex. p. 31, 1. 56, 10. Brandis Gesch. I. p. 439*aa*. Cf. de antichthone Ascl. p. 541*b* 2. Simpl. p. 505*a* 41. Brandis I. p. 477*cc*.

986*a* 13 *ἀλλ' οὗ δὴ χάριν* — 21 *τὸν ὅλον οὐρανόν.* Descripta Pythagoricae doctrinae summa, ut inde cognoscatur quo sint illi causae genere usi, apparere ait Ar. eos putasse *τὸν ἀριθμὸν ἀρχὴν εἶναι ὡς ὕλην τοῖς οὖσι* *a* 17. At Pythagorei, sive e numeris constare rerum universitatem docuerunt, 986*b* 7, sive ad similitudinem numerorum effictam esse, 6. 987*b* 11, quam verborum potius quam rei ipsius discrepantiam esse bene explicuit Zeller I. p. 100 sqq., profecto non materiam rerum e numeris repetierunt, sed quod contemplanti universam huius doctrinae indolem non potest dubium videri, certam et distinctam singularum rerum qualitatem numeris definiri sibi persuaserunt. Aristoteles vero, qua est in iudicandis aliorum philosophorum placitis levitate (cf. ad 3. 984*a* 7), quoniam i n e s s e rebus numeros eorumve principia Pythagorei dixerunt, 986*a* 1, id nimirum spectans, ut ad unum ex s u i s causarum generibus revocaret principia Pythagoreorum, non dubitavit ad m a t e r i a l e m causam eorum principia redigere. — Maiorem difficultatem

Graecis interpretibus, de hoc errore Aristotelis parum sollicitis, proxima fecerunt verba *καὶ ὡς πάθη τε καὶ ἕξεις*, neque ulla ex iis interpretationibus, quas Alexander ad h. l. attulit, plane videtur probari posse. Neque enim, quae est ipsius Alexandri sententia, *πάθη* et *ἕξεις* motricem causam, *τὸ ποιητικὸν αἴτιον* p. 31, 20 significare possunt, siquidem postea ubique apud Pythagoreos modo materiale principium et idealis principii obscura quaedam vestigia invenisse sibi videtur Aristoteles; neque, id quod voluit Aspasius, *ὕλη* ad numerum, *πάθη* ad par, *ἕξεις* ad impar possunt referri, quoniam haec omnia pariter ipsi numero tribuuntur, ac proximis demum verbis ad eorum elementa transitur. Vera interpretandi via videtur monstrata esse verbis *καὶ οὗτοι a* 16, quibus Pythagoreos cum veteribus philosophis, maxime Ionicis, comparari apparet. Etenim sicuti Thales, nec multo aliter reliqui, quum aquam poneret pro principio, ex eius affectionibus, condensatione et extenuatione, rerum varietatem repetiit, 4. 985*b* 11: eadem ratione Pythagoreos dicit, quum numeros principium materiale esse statuerent, ex eorum affectionibus (cf. ad 985*b* 29) et rationibus explicuisse rerum naturam, affectiones, habitum. De coniunctis inter se notionibus *πάθη καὶ ἕξεις* cf. ad *Δ* 6. 1015*b* 34, et *ἕξις* pro synonymo coniunctum cum *εἶδος* et *φύσις* v. *H* 5. 1044*b* 32. *Λ* 3. 1070*a* 12. Brandisius quod dicit Mus. Rhen. 1828 p. 237: *Wenn die Zahl den Dingen Prinzip sein soll als Stoff, als Affection und thätiges Verhalten, so bezieht sich der erste dieser Ausdrücke auf die Pythagorische Lehre, dafs ohne von der Zahl begrenzt zu werden, das Unendliche zu keiner Bestimmtheit der Eigenschaften gelange; der zweite und dritte auf die Bezeichnung der leidenden und thätigen Eigenschaften der Dinge durch besondere Zahlbestimmungen*, num *πάθη* et *ἕξεις* ad actionis et passionis discrimen recte referantur magnopere dubito. — Elementa autem numerorum, quod modo par et impar, modo infinitum et finitum esse dixerunt (cf. Phys. III 4. 203*a* 10. Brandis I. p. 449—454), illam quidem definitionem priorem, hanc inde repetitam esse, ex universa doctrinae Pythagoricae indole vere videtur collegisse Zeller I. p. 105 sqq. His duobus elementis *τὸ ἕν a* 19 definitur, cf. Brandis Gesch. I.

p. 453 *q*, ex quo reliqui repetuntur numeri et cum iis universus mundus, *ἀριθμοὺς δὲ τὸν ὅλον οὐρανόν*, cf. *M* 6. 1080^b 18. *N* 3. 1090^a 20 sqq. *Α* 6. 987^b 27. de coelo III 1. 300^a 15.

986^a 22 *ἕτεροι δὲ τῶν αὐτῶν* — ^b1 *ἀπεφήναντο*. Eos ex Pythagoreis, qui vel decem vel indefinitas numero *ἐναντιώσεις* pro principiis posuerant, distinguit quidem Aristoteles (*ἕτεροι δέ*) ab iis, quorum modo exposuit doctrinam; sed illud discrimen non ad ipsum philosophiae Pythagoricae fundamentum pertinere, sed in eo cerni, quod hi unam quandam partem latius persecuti sunt, vere exposuit Zeller I. p. 103 sq. Nimirum primariam illam contrarietatem, quae est inter *πέρας* et *ἄπειρον*, per universam rerum naturam persecuti, quaecunque contrarietates illius similitudinem referunt ei subiecerunt, sive potissimas numero denario, nimirum Pythagoreis augusto, complexi, sive nullo numero eas circumcludi rati; easque contrarietates posuerunt *κατὰ συστοιχίαν*, *τὰς κατὰ συστοιχίαν λεγομένας* ^a23. *σύστοιχος* et *συστοιχία*, translata illa vocabula ab ordinibus vel militum vel chori (cf. Poll. IV 108. Xen. Conv. 2, 20. Anab. V 4, 12) ad rationes notionum, quid significent apud Aristotelem, diligenter exposuit Waitz ad Org. II. p. 338 sq., quam quidem disputationem hic adhibuisse sufficiet, licet non omnium, quos attulit, locorum interpretationem possim probare. Pythagorei igitur notiones quasdam primarias ita in duas series inter se oppositas distinxerunt, ut quae in eadem serie sive *συστοιχίᾳ* essent, veluti *πέρας περιττόν ἕν ἀγαθόν*, qualitatis vel relationis quadam similitudine continerentur, et suam quaeque notio oppositam notionem haberet in altera serie, veluti *πέρας ἄπειρον*, *περιττόν ἄρτιον*; qua eadem ratione Aristoteles usus esse videtur in ea, quam saepius commemorat, *διαιρέσει τῶν ἐναντίων*, cf. ad *Γ* 2. 1004^b 34. Quum autem *συστοιχία* eam modo seriem significet, qua inter se coniunctae sunt notiones quodammodo cognatae (cf. *Γ* 2. 1004^b 27: *τῶν ἐναντίων ἡ ἑτέρα συστοιχία στέρησις*. *Α* 7. 1072^a 31, 35. *N* 6. 1093^b 13), neo vero universum systema duarum serierum inter se oppositarum, ea lectio, quam Alexander videtur in textu habuisse *κατὰ συστοιχίας* p. 31, 30 habet sane cur placeat; si vero in vul-

gata acquiescimus, singulari numero κατὰ συστοιχίαν ea modo ratio, quae est inter cognatas notiones, significari putanda est, nec vero simul ea, quae est inter oppositas. Cf. Trendelenburg Kateg. p. 28.

986a 29 Ἀλκμαίων. Cf. Trendelbg. de an. p. 239. Krische Forsch. I. p. 69.

986a 34 μέγα μικρόν ex uno libro A^b recepi, pro vulgato μικρὸν μέγα, quia non sine nimiae negligentiae crimine Aristoteles videtur recedere potuisse ab ordine antea instituto, ut antecedat praestantius sive τὸ καταφάσει δηλούμενον, postponatur deterius sive τὸ ἀποφάσει δηλούμενον. Eandem emendationem commendavit Krische Forsch. I. p. 69.

986b 1 παρὰ μὲν οὖν — 8 τὴν οὐσίαν. παρὰ τούτων ἀμφοῖν, Alcmaeonem dicit et eos e Pythagoreis, qui decem contrariorum paria posuerant. Utrique in eo consentiunt, quod contraria ponunt in principiis, dissentiunt in numero eorum definiendo. Quae deinde dicit Aristoteles πῶς μέντοι κτλ., ea et Alex. p. 32, 8: προσιστορεῖ δὲ καὶ ὅτι ἀρχὴν καὶ αἴτιον τὸν ἀριθμὸν ἔλεγον ὡς ὕλην et Zeller gt. Phil. I. p. 99, 3 ad Pythagoricam de numeris doctrinam referunt, ut numeros Pythagorei materiale rerum principium posuisse dicantur; sed vereor ut recte haec verba interpretati sint. Numeri enim Pythagoreorum ad quod genus principiorum referendi essent, iam antea exposuit, nec potuit, quum antea materialem eorum naturam manifesto apparere dixisset, φαίνονται — νομίζοντες κτλ. a 15, iam paucis verbis interiectis eandem in dubio relinquere, σαφῶς οὐ διήρθρωται, ἐοίκασι b 5. Ii autem e Pythagoreis, qui plures posuerunt ἐναντιώσεις, quoniam quidem eos a reliquis distinxit, nec dixit antea et debebat dicere, quid viderentur ad causarum investigationem afferre; horum igitur principia dicere videtur τὰς εἰρημένας αἰτίας. Accedit ad confirmandam hanc explicationem quod non res vel entia vel universum mundum ex illis principiis composita dicit, qualia solet dicere de numerorum doctrina, sed substantiam, τὴν οὐσίαν, cui insint nimirum alterae utrae ex illis notionibus, quas in oppositis ordinibus collocaverunt. — b 5 σαφῶς μὲν οὐ. De ἀσαφείᾳ veterum philosophorum cf. ad 4. 985a 4. — διήρθρωται. διαρθροῦν est rem aliquam quasi per mem-

bra et artus distinguere, et certum in ordinem redigere, ut unius corporis referant similitudinem. Cf. 8. 989a 32. Β 6. 1002b 27. Ζ 17. 1041b 2. συνδιαρθροῦν Α 8. 989b 5. — b8 πεπλάσθαι Alexander vituperium continere arbitratur p. 32, 12, quod parum probabilis sit eiusmodi substantiae conformatio. Quae explicatio quamvis commendari videatur collatis vocabulis πλάσις Μ 9. 1086a 4. πλασματίας 2. 1076a 39. πλασματώδης 7. 1082b 3, 9. 1085a 15, tamen aliena est ab huius loci ratione, ubi non iudicat Aristoteles, sed simpliciter, quid ipsi Pythagorei dixerint (φασί b8) refert.

986b 8 τῶν μὲν οὖν παλαιῶν — 987a 2 τὸ μὴ ὄν. Quoscunque inde ab Empedocle commemoravit philosophos, eos omnes hac una complectitur notione, ad ipsam systematum naturam non magnopere pertinentem, quod plus quam unum posuerint principium; his opponuntur Eleatae, consentientes illi cum antiquissimis Ionicis, quod utrique unitatem statuerunt, dissentientes vero in eo, quod qui ex Ionicis physiologis b 14 (cf. de voc. φυσιολόγοι Trend. de an. p. 437) unitatem statuerunt, ii licet ipsum movendi principium non ponerent, adhibuerunt certe motionem, siquidem (γεννῶντές γε b 17) omnem rerum multitudinem et varietatem ex illa repetere studuerunt, Eleatae autem unum illud principium immobile esse statuerunt. Inter se ipsos Eleatae discrepant ita, ut nec pariter via ac ratione sua exponant placita (οὔτε τοῦ καλῶς b 12) nec eandem naturam τοῦ ἑνός esse censeant (οὔτε τοῦ κατὰ τὴν φύσιν b 12, cf. b 22). Omnino autem Eleatarum placita recensere ad propositam nunc quaestionem, quae est de distinguendis causarum generibus, nihil attinet (οὐδαμῶς συναρμόττει b 13); qui enim unum immobile statuerunt, ii causae notionem manifesto sustulerunt, cf. Phys. I 1. 185a 3: οὐ γὰρ ἔτι ἀρχή ἐστιν, εἰ ἓν μόνον καὶ οὕτως ἕν ἐστιν· ἡ γὰρ ἀρχὴ τινὸς ἢ τινῶν. Eatenus tamen eos commemorasse e re erit (τοσοῦτόν γε οἰκεῖον b 18), quatenus eae rationes, quibus inter se distinguuntur, coniunctae sunt cum causarum discrimine; quod enim Parmenides finitam statuit principii naturam, Melissus infinitam, id Aristoteles; quamquam Melissus illud principium corpus esse distincte negat, ita ad sua placita accommodat, ut Parmenidem idealem (cf. Parm. fr. v. 43. 93 Kst. Brandis Gesch. I.

p. 381, F) Melissum materialem (Brandis I. p. 405) posuisse unitatem dicat, unde consequitur ut eodem fere discrepent inter se discrimine, quod est inter genera causarum formale et materiale. Xenophanes vero, qui contemplatus universum aeternum coelum (εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας *b* 24, cf. Krische Forsch. I. p. 88. Zeller gr. Ph. I. p. 142) illud unum ac divinum numen esse contendit, quoniam naturam eius unitatis non descripsit, nihil potest ad hanc de generibus causarum quaestionem conferre. — Ac duos quidem ex Eleatis rudiores cogitandi et philosophandi esse dicit, Xenophanem, quia unitatis, quam contendit simpliciter, naturam nullo modo definivit, *b* 22, Melissum, quem eundem alibi φορτικόν appellat (Phys. I 2. 185*a* 10), propterea, opinor, quod a cogitabili unitatis natura a Parmenide celebrata ad materialem degeneravit. Parmenidem autem quum reliquis praefert (cf. Phys. l. l. et III 6. 207*a* 15 et Platonis de eodem Parmenide iudicia, Brandis I. p. 375, *e. f.*) nec caeco ut reliquos impetu ferri dicit, μᾶλλον βλέπων *b* 28, id unum videtur spectare, quod Parmenides entis unitatem, quam contendit, ratiocinatione et syllogismo stabilire studuit, *b* 28—31, cf. Phys. I 2. 3. Quod autem Parmenides sensuum perceptionibus coactus scientiae opposuit opinabilem multitudinis et generationis explicationem (cf. ad 3. 984*b* 3), ibique non-enti, quod esse enixissime negaverat, exsistentiam quandam concessit (cf. ad 4. 985*b* 8): eam quidem internam Parmenideae philosophiae repugnantiam non potuit ita probare, ut propterea Parmenidem μᾶλλον βλέποντα philosophum fuisse diceret. Hoc ne videretur Aristoteles dicere, ante ἀναγκαζόμενος *b* 31 pro commate editionis Bk. punctum posui. — *b* 34 οἷον πῦρ κτλ. Voc. οἷον eam vim habet, quae exposita est ad 4. 985*b* 6.

987*a* 9 μέχρι μὲν οὖν — 28 τοσαῦτα ἔστι λαβεῖν. Voc. μέχρι non de tempore, sed de ordine enumerandi h. l. intelligendum esse, recte monet Alexander p. 34, 18. Philosophos autem supra enumeratos, exceptis Pythagoreis, omnes utrum dixerit Aristoteles μετριώτερον an μαλακώτερον an μορυχώτερον quaestionem de summis principiis instituisse, difficile videtur in tanta lectionis codd. discrepantia diiudicare; propterea in vulgata lectione acquievi, licet neque de eius

veritate persuasum habeam, neque inde scribendi illa varietas videatur explicari posse. Utut legitur, vituperat Aristoteles illos philosophos vel quod non satis diligenter et subtiliter in comprobandis suis placitis versati, vel quod non omnia causarum genera complexi fuerint. Pythagorei vero, inquit, δύο μὲν τὰς ἀρχὰς κατὰ τὸν αὐτὸν εἰρήκασι τρόπον *a* 14. Quam dicat rationem Pythagoreis communem esse cum superioribus, dubium videtur; ad ea enim verba, quae proxime antecedunt ideoque primum legentibus in mentem veniunt, ut duas causas genere diversas Pythagorei posuisse dicantur, materialem et motricem, referri haec non possunt, cf. ad 986*a* 17. Quare nihil est reliquum nisi ut vel cum Alexandro interpretemur p. 35, 7: δύο τὰς ἀρχὰς τὰς ὑλικὰς ἐποίουν ὥσπερ καὶ ἄλλοι coll. *a* 6, vel eandem negligentiae cuiusdam vituperationem, quam in reliquos conicit philosophos, etiam ad Pythagoreos extendi dicamus; quam interpretationem, quoniam ad propiora refertur, equidem praeferendam existimo. Ita facilis etiam transitus paratur ad proxima verba, ubi Pythagoreos, quum ceteroquin alios diligentia non superarent, aliquid tamen proprium ac peculiare addidisse dicit, ὅτι τὸ πεπερασμένον — κατηγορεῖσθαι *a* 15—19, de qua re uberius disputat *B* 4. 1001*a* 4 sqq. Quod autem antea duas causas positas dicit a Pythagoreis, *a* 13, ac deinde tamen enumerat τὸ πεπερασμένον καὶ τὸ ἄπειρον καὶ τὸ ἕν, potest quidem τὸ ἕν accipi tamquam aliud nomen eius principii, quod plerumque πέρας vel πεπερασμένον dicit, cf. *M* 6. 1080*b* 6. Zeller gr. Ph. I. p. 118, 3. Sed propter ipsum ordinem verborum parum hoc est verisimile, longeque probabilius τὸ ἕν dici primum numerum, ex elementis infiniti et finiti et ipsum prognatum, sed ex quo fiant reliqui numeri, cf. 986*a* 19: τὸ δ' ἓν ἐξ ἀμφοτέρων εἶναι τούτων sc. τοῦ ἀρτίου καὶ τοῦ περιττοῦ sive τοῦ ἀπείρου καὶ τοῦ πεπερασμένου. Eundem in sensum etiam proximis in verbis αὐτὸ τὸ ἕν *a* 18 videtur explicandum. — Denique principii formalis, τοῦ τί ἐστι, prima quaedam inveniri vestigia apud Pythagoreos dicit, sed admodum negligenter (ἁπλῶς *a* 21 i. e. ἀδιορίστως, cf. *Δ* 15. 1020*b* 33. *E* 1. 1025*b* 27) eos in definitionibus quaerendis versatos esse. Apto exemplo Alex. ad h. l. eam negligentiam illustrat: οἷον τὴν φιλίαν

λέγοντες, εἰ οὕτως ἔτυχεν, ἰσότητα, καὶ διὰ τοῦτο ὑπολαμβάνοντες λόγον αὐτῆς εἶναι τὸ ἰσάκις ἴσον, ᾧ πρώτῳ τῶν ἀριθμῶν ὑπῆρχε τοῦτο, τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ἔλεγον φιλίαν, ταὐτὸ ποιοῦντες τῷ ἡγουμένῳ ταὐτὸν εἶναι διπλάσιον καὶ δυάδα, ἐπειδὴ πρώτη ταύτῃ τὸ διπλάσιον ὑπάρχει. Quod igitur dicit Aristoteles ᾧ πρώτῳ ὑπάρξειεν a 22, adiectivum πρῶτος non logico sensu est accipiendum, qualem habemus An. post. I 4. 73b 33 sqq., sed arithmetico; nimirum eo numero, qui primus in continua numerorum serie ad notionem aliquam referendus videretur, veluti tetras ad τὸ ἰσάκις ἴσον, dyas ad τὸ διπλάσιον, ipsam eius notionis naturam contineri arbitrabantur; itaque, si reliqua omittimus quae temere hariolati sunt, in eo peccarunt, quod propositionem affirmativam universalem simpliciter converterunt, ἡ δυάς ἐστι διπλάσιον, τὸ διπλάσιόν ἐστι δυάς, siquidem praedicatum alicuius propositionis, nisi converti simpliciter potest propositio, non exprimit ipsam subiecti notionem substantialem, veluti τὸ δυάδι εἶναι, τὸ διπλασίῳ εἶναι (de quibus formulis cf. Trendel. in Mus. Rhen. 1828. II 4. p. 457 sqq.), cf. Top. I 4. 102a 19—30. 101b 19—23. al. — Iam si forte tetrade amicitiae, dyade duplicitatis notionem definiri statuerant, quum fieri non posset, quin aliis etiam de numeris eaedem notiones vel de iisdem numeris aliae notiones praedicarentur, inde factum est, ut plures exsisterent eiusdem notionis definitiones, quae substantiam ipsam exprimerent, πολλὰ τὸ ἓν ἔσται a 27. (de temporis futuri non conditionali cf. Obs. ad Met. p. 62.) — ἴσως a 26 non dubitantis est, sed modeste asseverantis, cf. α 3. 995a 17. *Γ* 2. 1005a 6, 10. *E* 1. 1026a 15. Anal. pr. I 27. 43a 22. II 17. 66a 12. post. I 1. 71a 25. II 5. 91b 35. Waitz ad An. pr. I 12. 32a 16. Heindorf ad Plat. Phaedr. 233 e.

CAP. VI.

Plato Heracliteis placitis inductus, ut sensibilia sciri posse negaret 987a 29—b 1, a Socrate institutus ad quaerendas notiones universales —b 4, distinctas a rebus sensibilibus posuit ideas, quarum communione exsisterent res sensibiles —b 14; praeter sensibilia autem et ideas res ma-

thematicas medio inter utrumque genus loco ponendas esse — b 18, idearumque elementa omnium elementa rerum esse censuit — b 22. Quibus in placitis quid habeat commune cum Pythagoreis, quid diversum — 988 a 7, et quibus usus sit causarum generibus — a 17 exponitur.

Ad universum hoc caput adhibenda est egregia disputatio Eduardi Zeller Die Darstellung der Platonischen Philosophie bei Aristoteles (Plat. Stud. p. 197—300), cuius ea quidem pars, quae in exponenda metaphysica Platonis doctrina versatur, quum fere ipsum huius capitis ordinem sequatur, pro luculentissimo potest commentario haberi.

987 a 29 μετὰ τὰς εἰρημένας φιλοσοφίας. φιλοσοφίαι de variis philosophorum placitis ac doctrinis, cf. ad 3. 983 b 21.

987 a 30 πραγματεία. πραγματεύεσθαι περί τι (987 b 1. *E* 1. 1025 b 16. al.) vel περί τινος (987 b 2. 8. 989 b 33. al.) is dicitur ab Aristotele, qui in investiganda et cognoscenda aliqua re via ac ratione procedit; itaque coniunctum legitur πραγματεύεσθαι cum verbis διαλέγεσθαι, ζητεῖν, θεωρεῖν 8. 989 b 33. *B* 1. 995 b 32. Phys. III 4. 202 b 35. Cf. Trendel. de an. p. 199. Elem. p. 126. Waitz Org. II. p. 415. Inde πραγματεία primum quidem significat ipsam hanc rei tractationem via ac ratione institutam, veluti *K* 1. 1059 b 16: περὶ τὰ ἔχοντα ἐν αὑτοῖς κινήσεως ἀρχὴν — τὴν τοῦ φυσικοῦ πᾶσαν εἶναι πραγματείαν, i. e. omnem disputationem et quaestionem physici versari in illis rebus. Sed quam cognovimus in nomine φιλοσοφία significationum immutationem (cf. ad 3. 983 b 21), ut a studio cognoscendi transferatur hoc vocabulum et ad singulas philosophiae partes et ad singulorum philosophorum disciplinas, eadem in hoc nomine cernitur. Cf. πραγματεία de partibus philosophiae, de coelo IV 1. 308 a 1. Hoc autem ipso loco ἡ τοῦ Πλάτωνος πραγματεία de unius cuiusdam philosophi usurpatur disciplina, perinde ac paullo infra φιλοσοφία, παρὰ τὴν τῶν Ἰταλικῶν φιλοσοφίαν a 31.

987 a 32 ἐκ νέου τε γὰρ — b 8 προσηγόρευσε. Duobus e fontibus, Heraclitea et Socratica doctrina, seposita interim et Pythagoreorum et Parmenidis ratione, Aristoteles h. l. et *M* 4 Platonicae doctrinae repetit fundamentum. Et-

enim quae iuvenis imbiberat ex Heracliteis placitis per familiaritatem Cratyli (de quo cf. *Γ* 5. 1010ᵃ 10. Brandis I. p. 185) de natura rerum sensibilium, quae quia perpetuo flumine ferrentur scientiam non admitterent, ea quidem postea etiam certa ac vera esse existimavit (*οὕτως ὑπέλαβεν* *b* 1. cf. ad l. 981ᵃ 7). Socratis autem doctrinam in quaerendis notionibus universalibus occupati (cf. *M* 4. 1078ᵇ 27, de part. an. I 1. 642ᵃ 28) quum recepisset et probasset, *ἀποδεξάμενος* *b* 4, propter insitas et fixas animo Heracliteas opiniones, *διὰ τὸ τοιοῦτον*, hoc novavit in doctrina Socratica (cf. 1078ᵇ 30), ut universales illas notiones non rerum sensibilium esse putaret, ut quae perpetuo mutarentur, sed aliarum quarundam. His igitur rationibus ductus (*οὕτως μὲν οὖν* *b* 7, quod cur praetulerim lectioni Bk. *οὗτος*, ex ipsa hac explicatione apparebit, cf. Trendel. de ideis etc. p. 32 not.) eas res, quae definirentur notionibus universalibus et diversae essent a rebus sensibilibus, *τὰ τοιαῦτα* *b* 7, ideas entium appellavit, sensibilia autem omnia re ac veritate ab iis seiuncta esse censuit, *τὰ δ' αἰσθητὰ παρὰ ταῦτα* *b* 8. Hoc enim significat praepositione *παρά*, quod idem vocabulo *χωρίζειν*, *χωριστός* saepissime denotat, ideas non modo cogitatione, *τῇ ἐπινοίᾳ*, *τῇ ἀφαιρέσει*, discerni, sed re ac veritate seiungi a rebus sensibilibus, ut vere exsistant *ἕτερά τινα* *b* 5 praeter res sensibus subiectas. Cf. Anal. post. I 11. 77ᵃ 5: *εἴδη* (ideas sensu Platonico) *μὲν οὖν εἶναι ἢ ἕν τι παρὰ τὰ πολλὰ οὐκ ἀνάγκη εἰ ἀπόδειξις ἔσται, εἶναι μέντοι ἓν κατὰ πολλῶν ἀληθὲς εἰπεῖν ἀνάγκη.* — Sed licet seiunctae sint a rebus singulis ac sensibilibus ideae, tamen formam constituunt ideoque pro causis earum habendae sunt, *κατὰ ταῦτα λέγεσθαι* *b* 9. Praepositio enim *κατά* cum accusativo coniuncta quum vulgo respondeat Latinae praep. pro vel secundum, ab Aristotele usurpatur ad significandam ipsam causam (cf. *Δ* 18. 1022ᵃ 19: *ὅλως δὲ τὸ καθὸ ἰσαχῶς καὶ τὸ αἴτιον ὑπάρξει*), praecipue eam rationem, qua universale refertur ad speciale, cf. Alex. p. 199, 20: *καθ' ἓν μὲν λεγόμενα λέγει τὰ συνώνυμα καὶ ὑφ' ἕν τι κοινὸν τεταγμένα γένος* et *B* 3. 998ᵇ 8. *Γ* 2. 1004ᵃ 19. *Δ* 10. 1018ᵃ 36. 11. 1019ᵃ 12. al. Ideae igitur seiunctae exsistentia a rebus sensibilibus has sua induunt forma, ut res sensibiles per ideas

sint et ex ideis nuncupentur. — Quod autem omnes res sensibiles secundum ideas formatas esse dicit, huic sententiae non est cur repugnare putemus quod alibi diserte commemorat, non omnium rerum sensibilium ex doctrina Platonica statuendas esse ideas, sed earum modo quae natura constiterint, cf. ad 9. 991*b* 6; nimirum αἰσθητὰ — πάντα *b*8. 9 hoc loco ea modo intelligenda sunt, in quibus omnis haec causarum quaestio versatur, τὰ φύσει συνεστῶτα. — Quod res sensibiles κατὰ ταῦτα, i. e. τὰ εἴδη, λέγεσθαι dixit, id explicari et confirmari apparet verbis proxime sequentibus: κατὰ μέθεξιν γὰρ εἶναι τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων τοῖς εἴδεσιν *b*9. Quae verba quamquam constat omnino sic referri ad superiora, tamen quomodo ipsa interpretanda sint dissentiunt viri docti, qui haud scio an difficultates ipsi sibi facessiverint in verbis intellectu facillimis. (Cf. Trendel. de ideis p. 32 sqq. A. Stahr, Berl. Wiss. Jahrb. 1841. N. 91.) Ac primum quidem quod ad textum attinet probanda est sine dubio scriptura a Brandisio et Bekkero recepta, quae licet a codicibus plurimis recedat, tamen certa Alexandri auctoritas plus habet ponderis quam codicum vel plurimorum consensus, praesertim quum eam exhibeat lectionem, quae propter rationem sententiae vel de coniectura fuerit restituenda. Explicari autem aptissime videtur Aristotelis sententia his verbis Alexandri: κατὰ μέθεξιν γὰρ τὸ εἶναι ἔχει τὰ αἰσθητά τε καὶ συνώνυμα τοῖς εἴδεσι, τὴν τῶν εἰδῶν p. 38, 11. Etenim κατὰ μέθεξιν εἶναι eodem modo dictum est, ut ἁπλῶς εἶναι, πῶς εἶναι, κατὰ συμβεβηκὸς εἶναι et similia, quae vulgatissima sunt apud Aristotelem. Dativum τοῖς εἴδεσι construere cum μέθεξιν, quod voluit A. Stahr l. l., licet illud quidem per leges grammaticas, sed vix putandum est licere per collocationem verborum, qua necessario ducimur ad coniungendum dativum τοῖς εἴδεσι cum συνωνύμων. Deinde τὰ πολλά non est interpretandum plurima, quod schol. p. 549*a* 11, secutus unam ex explicationibus Alexandri p. 38, 5—8, praecepit: εἴρηκε δὲ τοῦτο «τὰ πολλά» διὰ τὸ μὴ πάντων ἰδέας τὸν Πλάτωνα τίθεσθαι, hoc enim repugnaret verbis superioribus, quibus τὰ αἰσθητὰ — πάντα ad normam idearum formata Aristoteles dixerat; explicandum potius τὰ πολλά ex notissimo illo Platonis usu, quod

singulas res sensibiles et ideam cui subiiciantur opponit inter se tamquam τὰ πολλά et τὸ ἕν, cf. Plato de rep. X 596 a. Phaedr. 265 d. Phaed. 78 d. al. Qualia sint illa τὰ πολλά definitur per genitivum τῶν συνωνύμων, appositionis instar additum, quasi dicat τὰ πολλά, ἅ συνώνυμά ἐστι τοῖς εἴδεσι. Sensibilia autem Aristoteles ex sententia Platonis, quam simpliciter referri ipsa forma enunciati documento est, appellat συνώνυμα τοῖς εἴδεσι, quod aptissime dictum esse apparebit reputanti et Aristotelicum inter ὁμώνυμος et συνώνυμος discrimen et Platonis de ideis doctrinam. Aristoteles enim quum duo in lingua Graeca inveniret vocabula non multum distantia ὁμώνυμος et συνώνυμος, ea pro suo arbitrio suum in usum ita distinxit, ut ὁμώνυμα diceret quae nomen tantum, συνώνυμα quae et nomen et substantiam communem haberent, cf. Cat. 1. Trendel. de an. p. 334. Atqui Plato, qui singulas res sensibiles propterea et eatenus esse omnino censeret, quatenus ab idea aliqua conformarentur, profecto non nominis modo, sed substantiae etiam communionem esse voluit inter ideas et res iis subiectas. Quare recte ex sententia Platonis sensibilia dicuntur συνώνυμα τοῖς εἴδεσι. Sed obiici video huic explicationi (cf. Trendel. l. l.), et Platonem numquam συνωνύμους dicere ideas et res sensibiles, et ab Aristotele alibi de eadem re usurpari vocabulum ὁμώνυμος: quae nescio an speciosius disputentur quam verius. Etenim discrimen illud inter ὁμώνυμος et συνώνυμος neque ex origine horum vocabulorum neque ex communi usu linguae repetitum, ipse commentus est et pro suo arbitrio statuit Aristoteles; apud Platonem nullum eius discriminis est vestigium; is enim, ut est religiosior in retinenda usitata vi vocabulorum, ὁμώνυμος utrumque in sensum usurpat, ut et nomen una cum substantia (Tim. 52 a, cf. Phaed. 78 e) et nomen sine substantia commune significet (Prot. 311 b. Parm. 133 d), cf. Alex. p. 38, 19. Iam Aristoteles ubi refert simpliciter Platonis sententiam, ad significandam rationem, quae ideas inter et res sensibiles intercedat, vocabulis utitur συνώνυμος vel οὐχ ὁμώνυμος, veluti h. l. et *I* 10. 1059 a 13: καίτοι τῷ εἴδει ταὐτὰ λέγεται εἶναι τὰ εἴδη τοῖς τισὶ καὶ οὐχ ὁμώνυμα: ubi vero iudicium ferens de doctrina Platonica illam substantiae communionem inter ideam et res sen-

sibiles negat, ibi usurpat voc. ὁμώνυμος, cf. A 9. 991a 6, nec longe alia videtur ratio esse eius loci, de quo uno possit dubitari 9. 990b 6.

987b 10 τὴν δὲ μέθεξιν — 14 ἐν κοινῷ ζητεῖν. Pythagorei quod modo numeros inesse rebus statuere, modo res ad numerorum exemplum effingere dicuntur ab Aristotele, id quantum differat supra est expositum ad 5. 986a 13 sqq. Cum hac autem μιμήσει Pythagorica comparare μέθεξιν a Platone positam eo magis in promtu esse debebat Aristoteli, quoniam Plato ideas, ex quibus rerum naturam repeteret, et ipsas ad numeros retulerat. Quam autem dicerent illam sive imitationem sive communionem utrosque incusat in medio reliquisse. Similia Platoni obiicit H 6. 1045b 8: καὶ αἴτιον τί τῆς μεθέξεως καὶ τί τὸ μετέχειν ἀποροῦσιν. Λ 10. 1075b 19: διὰ τί γὰρ μετέσχεν ἢ μετέχει; κτλ. Quibus e locis Zeller Plat. Stud. p. 235 colligit, Aristotelem communionis illius non tam notionem et definitionem, quam causam desiderasse, sed vereor ut recte. Hoc enim loco nihil aliud nisi τίς ἡ μέθεξις, altero loco non solum διὰ τί, sed simul τί τὸ μετέχειν omissum a Platone arguitur, cf. 9. 991a 20: τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τἆλλα κενολογεῖν ἐστὶ κτλ. Ceterum sive causam sive ipsam naturam communionis Platonem in medio dicit reliquisse, perinde iniqua est reprehensio. De causa cf. ad 988a 9, de natura autem eius communionis, quae rebus singulis sit cum ideis, magna parte dialogi Parmenidis Plato disputavit. Potuit sane utrumque non sufficere Aristoteli, non potuit vere dicere ea a Platone in medio esse relicta.

987b 14 ἔτι δὲ παρὰ τὰ αἰσθητὰ — 18 μόνον. Tria rerum genera posuisse Platonem, sensibilia mathematica ideas, constanter multis locis refert Aristoteles, cf. 9. 992b 14. B 1. 995b 16. 2. 997b 12. 6. 1002b 12 sqq. Z 2. 1028b 19. K 1. 1059b 4 sqq. Λ 1. 1069a 34. Et a sensibilibus quidem rebus differre mathematicas aeterna et immutabili natura (ἀκίνητα b 16, cf. Zeller Phil. d. Gr. II. p. 250 not.), ab ideis autem eo, quod mathematicae quidem res eiusdem formae indefinitae numero sunt, idea vero quaelibet simpliciter est una, cf. B 6. l. l.: τὰ μὲν μαθηματικὰ

τῶν δεῦρο (i. e. τῶν αἰσθητῶν) ἄλλῳ μέν τινι διαφέρει, τῷ δὲ πόλλ' ἄττα ὁμοειδῆ εἶναι οὐθὲν διαφέρει. Ita quum sua natura in medio posita sint mathematica inter sensibilia et ideas (μεταξύ *b* 16), saepe ea Platonico sensu significat hoc ipso vocabulo τὰ μεταξύ, cf. 9. 991*b* 29. 992*b* 16. *B* 2. 997*b* 2, 13. 998*a* 7. 6. 1002*b* 13, 21. *K* 1. 1. 1. *M* 2. 1077*a* 11. — Et hoc quidem verissime retulit Aristoteles, medium quendam locum inter sensibilia et ideas assignasse Platonem rebus mathematicis, siquidem ex sententia Platonis et ei, qui cogniturus est ideas, a perceptione sensuum ad idearum contemplationem aditus per illas parandus est, et vicissim ideae per mathematicas formas rerum sensibilium species constituunt. Quum autem Plato veram et absolutam essentiam unice ideis tribueret, reliqua sive mathematica sive sensibilia eatenus esse censeret, quatenus ex ideis partem quandam essentiae recepissent, Aristoteles aliquantum immutavit Platonis sententiam, quod tria haec genera entium, quasi quae eodem essent iure, iuxta se posuit. Qua quidem ratione distinxit sane et definivit Aristoteles, quae est eius virtus, ea quae Plato non potuerat ad artos notionis fines describere, sed ita definivit, ut et fundamentum doctrinae Platonicae everteret et plurimas inde potissimum rationes redarguendi Platonis posset repetere. Cf. Zeller Plat. St. p. 248—266. Ph. d. Gr. II. p. 178 sq. 250.

987*b* 18 ἐπεὶ δ' αἴτια — 22 τοὺς ἀριθμούς. Qua ratiocinatione Pythagoreos dixit usos esse ad suam doctrinam comprobandam, 5. 986*a* 1, eadem Platonem adductum esse censet, ut idearum elementa eadem omnium rerum elementa esse statueret. Et materiale quidem elementum esse statuit τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν h. e. id quod et augendo et diminuendo pariter est idoneum et utriusque in se continet δύναμιν (cf. Phys. III 6. 206*b* 27: ἐπεὶ καὶ Πλάτων διὰ τοῦτο δύο τὰ ἄπειρα ἐποίησεν, ὅτι καὶ ἐπὶ τὴν αὔξην δοκεῖ ὑπερβάλλειν καὶ εἰς ἄπειρον ἰέναι καὶ ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν. Phys. I 4. 187*a* 16), formale autem principium posuit unitatis vim, ὡς δ' οὐσίαν τὸ ἕν. Etenim οὐσία quum sit opposita τῇ ὕλῃ, indefinitae nimirum suapte natura, eam definitionem ac formam putanda est significare, qua quaeque res id est, quod est; quam eandem οὐσίας significatio-

nem ibi habemus, ubi nomen *οὐσία* coniunctum legimus cum nomine *εἶδος* (*Δ* 4. 1015*a* 10. 18. 1022*a* 15. *Z* 8. 1033*b* 17. al.) vel cum formulis *τὸ τί ἦν εἶναι, τὸ τί ἐστι* (*A* 3. 983*a* 27. 7. 988*a* 35. 10. 993*a* 18. al. — 8. 988*b* 28. *Δ* 13. 1020*a* 18. *E* 1. 1025*b* 14. al.). — Posuit autem, ait Aristoteles, duo illa principia idearum Plato, ratus *ἐξ ἐκείνων* (i. e. *τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ*) *κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς* *b* 21. Extrema verba *τοὺς ἀριθμούς* verissime Alexander videtur interpretari, quod ea pro appositione putat addita esse ad definienda *τὰ εἴδη*. Scribit enim p. 40, 2: *εἰπὼν δὲ τὰ εἴδη προσέθηκε «τοὺς ἀριθμούς»· τὰ γὰρ ὡς ἀριθμοὶ εἴδη αἱ ἰδέαι, ἐπεὶ εἴδη καὶ ἄλλα ἐστίν, ὥσπερ οὖν καὶ ἀριθμοί.* Quemadmodum Aristoteles *τὰ εἴδη*, ubi hoc vocabulum non Platonico sed vulgari sensu accipi vult, saepe definit addito *γένος* nomine, *τὰ ὡς γένους εἴδη* *Z* 12. 1038*a* 5. 4. 1030*a* 12. *I* 7. 1057*b* 7. 8. 1058*a* 22. *M* 5. 1079*b* 34. cf. *A* 9. 991*a* 30, ita mirari non possumus quod *εἴδη* Platonico sensu definit per appositionem *τοὺς ἀριθμούς*, h. e. eas species, quas Plato vel comparavit numeris vel reduxit ad numeros. Potuisse addi *τουτέστι* vel similem quandam usurpari formulam, veluti *τὰ ὡς ἀριθμοὺς εἴδη*, quod contendit Zeller Plat. St. p. 235 sq. not., non negaverim, necessario fuisse addendum non possum ei concedere. Et is quidem, ne incideret in illam Alexandri interpretationem, verba Aristotelis sic vertit: *denn aus jenen (dem Grofsen und Kleinen) werden die Ideen zu Zahlen durch die Theilnahme (des Grofsen und Kleinen) an dem Eins.* At ea interpretatio nec per leges grammaticas potest admitti, nec sententiarum nexui apta est. Hoc enim si voluisset dicere Aristoteles, omittendus erat in praedicato articulus *τούς*, sed non voluit dicere; namque ex particula causali *γάρ* cognoscitur superioris enunciati rationem afferri. Itaque non potuit explicare, qui fieret ut ideae in numerorum naturam abirent, sed quemadmodum illa, quae retulit, essent idearum sive numerorum idealium eademque propterea rerum omnium principia. Haec quoniam manifesto est argumentandi ratio, nec Schweglero possum adstipulari, qui recepta Zelleri interpretatione articulum *τούς* omitti iubet.

Quod autem Aristoteles his verbis et idearum materiale principium et eadem idearum rerumque sensibilium principia statuisse Platonem refert, id nec concinere cum ipsa Platonis doctrina nec tamen deesse in ea, unde hanc opinionem hauserit Aristoteles, et acute et vere comprobavit Zeller Plat. St. p. 248—257. Phil. d. Gr. II. p. 237—241.

987b 22 τὸ μέντοι γε ἓν — 988a 1 ἐκμαγείου. Cum Pythagoreis Plato hoc habet commune, quod non substantiam quandam subiecit, de qua praedicetur unitas, μὴ ἕτερόν γέ τι ὂν λέγεσθαι ἓν b 23, sed ipsam unitatem substantiam esse voluit, cf. ad 5. 987a 18, et quod numeros, licet alia ac Pythagorei ratione, in principiis posuit. Dissentit autem a Pythagoreis et eo, quod infinitam materiae naturam, verbo quidem magis quam re ac notione (cf. Phys. I 9. 192a 9) duplicem fecit, ἀντὶ τοῦ ἀπείρου ὡς ἑνὸς δυάδα (int. τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ, non τὴν ἀόριστον δυάδα cf. ad b 26 et Trend. de id. p. 48—51, Zeller Pl. St. p. 222), et eo quod a rebus seiunxit numeros, quos Pythagorei inesse rebus censuerant, cf. ad 5. 986a 13. Seiunxit autem a rebus numeros, quia numeris idearum contineri naturam arbitrabatur, quas seiungendas a rebus et absolute ponendas intellexerat; tantamque ideis tribuerat dignitatem, quia Socratis doctrinam secutus summam in definitionibus investigandis collocaverat operam, οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον b 32, cf. M 4. 1078b 25: διαλεκτικὴ γὰρ ἰσχὺς οὔπω τότ' ἦν, ὥστε δύνασθαι καὶ χωρὶς τοῦ τί ἐστι τἀναντία ἐπισκοπεῖν. Dyadem autem materiae propterea statuit, quia numeri ex dyade facile progignuntur, ἔξω τῶν πρώτων b 34. Sed hi πρῶτοι ἀριθμοί qui sint intelligendi, dissentiunt interpretes. Alexander enim πρῶτοι sensu mathematico interpretatus intelligi vult vel τοὺς πρώτους ἁπλῶς i. e. τοὺς μονάδι μόνῃ μετρουμένους, p. 43, 19 (sive haec explicatio Alexandri est, sive alius cuiusdam veteris interpretis), vel universe impares numeros, p. 43, 4. Nostra vero aetate Trendelenburg de id. p. 78, Zeller Plat. St. p. 255 sqq. not., Schwegler ad h. l. vocabulis πρῶτοι ἀριθμοί ideales numeros significari monuerunt; et coniunxit quodammodo utramque sententiam Brandis Mus. Rhen. III. p. 574 et dubitantius Gesch. II. p. 313xx, quod non omnes numeros

ideales sed impares numeros ideales intelligi vult. Et haec quidem Brandisii explicatio nullo modo videtur ex ipsis Aristotelis verbis repeti posse; etenim πρῶτοι accipiendum necessario est aut mathematico sensu aut logico, non potest, quae est Brandisii sententia, utrumque simul complecti. Trendelenburgio autem et Zellero id quidem non potest non concedi, saepissime logico sensu apud Aristotelem ad numeros addi adiectivum πρῶτος, ut ideales numeri discernantur a mathematicis, cf. πρώτη δυάς *M* 7. 1081 passim, πρῶτος ἀριθμός 1081ᵃ 4, quamquam idem adiectivum etiam mathemathico sensu usurpatur Θ 10. 1052ᵃ 8; sed nisi magnopere fallor per sententiae rationem fieri nullo modo potest, ut πρῶτοι ἀριθμοί hoc loco de idealibus numeris intelligamus. Etenim Aristoteles postquam eadem rerum et idearum apud Platonem esse principia retulit et quomodo ideae ex illis principiis progignerentur exposuit, ἐξ ἐκείνων γὰρ — τοὺς ἀριθμούς b 21, iam eas affert rationes, quibus Platonem ad hanc sententiam inductum putet. Quare etiamsi Plato ex illa dyade magni et parvi ideales numeros vel omnino non videretur repetiisse vel non omnes, quod ne verum quidem esse ipse Zellerus docuit l. l., hoc tamen loco et in hac argumentandi ratione Aristoteles profecto dicere non potest, propterea Platonem hanc dyadem pro materiali principio quasi rerum tum idearum statuisse, quod ex ea facile repetantur reliqua omnia, praeter ea, quae quammaxime erant repetenda, numeros ideales. Hoc esset redarguentis placita Platonica, quod Aristoteles postea demum instituit 988ᵃ 1—7, non explicantis. His rationibus adductus facere non possum quin spreta auctoritate doctissimorum, qui nunc sunt, Aristotelis interpretum ad Alexandri explicationem redeam. Propterea, ait igitur Aristoteles, pro materiali principio Plato dyadem videtur posuisse, quia numeri, quorum ad naturam vel similitudinem ideas suas redegerat, magnam partem dyadis ope progignuntur, exceptis nimirum numeris vel indivisibilibus vel omnino imparibus. Atque eam rationem Platoni subiicere eo magis poterat Aristoteles, quia Plato sane alicubi, Parm. p. 144a, ex unitate et dyade, quamvis hac et ipsa repetita ex unitate, omnes progignit numeros, quicunque sunt, ἄρτια ἀρτιάκις καὶ περιττὰ περιττάκις καὶ ἄρτια

περιττάκις καὶ περιττὰ ἀρτιάκις, h. e. omnes numeros praeter τοὺς μονάδι μόνῃ μετρουμένους. — Hanc autem generationem numerorum quod ex dyade dicit procedere tamquam ἔκ τινος ἐκμαγείου 988*a* 1, ἐκμαγεῖον non dici τὸ ἐκμάσσον, quae Alexandri est sententia p. 42, 30, sed τὸ ἐκμασσόμενον, ut ex universa ratiocinatione apparet, ita confirmatur coll. Plat. Tim. 50c. Theaet. 191c.

988*a* 1 καίτοι συμβαίνει γ' — 7 ἐκείνων ἐστίν. Plato quod multitudinem et varietatem rerum sensibilium e natura materiae repetiit, consentaneum id quidem est doctrinae de ideis, in quibus omne eius philosophiae positum est fundamentum, cf. Zeller. Plat. St. p. 219. Aristoteles vero haec refutaturus, ut demonstret non fieri plura ex una eademque materia, rerum sensibilium evidentiam opponit placitis Platonicis. Haec evidentia et per συμβαίνει significatur, quod h. l. idem est ac fit vel solet evenire, et praecipue per φαίνεται *a* 3, quo verbo saepe externa sensuum evidentia comparatur cum ratiocinationibus, de an. II 7. 418*b* 24: παρὰ τὴν ἐν τῷ λόγῳ ἀλήθειαν καὶ παρὰ τὰ φαινόμενα. Anal. post. I 38. 89*a* 5. cf. Met. *Α* 5. 986*b* 31. *Λ* 9. 1074*b* 16. Iure autem haec externa adhiberi documenta comprobatur verbis: καίτοι ταῦτα μιμήματα τῶν ἀρχῶν ἐκείνων ἐστίν *b* 7. Atqui oportet, ait, has res sensibiles concinere cum universalibus illis placitis, quae sunt de rerum natura ac principiis, siquidem ex ipsa Platonis sententia hae res effictae sunt ad illarum exemplum.

988*a* 7 Πλάτων μὲν οὖν — 17 Ἀναξαγόραν. Causam motricem, non omissam illam a Platone, iniuria tacuit Aristoteles, licet ei non suffecerint, quae in Timaeo de ea disputantur; hoc recte monuerunt Alex. ad h. l. Zeller Plat. St. p. 215. Boni et mali causam quod dicit a Platone assignatam esse alteram unitati alteram materiali principio cf. *Λ* 10. 1075*a* 34. *Ν* 4. 1091*b* 13. Zeller l. l. p. 276. Gesch. II. p. 210. — ὥσπερ φαμέν *b* 15. cf. 3. 984*b* 18. 4. 985*a* 3.

CAP. VII.

Perlustratis veterum philosophorum placitis nullum esse causae genus omissum, quum quatuor supra proponerentur, comprobatur 988*a* 18—23, *etenim materiale principium*

omnes posuerunt — 32, addiderunt nonnulli causam moventem — 34, formalem causam attigerunt Platonici — b6, denique finalem causam simpliciter quidem nemo posuit, quodammodo tamen complures — 16. Sed extra quatuor illa genera causarum novum nullus invenit philosophus — 21.

988*a* 20 *τῆς ἀληθείας* cf. ad 3. 983*b* 3. — *a*22 *ἐν τοῖς περὶ φύσεως* cf. ad 3. 983*a* 33. — *a*23 *ἀμυδρῶς* cf. ad 5. 986*b* 6. 4. 985*a* 4. — *a*30 *πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον.* Hoc principium materiale, supra in recensendis philosophorum placitis omissum, sed alibi aliquoties ab Aristotele commemoratum, 8. 989*a* 14. Phys. I 4. 187*a* 14. de coel. III 5. 303*b* 12, Alexander ad h. l. aliique interpretes Graeci ab Anaximandro positum arbitrantur, cf. Brandis Gesch. I. p. 132*e*. — *a*32 *οὗτοι μὲν οὖν* non ad omnes refertur antea commemoratos, sed ad eos qui extremo loco inde a verbis *a*29 *ἔτι ὅσοι* enumerantur; hi enim in ponenda materiali causa acquieverunt.

988*a* 35 *καὶ τὴν οὐσίαν.* *οὐσία* de formali rerum principio, cf. ad 6. 987*b* 21. — *b*2 *τὸ ἓν τοῖς εἴδεσι* de coniectura scripsi pro lectione et codicum omnium et Alexandri *τὰ ἐν τοῖς εἴδεσι*, quia haec verba non videntur explicari posse. Nam quod Alexander dicit *τὰ ἐν τοῖς εἴδεσι* significare principia idearum, quae ad notionem substantialem pertineant, non ad materiam, oblitus videtur ex Aristotelis certe narratione eandem esse et idearum et rerum sensibilium materiam, cf. ad 6. 987*b* 18 sqq., ideoque non posse elementa idearum simpliciter ad formale genus causae referri. Ad confirmandam coniecturam cf. *b*5. 6. 988*a* 13. Obs. ad Met. p. 112. — *b*2 *οὐδ' ὡς ἐντεῦθεν κτλ.* Quietis potius quam motus ideas esse causas monet 9. 991*a* 11. 992*a* 25, *b*7. *Λ* 6. 1071*b* 14. 10. 1075*b* 27.

988*b* 6 *τὸ δ' οὗ ἕνεκα* — 16 *λέγουσιν.* Finalem causam, ait, quodammodo quidem nonnulli inter veteres philosophos ponunt, *οὕτω δὲ οὐ λέγουσιν* *b*7, h. e. non ponunt eam tamquam finalem. Bonum enim qui habent in principiis, non per se ponunt tamquam id, cuius causa fiant omnia, sed vel moventi causae vel formali (*οἱ τὸ ἓν ἢ τὸ ὂν κτλ.* *b* 12, h. e. Platonici) hoc attribuunt, ut sit bona. Itaque *τὸ ἀγαθὸν* ex eorum sententia non est *ἁπλῶς αἴτιον*, sed *συμ-*

βεβηκός vel motricis vel formalis causae. Cf. de respir. 4. 472a 2: οὐ μέντοι (sc. Δημόκριτος) ὡς τούτου γ' ἕνεκα ποιήσασαν τοῦτο τὴν φύσιν οὐθὲν εἴρηκεν· ὅλως γὰρ ὥσπερ καὶ οἱ ἄλλοι φυσικοί, καὶ οὗτος οὐθὲν ἅπτεται τῆς τοιαύτης αἰτίας. — b 12 τὴν τοιαύτην φύσιν referendum est ad eam definitionem principii, quae proximis verbis est exposita, ὡς ἀπὸ τούτων τὰς κινήσεις οὔσας. Similem autem, τοιαύτην, non prorsus eandem huius esse principii naturam Aristoteles significat, quoniam Platonici non motum sed ipsam essentiam ex hoc petiverunt principio.

CAP. VIII.

Examinaturus quid recte de principiis censuerint veteres philosophi quid secus, primum eorum exigit doctrinam, qui unam statuerunt causam materialem 988b 22 — 989a 19, *inde ad Empedoclem progreditur* — a 30. *Tum Anaxagorae doctrinam illustrat et sustentat potius quam redarguit* — b 21. *Ili omnes de sensibili modo rerum natura philosophati erant* — b 24. *Iam inter eos, qui res sensibus exemtas perinde cognoscendas sibi proposuerunt, primum Pythagoreorum placita excutit* — 990a 32.

988b 22 ὅσοι μὲν οὖν — 989a 19 ταῦτ' εἰρημένα. Prima capitis verba ἕν τε τὸ πᾶν καὶ μίαν τινὰ φύσιν ὡς ὕλην consentientes inter se interpretantur Hengstenb. et Schwegl.: *welche das All als Eins und als eine einzige Natur, als Materie nämlich, setzen.* At rerum universitatem non ipsam esse ponunt unam materiam, sed repetunt et deducunt ex una materia Thales reliquique vetustissimi naturae investigatores. Nimirum in eo peccant illi interpretes quod μίαν τινὰ φύσιν alterum esse praedicatum putant, quod ad idem obiectum τὸ πᾶν referatur, quum potius pro altero obiecto habendum sit, cui praedicati loco addatur ὡς ὕλην. Itaque hoc fere dicit Aristoteles: quicunque universum mundum tamquam unum posuerunt, non dico Parmenidem et qui cum eo consentiunt, sed qui ita unum posuerunt, ut ex una materia omnia repeterent. Cf. Alex. p. 48, 28: οὕτως γὰρ ἓν ὡς ἐξ ἑνός. — Hos igitur philosophos omnes quum multifariam peccare dicat, quatuor potissimum ratio-

nibus eos reprehendit. Primum enim non investigarunt nisi corpora sensibilia, quamquam sunt etiam alia non corporea *b*24—26. Deinde quamquam generationem explicare susceperunt, tamen qua carere ad eam non possumus causa motrice, eam omiserunt *b*26—28. (καὶ φθορᾶς *b*26 uncinis inclusi, secutus Alexandri auctoritatem p. 48, 8; ac profecto facilius haec verba in textum potuerunt irrepere, si non erant scripta ab Aristotele, quam quum exhiberentur omitti.) — Tum in eo peccant, quod formalem causam non posuerunt: ἔτι δὲ τὸ τὴν οὐσίαν μηθενὸς αἰτίαν τιθέναι μηδὲ τὸ τί ἐστι *b*28. De οὐσίᾳ ad significandum principium formale cf. ad 6. 987*b* 21. Addendum autem cogitatione ad hoc enunciatum ἁμάρτημά ἐστι vel simile quid, quod facile repetitur ex verbis superioribus πολλαχῶς ἁμαρτάνουσι *b*24. Brandisius et Bekkerus commate post τὸ τί ἐστι posito haec cum sequentibus coniunxerunt, ut τὸ τὴν — τί ἐστι referretur ad οὐκ ἐπισκεψάμενοι τὴν ἐξ ἀλλήλων γένεσιν ποιοῦνται, sed quum ellipsin effugerent admodum facilem, sententiae rationem perturbarunt. Etenim formalem causam neglexisse non possunt videri propterea, quod considerare omitterent, quae esset diversa nascendi ratio; sed ex hac levitate ab Aristotele vituperata id unum fluxit, ut de materiali principio eligendo alii aliter sentirent, non item ut formalem omitterent causam. Nostram distinctionem confirmat interpretatio Alexandri p. 49, 11. — Denique eos incusat temere quodvis ex elementis (τῶν ἁπλῶν σωμάτων, cf. ad 3. 984*a* 6) pro principio habuisse praeter terram, idque propterea quod non considerarent τὴν ἐξ ἀλλήλων γένεσιν πῶς *b*31 i. e. πῶς ἐστί sive πῶς συμβαίνει. Fiunt enim elementa alterum ex altero vel συγκρίσει vel διακρίσει. Illam si posuerimus generationis rationem, τῇ μὲν γὰρ *b*34, id elementum pro principio est habendum, quod est λεπτομερέστατον, h. e. ignis, et errare censendi sunt, quicunque aliud posuere elementum in principiis. Ac videntur quidem tecte nec sibi ipsi conscii partium exilitatem in natura materiae requisivisse, siquidem nemo vulgatam et ab Hesiodo (cf. 4. 984*b* 32) celebratam opinionem secutus terram pro principio posuit. — Iam priori de generatione opinioni, quum quidem συγκρίσει res fieri putant ac propterea tenuissimo

elemento principatum tribuere debent, quae sententia significata est verbis τῇ μὲν *b* 34 et in memoriam revocata v. κατὰ μὲν οὖν — λέγοι *a* 12—15, alteram de διακρίσει opinionem per similem dicendi formam opponi exspectes τῇ δὲ κτλ., h. e. sin vero διακρίσει omnia fieri statuerimus etc. Aristoteles vero ab hac simplici et argumentandi ratione et dicendi forma recessit, et interposita alia quadam sententia ad stabiliendum terrae principatum viam parat. Nimirum notum est Aristotelis placitum, id quod generatione posterius est, utpote forma definitum et a potentia transgressum ad actum, substantia esse prius, cf. *Θ* 8. 1050*a* 4. *M* 2. 1077*a* 26. Hoc si reputaverimus, quamvis generationem συγκρίσει fieri statuamus, tamen eo deducimur, ut densissimum potius elementum quam tenuissimum pro principio ponamus; unde consequitur ut hac ratione nihil nisi terra possit pro principio haberi. Alterum utrum igitur, aut ignem aut terram, pro principio statuere eum oportebit, qui in quaerendo uno principio materiali mutuam elementorum generationem diligenter reputaverit; illi vero philosophi facile quodvis elementum praeter terram pro principio statuerant, τῶν δὲ τριῶν στοιχείων ἕκαστον εἴληφε κριτήν τινα *a* 6. Similiter Arist. dicit de an. I 2. 405*b* 8: πάντα γὰρ τὰ στοιχεῖα κριτὴν εἴληφε πλὴν τῆς γῆς, qui locus omnino cum hoc est conferendus, et Polit. VIII 2. 1337*a* 40: δῆλον οὐδὲν πότερον ἀσκεῖν δεῖ τὰ χρήσιμα πρὸς τὸν βίον ἢ τὰ τείνοντα πρὸς ἀρετὴν ἢ τὰ περιττά· πάντα γὰρ εἴληφε ταῦτα κριτάς τινας. Quid significet his locis formula εἰληφέναι κριτήν apertum est, quomodo eam vim possit habere dubium videtur. Uberius de ea re disseruit Trendelenb. de an. ad l. l. p. 240 sq., qui quae attulit de κριταῖς ut iudicibus certaminum poeticorum, ea non aliena quidem sunt ab his locis, sed videtur tamen acquiesci posse in vulgata nominis significatione, qualem habemus in formula ὡς ἐμοὶ κριτῇ. Quod autem explicat: *singula singulos iudices elementa occupavere, eorumque animos detinent*, id vereor ut cum significatione verbi λαμβάνειν recte possit conciliari. Equidem potius nomine κριτής, quoniam coniunctum est cum λαμβάνειν, significari putaverim suffragium iudicis: unumquodque ex tribus illis elementis unius tulit iudicis suffragium. — *a* 14 ἀέρος μὲν

πυκνότερον κτλ. cf. ad 7. 988*a* 30, namque haud scio an his verbis eiusdem philosophi, quisquis ille est, placitum significetur.

989*a* 19 *τὸ δ' αὐτὸ κἂν* — 30 *οὔ φησιν.* Empedocles quum plura numero ponat principia rerum materialia, fieri non potest quin in difficultates incidat partim easdem partim sibi proprias, *τὰ μὲν ταὐτὰ τὰ δ' ἴδια συμβαίνειν ἀνάγκη* *a* 21. Verbum *συμβαίνειν*, quod significat concludendi ex propositionibus quibusdam necessitatem (Anal. pr. I 1. 24*a* 19. Trendel. de an. p. 191), saepe usurpat Aristoteles ad significandas eas difficultates et repugnantias, ad quas in redarguendo adigit alios philosophos, factis ex eorum doctrina conclusionibus, cf. *b* 1, 16. 9. 990*b* 19. *B* 2. 998*a* 9. 17 al. Breier Anaxagoras p. 29. — Quae communes sint Empedocli cum superioribus philosophis difficultates, Aristoteles ipsi lectori cognoscendum relinquit, atque apparet, primam ac tertiam ex iis, quae antea sunt enumeratae 988*b* 24, 28, etiam in Empedoclem cadere. Proprias autem Empedocli duas potissimum profert. Primum enim videmus elementa alterum ex altero progigni, ergo non possunt, quae est Empedoclis sententia, eandem naturam non mutatam servare. Esse hanc Empedoclis sententiam et sustulisse eum, ne in spinas Parmenideae doctrinae incideret, omnem generationem et ad compositionem et distinctionem elementorum retulisse, apparet e versibus Empedocleis *Δ* 4. 1015*a* 1. Disputasse se ea de re dicit Aristoteles *ἐν τοῖς φυσικοῖς*, quo nomine universe *τὴν φυσικὴν πραγματείαν* significat, cf. de coelo III 7. de gener. II 6. 333*a* 16. — Deinde de moventium causarum numero, utrum una statuenda esset an duae, Empedoclem disputasse dicit nec recte (*οὔτ' ὀρθῶς*), siquidem unum debere esse *τὸ κινοῦν ἀκίνητον* Aristoteles persuasum habet, nec sibimet ipsi constantem (*οὔτ' εὐλόγως*), quoniam utriusque principii munera non potest ita, uti distinxit, servare distincta, cf. ad 4. 985*a* 23. — Proxima verba: *ὅλως τε ἀλλοίωσιν* — *οὔ φησιν* *a* 26—30 eandem continent reprehensionem, quam antea protulit *a* 22—24, ac notandum quidem, quod haec verba neque in cod. *A*b exhibentur neque ab Alexandro explicantur. Nolim tamen propterea ea verba interpreti potius quam Aristoteli tribuere, quoniam et

in ipsis verbis et in ea ratione, qua cum superioribus coniuncta sunt, Aristotelis manum agnoscere mihi videor, neque alienum est ab Aristotelis consuetudine, praecipue in refutandis aliorum placitis, congerere et cumulare argumenta parum inter se distincta. Et hoc quidem loco licet eadem iteretur reprehensio, alia tamen ratione comprobatur; tolli dicit alterationem, quippe quae non possit esse, nisi exstiterit materia quaedam contrariis qualitatibus, veluti calori et frigori, recipiendis pariter idonea; talem autem materiam non poni ab Empedocle. — *τὶ γὰρ ἂν — πάσχοι, τὶς ἂν εἴη φύσις* *a*28, indefinitum pronomen ex Asclepii commentario recepi pro interrogativo, quod vulgo exhibetur, quia cum interrogativa enunciati forma non videntur apte coniungi posse quae proxime sequuntur verba: *ὅ ἐκεῖνος οὔ φησι.*

989*a* 30 *Ἀναξαγόραν δ' εἴ τις* — *b*21 *φαινομένοις μᾶλλον.* Anaxagoram, quamquam elementorum *ὁμοιομερῶν* infinitam multitudinem mente ordinari censuit, tamen si quis putaverit duo modo posuisse principia, materiam et mentem formantem, *μάλιστ' ἂν ὑπολάβοι κατὰ λόγον, ὃν ἐκεῖνος κτλ.* *a*32. Ubi *κατὰ λόγον* usurpatur, nomine *λόγος* nec per adiectivum nec per pronomen definito, perinde atque *εὐλόγως* id significat, quod rationibus ad rem pertinentibus accommodatum est et consentaneum, cf. *N* 1. 1088*a* 4. Phys. III 7. 207*a* 33. de respir. 14. 476*b* 14 al. et (ubi opponitur *κατ' αἴσθησιν*) de part. an. III 4. 666*a* 19 al. Hoc autem loco quum *λόγος* definiatur addita enunciatione relativa *ὃν ἐκεῖνος κτλ.*, eam significat rationem et argumentationem, quam Anaxagoras ipse quidem non est persecutus neque ad finem perduxit (*διήρθρωσεν* *a*32, cf. ad 5. 986*b* 6), sed in animo tamen videtur habuisse, et probasset si ab alio eo fuisset adductus, *ἠκολούθησε μέντ' ἂν — τοῖς ἐπάγουσιν αὐτόν* *a*32. (*ἐπάγειν* enim interpretandum videtur *adducere aliquem ad aliquam opinionem*, cf. Hom. Od. XIV 392.) Cogitasse autem Anaxagoram obscure de materia quum mistionem statueret omnium rerum, inde potissimum colligitur, quod proficisci ab illa mistione absurdius sit, quam ut Anaxagoram vere sic existimasse putemus. Primum enim si quis ponat omnes res inter sese esse mistas, hac ipsa hypothesi id contineri, ut antea exstitisse immistae putentur. Hoc

sane ex notione mistionis videtur repeti posse et sufficiebat ad explicandam distinctius Anaxagorae doctrinam. Quae autem praeterea addit duo argumenta: *καὶ διὰ τὸ — χωρισμός* *b* 1—4, suam vel notionem vel interpretationem Aristoteles Anaxagorae obtrudit. Etenim *τὸ μὴ πεφυκέναι τῷ τυχόντι μίγνυσθαι τὸ τυχόν* *b* 1 pertinet ad *μῖξιν* sensu Aristotelico, h. e. ad mistionem chemicam, quam dicimus, sed de ea nimirum Anaxagoras non cogitavit; cf. Breier Anaxagoras p. 27—30. Et quod Anaxagoram eum substantiis accidentia vel affectiones miscuisse dicit (cf. de gener. I 10. 327*b* 15. Phys. I 4. 188*a* 5 sqq.), unde consequens sit, ut accidentia per se poni oporteat, verba Anaxagorae falso est interpretatus, cf. Breier l. l. p. 48. — Itaque si non haeserimus, ait, in ipsa mistionis notione, absurda illa nimirum, sed quid voluerit Anaxagoras dicere indagaverimus, *φανείη ἂν καινοπρεπεστέρως λέγων* *b* 6, h. e. *παραπλήσιον τοῖς ὕστερον λέγουσι* *b* 20 (falso Schwegl.: *so liefse sich seiner Lehre eine neue und eigenthümliche Seite abgewinnen*, apte Breier l. l. p. 83: *so möchte er am Ende doch moderner reden, als man glaubt.*) Etenim quum in mistione illa coniuncta essent omnia, non poterat ulla qualitas ei tribui (*οὐθὲν ἦν ἀληθὲς εἰπεῖν κτλ.* *b* 7. Verbum *εἰπεῖν* suspensum est ab *ἀληθὲς ἦν*, cf. *Γ* 4. 1006*b* 29. 1007*b* 32. 7. 1012*a* 28. *Δ* 9. 1017*b* 34. 15. 1021*b* 1. 30. 1025*a* 14. *M* 3. 1077*b* 31, 33); tribuenda enim esset una quaedam et singularis qualitas, *τῶν ἐν μέρει τι λεγομένων εἰδῶν* (cf. ad *Γ* 1. 1003*a* 22), nec potest tamen tribui, quoniam quidem, quae ei est contraria, non minus inest mistioni. Ita quum mistio illa nullam habeat re vera qualitatem et possit tamen ad omnes pervenire, meram potentiam significat, atque Anaxagoras eadem duo putandus est principia posuisse, quae Platonici (*τίθεμεν* *b* 18. cf. ad 9. 990*b* 9. Breier l. l. p. 84) ponunt, unitatem et indefinitam materiam. Non distincte sane hoc explicuit Anaxagoras, sed in animo tamen habuit quidpiam *παραπλήσιον τοῖς τε ὕστερον λέγουσι καὶ τοῖς φαινομένοις μᾶλλον* *b* 20. Adverbium *νῦν* ante *φαινομένοις*, quod et scripti libri et editi reliqui omnes habent, cum Brandisio ex auctoritate Alexandri omisi. Si retinuerimus adv. *νῦν*, dativus *τοῖς φαινομένοις* non habendus erit pro genere mascu-

lino, quod voluit Breier l. l.: *die Späteren, welche bestimmter gesprochen*, sed pro genere neutro, quod expressit Schwegler ad h. l.: *als die jetzigen Ansichten*. Usurpatur enim interdum *φαινόμενος, τὰ φαινόμενα* eodem fere sensu ac *δοκῶν, τὰ δοκοῦντα*, cf. An. pr. I 1. 24*b* 11. Top. VIII 5. 159*b* 21, 18. I 14. 105*b* 1, 2 coll. 104*a* 8—15. Sin omiseris adv. *νῦν*, dativus *τοῖς φαινομένοις* pariter pro genere neutro habendus, et *τὰ φαινόμενα* eo accipienda erunt sensu, de quo expositum est ad 6. 988*a* 3, ut hoc dixisse videatur Aristoteles: id quod voluit Anaxagoras propius accedit et ad posteriorum philosophorum doctrinam et ad sensuum evidentiam. Nimirum Aristoteli, ex sua sententia iudicanti aliena placita, propius profecto videbatur ad evidentiam sensuum accedere, quicunque quolibet modo formam et materiam distinxisset, quam qui rerum omnium posuisset mistionem. — Aptam etiam illam esse sententiam, quam habemus servato adverbio *νῦν*, non nego; obtemperandum tamen putavi auctoritati Alexandri, quia et facilius quispiam superioribus verbis *τοῖς ὕστερον λέγουσι* adduci poterat ut adderet adv. *νῦν*, quam ut omitteret si scriptum erat, et omisso adv. *νῦν* cavetur ne bis idem dixisse Aristoteles videatur.

989*b* 29 *οἱ μὲν οὖν καλούμενοι* — 990*a* 18 *ἴδιον*. *οἱ καλούμενοι Πυθαγ.* cf. ad 5. 985*b* 23; Pythagoreos uti Aristoteles dicit *ταῖς ἀρχαῖς καὶ τοῖς στοιχείοις ἐκτοπωτέροις τῶν φυσιολόγων* *b* 30. Adiectivum *ἐκτοπωτέροις* exhibui invitis codicibus, qui omnes adverbium *ἐκτοπωτέρως* habent, fretus et Alexandri auctoritate (p. 53, 24: *ὅτι ἀρχὰς μὲν ὑπέθεντο ξενικωτέρας καὶ ἀπηρτημένας τῶν φυσικῶν καὶ ἐκτοπωτέρας*) et ipsa sententiarum ratione. Neque enim usus principiorum, quem faciunt Pythagorei, differt a veteribus physiologis, quod significaret adverbium *ἐκτοπωτέρως* — utuntur enim suis utrique principiis ad explicandam generationem et omnino sensibilem rerum naturam —, sed ipsa principia Pythagoreorum longe differunt a principiis veterum philosophorum, cf. *b* 31: *τὸ δ' αἴτιον ὅτι παρέλαβον αὐτάς*. 990*a* 5: *τὰς ἀρχάς, ὥσπερ εἴπομεν, ἱκανὰς λέγουσιν — ἁρμοττούσας*. Hoc novum et inauditum principiorum genus statuere propterea in animum induxerunt, quod illud non ex rebus sensibilibus petiverunt, quae eac-

dem fere sunt mobiles (οὐκ ἐξ αἰσθητῶν, τὰ γὰρ μαθ. — ἄνευ κινήσεώς ἐστι, cf. *Λ* 1. 1069*a* 30, *b* 1), sed quum omne studium in rebus mathematicis collocarent (cf. 5. 985*b* 25), quae maximam partem immobiles sunt (cf. *E* 1. 1026*a* 7 sqq.), ex iis rerum principia petenda putaverunt. Sed quamquam posuerunt principia, quae ut ipsa sunt exemta a perceptione sensuum, ita apta videntur ad repetendas inde res cogitabiles (ἱκανὰς — ἐπαναβῆναι καὶ ἐπὶ τὰ ἀνωτέρω τῶν ὄντων 990*a* 6, cf. *Γ* 3. 1005*a* 34), tamen perinde ac veteres physici in eo acquiescunt, ut quae in rerum generatione, quae in coelo ac sideribus eveniunt, τὸ συμβαῖνον *a* 2, observent et explicent, atque his in rebus quasi consumunt, καταναλίσκουσιν *a* 3, ea principia, ex quibus altiora repeti par erat. At ne sensibilibus quidem rebus explicandis satisfaciunt. Motum enim nec repetere possunt suis ex principiis, nec vero eo carere ad explicandam rerum naturam. Deinde etiamsi quis eos demonstrasse largiatur, quomodo ex principiis fieret corpus mathematicum, τὸ μέγεθος *a* 12, tamen quae sunt sensibilibus corporibus propria, veluti gravitatem levitatem, non possunt explicare, ἐξ ὧν γὰρ ὑποτίθενται — ἢ περὶ τῶν αἰσθητῶν *a* 14—16, h. e. propter naturam eorum principiorum, a quibus proficiscuntur, exspectes eos de mathematicis modo corporibus disputare et in iis explicandis versari; sed videntur illi sibi, quum mathematicis modo corporibus eorum argumentationes quodammodo adaptari posse concedi liceat, nihilo minus simul de sensibilibus corporibus agere; nimirum ex suis principiis non habent quod de iis proferant peculiare, οὐθὲν ἴδιον *a* 22. De notione adiectivi ἴδιον cf. Top. I 4. 101*b* 19. 5. 102*a* 18. (Casauboni coniectura, qui vocabula μαθηματικῶν et αἰσθητῶν transponi inter se voluit, non opus esse, recte exposuit Schwegl. ad h. l.. Alexandri auctoritatem speciosius quam verius ad stabiliendam eam coniecturam adhibeas, quoniam is p. 54, 28 ab ipsis verbis Aristotelis manifesto aliquantum recedit.) Non posse corporum gravitatem levitatem alia id genus explicari si quis numeros pro principiis posuerit, Aristoteles monet *N* 3. 1090*a* 30. de coelo III 1. 300*a* 15; quin ipsam etiam extensionem explicare ex natura numerorum difficile esse *M* 6. 1080*b* 20.

990*a* 18 ἔτι δὲ πῶς — 32 αἰσθητούς. Universa ra-

tiocinatio manifesto eo pertinet, ut appareat verius iudicasse Platonem, quum numeros ideales, qui rerum naturam definirent et constituerent, et ab his rebus et a mathematicis numeris distingueret, quam Pythagoreos, qui omisso eiusmodi discrimine ipsas res numeros esse contenderent nec diversa numerorum genera distinguerent. Et singula quidem Pythagoreorum commenta, quomodo δόξαν, καιρόν, ἀδικίαν alia suo quodque numero definiverint eundemque harum vel notionum vel rerum statuerint ordinem, qui est numerorum, apte et perspicue Alex. ad h. l. exponit, cf. Brandis Gesch. I. p. 470 sqq. Attamen omnem argumentandi contextum et ordinem me non satis perspicere ingenue confiteor; quid enim conferant ad hanc argumentationem verba συμβαίνει δὲ — ἑκάστοις, equidem non possum intelligere. Non integra a corruptela haec verba esse, admodum est probabile; namque per verbum συμβαίνει non videtur Aristoteles afferre posse, quae ipsi Pythagorei argumenti loco adhibuerunt, verum potius quae consequi ex eorum doctrina ipse ad eam refutandam colligit, cf. ad 989 a 22, unde verisimile est scribendum esse συμβαίνῃ, suspensum a coni. ὅταν, et omittendum cum cod. A^b μὲν post τούτων. Sed etiamsi haec probetur coniectura, nihil aliud quam grammaticam enunciati formam emendasse mihi videor; ipsius sententiae explicationem feliciori interpreti relinquo.

CAP. IX.

Platonis doctrinam examinaturus Aristoteles primum quidem, postquam per hypothesin idearum duplicari temere rerum explicandarum numerum dixit 990 a 33 — b 8, ea excutit argumenta, quibus ad demonstrandam idearum essentiam Plato usus erat, eaque vel carere significat concludendi necessitate vel nimis late patere — 991 a 8. Deinde quale sit idearum cum rebus sensibilibus commercium et quam vim illae tamquam principia in his exerceant quaerit — b 9. Tum ad numerorum naturam transit, ad quam redigere Plato ideas tentaverat, et quae inde oriantur difficultates vel in ipsis ideis ac numeris cogitandis vel in rebus explicandis exponit — 992 a 24. Sequitur ut univer-

sam quaestionem perverse institutam esse doceat, quum spretis iis rebus ac causis, quae in promptu sunt, reconditas quasdam res et inania principia posuerint; nec demonstrari eorum rationibus quae voluerint demonstrare, nec rerum geometricarum naturam cum universa doctrinae indole posse conciliari — b18. Denique quod eadem omnium rerum principia posuerunt, inde consequens esse, ut ea nec cognosci nec tamquam insita a natura teneri possint — 993a 10.

990a 34 *οἱ δὲ τὰς ἰδέας* — b8 *ἐπὶ τοῖς ἀϊδίοις*. Profecti ab ea quaestione, ut rerum sensibilium, *τωνδὶ τῶν ὄντων* b1, naturam et causas explicarent, Platonici non minuerunt sed auxerunt difficultates. Quum enim cuilibet rerum naturalium generi praeficerent ideam quandam, quae illius generis causam contineret vel cuius ad similitudinem singulae res effictae essent, nihil aliud quam rerum explicandarum numerum duplicaverunt. Sumit tacite Aristoteles, id quod postea et in hoc capite et alibi demonstrat, ideas neque conferre quidquam ad res singulas effingendas neque aliud esse nisi *αἰσθητὰ ἀΐδια* (cf. *Z* 16. 1040b 30—34. *B* 2. 997b 5. *M* 9. 1086b 9); namque ita demum vere potest dicere, ideis positis, quas Platonici volebant certe causas esse rerum sensibilium, non afferri causam, sed duplicari etiam earum rerum, quarum sint investigandae causae, numerum. Duplicari autem rerum numerum his demonstrat: *καθ' ἕκαστον γὰρ ὁμώνυμόν τι ἐστι, καὶ παρὰ τὰς οὐσίας τῶν τε ἄλλων ὧν ἐστιν ἓν ἐπὶ πολλῶν, καὶ ἐπὶ τοῖςδε καὶ ἐπὶ τοῖς ἀϊδίοις*. Paullo aliter eadem enunciatio scripta exhibetur eo loco libri *M*, qui eandem de ideis disputationem iisdem verbis repetitam continet 4. 1079a 2: *καθ' ἕκαστόν τε γὰρ ὁμώνυμόν ἐστι καὶ παρὰ τὰς οὐσίας, τῶν τε ἄλλων ἓν ἐστιν ἐπὶ πολλῶν, καὶ ἐπὶ τοῖσδε καὶ ἐπὶ τοῖς ἀϊδίοις*. (Pro *καθ' ἕκαστον* ibi Syrianus et in lemmate et in commentario habet *π α ρ' ἕκαστον*, quae lectio est sane cur placeat, sed praeferenda tamen Alexandri auctoritas, qui ad p. 990 l. l. ubique exhibet *καθ' ἕκαστον*.) Hanc libri *M* si sequimur scripturam, et ita quidem ut cum Bk. post *οὐσίας* commate distinguamus, facilem ea verba videntur habere explicationem: singularum rerum — vel potius singulorum generum

rerum — ponuntur ideae cognomines eaeque seiunctae a substantiis rerum, et in aliis quoque unum est quod de multis praedicetur (et nimirum pro idea singulorum ponatur), pariter in rebus sensibilibus intereuntibus atque in aeternis. Ac possit quispiam animum inducere ad huius loci normam emendare eum, de quo nunc agimus, ut relativum ὧν, quum praesertim in codicibus prope omnibus desit, omittendum censeat. Sed diligentius attendentem non potest fugere, quid maneat in illa interpretatione difficultatis. Etenim τῶν τε ἄλλων oppositum est verbis καθ' ἕκαστον: ex hac oppositione quum debeat necessario explicari, quae dicat Aristoteles τὰ ἄλλα, tamen nihil prorsus inde potest repeti; namque καθ' ἕκαστον ad quaslibet potest res referri, ut non relinquantur quae praeter eas dicantur τὰ ἄλλα, nec quod his aliis rebus tribuitur ἕν ἐστιν ἐπὶ πολλῶν quidquam confert ad eas distinguendas a superioribus. Quare ne prorsus inane sit hoc vocabulum, coniungendum erit cum verbis superioribus καὶ παρὰ τὰς οὐσίας «aliorum quae sunt praeter substantiam,» h. e. qualitatum, affectionum, accidentium. Eam autem si probaverimus verborum constructionem, particula τε ante ἄλλων quo possit referri equidem non possum divinare; propterea quamquam et codicum praeter *A*b omnium et Alexandri certa auctoritate firmata est, tamen unum illum librum *A*b secutus omittendam eam suspicor. Iam vero relativum ὧν post ἄλλων omittunt illud quidem in libro *M* omnes, in libro *A* prope omnes libri manuscripti, attamen Alexandri auctoritate satis est firmatum, quem vel ἃ p. 57, 33 vel ὧν p. 58, 8 in textu legisse liquido apparet (etenim quod legitur p. 70, 18 corruptelae suspectum est). Utrum praetuleris nominativum an genitivum, ad sententiam non multum facit; nominativo enim significatur, earum unitatum, i. e. generum, poni ideas, quae multitudinem rerum singularum complectantur; genitivo autem, earum rerum poni ideas, quarum multitudo sub eiusdem generis cadat unitatem; hoc autem, quum nimirum omnium rerum, quae in eodem sunt genere, una sit idea, ad idem redit atque illud. Genitivum autem scriptum fuisse ab Aristotele iam propterea vero est similius, quod ita in iteratis iisdem literis facilior apparet corruptelae occasio. — Haec

si recte disputavimus, hunc fere in modum accipienda erunt verba Aristotelis: singulorum rerum generum ponuntur ideae cognomines, et praeter substantias etiam reliquorum, quorumcunque multitudo unitate notionis continetur etc. cf. Alex. p. 58, 1: *παρά τε γὰρ τὰς τῇδε οὐσίας ἔστιν ὁμώνυμα αὐτοῖς εἴδη, ὁμοίως δὲ καὶ παρὰ τὰ ἄλλα ὄντα τὰ παρὰ τὴν οὐσίαν, ἅ ἐστι τὰ ἄλλα γένη, ἐφ' ὧν ἔστιν ἕν τι καὶ κοινὸν ἐπὶ πολλοῖς τοῖς καθ' ἕκαστα.* Quod autem *καθ' ἕκαστον* non ad ipsas res singulas, sed ad singula rerum genera retuli, et ex Platonis doctrina necessarium, et hoc loco propterea probabile videbitur, quia in reliquis praeter substantiam generibus additum est: *ὧν ἐστὶν ἓν ἐπὶ πολλῶν*, cf. ad 6. 987*b* 10. — Ideas autem quod dixit *ὁμωνύμους* rebus Aristoteles, vel non diiudicare videtur hoc loco, num quid aliud praeter nomen commune habeant ideae et res, vel iam pro concesso sumere, non esse inter utrasque substantiae communionem, cf. ad 6. 987*b* 10. — *b*8 *καὶ ἐπὶ τοῖσδε καὶ ἐπὶ τοῖς ἀϊδίοις.* Pronomen *ὅδε* vel *ὁδί* saepissime propter demonstrativam quam habet vim Aristoteles usurpat de rebus singulis ac sensibilibus, cf. *b*1 *τωνδὶ τῶν ὄντων.* 1. 981*a* 8. al. Hoc loco vim eius pronominis in artiores fines contrahendam esse, ut significet res sensibiles eas quae generantur et intercidunt, apparet conferenti 991*a* 9: *τί ποτε συμβάλλεται τὰ εἴδη ἢ τοῖς ἀϊδίοις τῶν αἰσθητῶν ἢ τοῖς γιγνομένοις καὶ φθειρομένοις.* cf. ad h. l. et *Λ* 1. 1069*a* 30.

990*b* 8 *ἔτι καθ' οὓς τρόπους* — 11 *γίγνεται.* Quod dicit *δείκνυμεν*, se ipsum Platonicis adnumerat, cf. *b* 11, 23. 992*a* 11, 25. 989*b* 18. *B* 2. 997*b* 3. 6. 1002*b* 14. Eth. N. I 4. 1096*a* 15. Ad verbum *φαίνεται* facile ex superioribus suppleas *δεικνύμενα τὰ εἴδη.* — Nulla, ait, ex iis rationibus, quibus Platonici utuntur ad comprobandam idearum essentiam, satis est firma et idonea. Aliae enim necessitate carent concludendi, aliae nimium evincunt, quum etiam earum rerum ideas esse demonstrent, quarum nullas esse Platonici statuunt (*b*11: *καὶ οὐχ ὧν οἰόμεθα* i. e. *καὶ ὧν οὐκ οἰόμεθα.* Transpositae hunc in modum negationis exempla Aristotelica congessit Waitz Org. I. ad p. 4*b* 22. 24*a* 19. cf. Trendel. de an. p. 210. Krüger Gr. gr. §. 67, 10, 5). Atque illarum quidem exempla, omissa nimirum ab Aristotele ut quae non

egeant refutatione, congessit Alex. p. 58, 27 sqq.; quae enim Aristoteles affert argumenta, ea ad alterum pertinere genus ex ipso Aristotelis iudicio cognoscitur.

990b 11 κατά τε γὰρ — 13 ἐπιστῆμαί εἰσι. Quidquid cognoscitur ac scitur, id re vera est; atqui cognoscuntur non res sensibiles, quippe quae mutabiles sint et indefinitae, sed notiones universales; ergo hae notiones universales sive ideae re ac veritate sunt. Hunc fere in modum argumentationem ab ipso Platone expositam legimus Parm. 132b sqq. cf. de rep. V 476e. Plato igitur a cognoscendi veritate et constantia profectus ad demonstrandam exsistentiam progreditur; Aristoteles hanc rationem ita impugnat, ut cognitionem latius patere neque ad ea tantum pertinere contendat, quae substantiarum in numero habentur. Etenim futurum ἔσται significat: inde consequens est, ut ideas poni oporteat omnium, quaecunque sciuntur. cf. ad 5. 987a 27.

990b 13 καὶ κατὰ τὸ ἓν — 15 τούτων ἐστίν. De multis rebus sensibilibus, veluti de multis rebus pulchris, eadem praedicatur notio universalis, pulchritudinis; quam quum nulla ex illis rebus plane assequatur vel adaequet, diversam ab illis esse et seorsim exstare oportet. — Res sensibiles generantur atque intereunt, sed licet illae interierint, integra tamen et sibi ipsa constans manet notio universalis; ergo ea re ac veritate est. — Distinxit haec duo argumenta Aristoteles, quae apud Platonem in unam ratiocinationem coniuncta inveniuntur, cf. Conv. 210e sqq. Phaedon. 74. de rep. V 479. Et illi quidem argumento obiicit Aristoteles: at praedicantur universe de singulis rebus etiam negationes; inde efficietur ut negationes etiam, veluti οὐκ ἄνθρωπος, οὐ ζῷον similia, ideis adnumerentur, id quod non voluit Plato. Huic vero respondet: non universales modo notiones manent, sed ipsarum etiam singularum et interitui obnoxiarum rerum, licet non amplius sensu percipiantur, manet tamen imago quaedam in phantasia servata, φάντασμα (cf. ad 1. 980a 28. b 26); ergo quod Plato de notionibus universalibus statuit, idem pertinere debebit ad res singulas ac fluxas, quas Plato idearum e numero excludendas putavit. — b 14 νοεῖν τι φθαρέντος. Omissi

in genitivis absolutis subiecti exempla ex Aristotele congessit Waitz ad Hermen. 10. 19*b* 37, ex aliis scriptoribus Krüger Gr. gr. §. 47, 4, 3. Usurpantur autem genitivi absoluti, quum per leges grammaticas videatur participium ad nomen quoddam ipsius enunciati primarii referendum fuisse (νοεῖν τι φθαρέντος i. q. νοεῖν τι φθαρέν), quo maiore vi participium, seiunctum illud ab enunciatione primaria, pronunrcietur, cf. Matthiae Gr. gr. §. 561. Krüger l. l. §. 47, 4, 2. Exempla Aristotelica contulit Waitz ad An. pr. II 4. 57*a* 33.

990*b* 15 ἔτι δὲ οἱ ἀκριβέστεροι — 17 λέγουσιν. Accuratiores eas dici rationes Alexander iudicat, quibus non solum commune quidpiam praeter singulas res esse demonstretur, sed idem esse exemplar, quod singulae res imitentur, Alex. p. 61, 29. Cuius quidem generis quae affert duo exempla, ea habent profecto, quod haud mediocriter offendere nos debeat. Nam primum quidem Aristoteles earum etiam rerum, quas quum relatione quadam contineantur ad τὰ πρός τι refert, ut sint ideae ex illis ratiocinationibus consequi dicit. Uberius sed parum dilucide ea de re disputans Alexander apte pro exemplo adhibet aequale, τὸ ἴσον, ac poterat lectores ad ipsum Platonem ablegare, qui Phaedon. 74. de rep. V 479 et hanc et alias eiusmodi notiones arithmeticas idearum in numero posuit. Itaque hoc quidem recte poterat Aristoteles Platoni obiicere, poni ex eius sententia inter ideas etiam τὰ πρός τι, quae ex sua, Aristotelis, sententia (cf. *N* 1. 1088*a* 23 sqq.) non possint naturae per se exsistentis et substantiae (γένος, cf. ad *Z* 3. 1028*b* 35) dignitatem habere; non debebat hoc argumentum ita proferre, ut ipse sibi videretur ex propositionibus Platonicis ad redarguendum Platonem ea repetivisse, quae inde consequi non vidisset Plato. Ac ne quis forte putet Aristotelem, quod dicit: ὧν οὔ φαμεν εἶναι καθ' αὑτὸ γένος *b* 16, suam ipsius, non Platonis sententiam significare, conferendum est quod et in universa hac contra Platonicam disciplinam disputatione prima pluralis persona Platonicos significat, et eo loco libri *M*, qui cum hoc consentit, scribitur: ὧν οὔ φασιν 1079*a* 12. — Non dissimilis est ratio alterius argumenti, quod vulgatissimum apud Peripateticos τρίτος ἄνθρωπος appellatur. Est enim huiusmodi: quod com-

muniter praedicatur de pluribus rebus, id diversum ac seiunctum ab illis re ac veritate exstat; atqui et de sensibili homine et de idea hominis, cuius communione ille exsistit, hoc praedicatur, ut homines esse dicantur; ergo tertius est homo praeter sensibilem hominem et hominis ideam. Quam argumentationem in infinitum posse extendi facile intelligitur. (Plures eiusdem ratiocinationis formas affert Alex. ad h. l.) At hanc consequentiam prope eadem ratione profert Plato Parm. 131 c, ut ipsum certe Platonem appareat non videri sibi in hanc incidere difficultatem per suam idearum doctrinam, modo ea recte fuerit percepta. Itaque non debebat Aristoteles ita hac re defungi, ut hoc argumentum Platoni quasi ignotum obiiceret, sed quaerendum potius erat, verene Plato evitasset hunc scopulum necne. Liberaretur sane hac refutandi iniuria Aristoteles, si verba: *οἱ δὲ τὸν τρίτον ἄνθρωπον λέγουσιν* liceret cum Schweglero interpretari: *Andere bringen das Argument vom dritten Menschen bei;* sed ea interpretatio neque cum universo sententiarum nexu concinit, siquidem refutare non referre Platonis argumenta Aristoteles instituit, et ab Alexandri interpretatione discedit, cuius hoc loco summa est auctoritas, quod horum verborum brevitatem ex Aristotelis libris de ideis, nunc deperditis, supplevit.

990b 17 *ὅλως τε ἀναιροῦσιν* — 22 *ταῖς ἀρχαῖς*. Eandem argumentandi rationem, qua antea in singulis ideis usus est, iam Aristoteles ad doctrinam idearum universam (transiri enim a singulis exemplis ad notionem universalem significat part. *ὅλως*, cf. Δ 2. 1013a 29, 31. 1014a 2, 11, 12. 9. 1018a 11. al. Waitz Org. I. p. 335) earumque principia refert. Quibus enim rationibus, ait, Platonici ideas esse comprobant, eae ipsae efficiunt, ut ea non esse appareat, quibus Platonici potiorem etiam quam ideis essentiam tribuendam censent (*μᾶλλον* enim cum verbo *εἶναι* coniungendum est), principia dico idearum. Etenim quidquid de pluribus universe praedicatur, pro idea est habendum; praedicatur autem de dyade in principiis posita universe numerus; ergo non dyas sed numerus pro principio est habendus. Illa autem dyas, quam pro materiali idearum principio a Platone positam Aristoteles refert, quoniam est *τοῦ μεγάλου καὶ μι-*

κροῦ, ad genus relativum, τὰ πρός τι, referenda est, unde consequitur, ut ex Platonis doctrina prius sit τὸ πρός τι (int. τὸ μέγα καὶ μικρόν) τοῦ καθ' αὑτό (i. e. τῶν ἰδεῶν): non posse autem τοῖς πρός τι exsistentiam per se vel substantiae dignitatem tribui, Aristoteles pro certo habet, N 1. 1088a 22. Eth. Nic. I 4. 1096a 20. Alexander hoc τὸ πρός τι ad ipsam dyadis notionem pertinere arbitratur, qua Plato materiale idearum principium significaverit; esse enim numerum ex genere relativo, εἰ ὁ ἀριθμὸς πρός τι κτλ. p. 63, 32. Sed hoc dubito num recte ex Aristotelis sententia iudicaverit; ii certe loci, quibus Schweglerus ad h. l. numeros comprobare vult ab Aristotele ad genus relativum referri (Δ 2. 1013a 28. 15. 1020b 32 sqq.), non ad ipsos numeros pertinent, sed ad rationes numerorum. — Alia eiusmodi argumenta collegit Alex. ad h. l., petita haud dubie ex Aristotelis libris de ideis, cf. p. 63, 16.

990b 22 ἔτι κατὰ μὲν τὴν — 991a 8 ἐπιβλέψας αὐτῶν. Quod antea breviter significavit b 11 ex rationibus Platonicis consequens esse, ut aliarum etiam rerum praeter substantias ponendae sint ideae, idem iam uberius exponit, et ita quidem ut inter se opponat ea quae consequuntur ex argumentis Platonicorum ad commonstrandas ideas pertinentibus, et ea quae consentanea sunt universae philosophiae illius naturae et indoli. Si ea argumenta, ait Aristoteles, constanter tenemus, a quibus profecti Plato ideas esse statuit, κατὰ μὲν τὴν ὑπόληψιν — ἰδέας, efficitur ut non substantiarum solum, sed etiam aliarum rerum ponantur ideae; quod quum supra demonstratum sit b 10 — 15, per parenthesin in memoriam legentibus revocat b 24 — 27: καὶ γὰρ τὸ νόημα — συμβαίνει τοιαῦτα. (De verbo συμβαίνει cf. ad 8. 989a 22). Sin autem quaerimus, quid sit necessarium ex idearum natura, κατὰ δὲ τὸ ἀναγκαῖον, et quid ipsi idearum auctores de iis statuerint, non esse apparebit ideas nisi substantiarum. Hoc ut comprobet, tamquam fundamentum argumentationis, concessum et probatum ab ipsis Platonicis, ponit esse τὰ εἴδη μεθεκτά (εἰ ἔστι μεθεκτὰ τὰ εἴδη b 28), i. e. hanc esse idearum naturam, ut communionem cum iis habeant res sensibiles. Huic autem accedere oportet tamquam alteram ex qua concludat propositionem, quam Aristoteles

ut vulgatissimam neque ulli lectori ignotam significare omisit, ipsas ideas esse substantias. Iam si participantur ideae, ea participatio, quoniam rebus sensibilibus tribuit ut id sint quod sunt, simplex esse debet et substantialis, non accidentalis, h. e. ideae participantur, quatenus sunt substantiae, non quatenus aliud quid, veluti aeternitas, iis accidit. (*δεῖ*, int. *τὰ καθ' ἕκαστα καὶ αἰσθητά*, *ταύτῃ ἑκάστου*, int. *τῶν εἰδῶν*, *μετέχειν*, *ᾗ*, int. *τὸ μετεχόμενον* sive *ἡ ἰδέα*, *μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται* i. e. *ᾗ οὐσία ἐστὶν ἀλλ' οὐ συμβεβηκὸς οὐσίᾳ τινί*, cf. de formula *καθ' ὑποκειμένου λέγεσθαι* *B* 5. 1001*b* 31. *Δ* 8. 1017*b* 13. Cat. 5. 2*a* 11. In extrema enunciati parte *ᾗ* — *λέγεται* addendum esse subiecti loco *τὸ μετεχόμενον*, ac non *τὸ μετέχον*, quod Schwegler voluit, eo exemplo confirmatur, quod deinde affert, *τὸ αὐτοδιπλάσιον* participari a rebus sensibilibus, quatenus est *διπλάσιον* i. e. quatenus est substantia, non quatenus est aeternum, i. e. quatenus aliquid ideae tamquam *ὑποκειμένῳ συμβεβηκός* tribuitur.) Inde efficitur, ut quae participant ideas, quoniam ideas ut substantias participant, ea et ipsa substantiarum in numero sint. — Hunc ratiocinandi ordinem si recte, consentiens cum Alexandro ad h. l., exposui, conclusionem apparet non esse posse *ὥστ' ἔσται οὐσία τὰ εἴδη* *b* 34, sed vel *ὥστ' ἔσται οὐσιῶν τὰ εἴδη* vel certe *ὥστ' ἔσται οὐσίας τὰ εἴδη*. Vulgatam lectionem licet confirmatam omnium librorum auctoritate non habeo quomodo defendam; ideas enim ipsas esse substantias neque instituit demonstrare Aristoteles, quia id quidem inter omnes convenit, neque, si voluisset demonstrare, ex superiore poterat argumentatione efficere, quae ad rationem ideas inter et res sensibiles intercedentem pertinet; quam autem proposui coniecturam, eam confirmare videtur Alex. p. 66, 9—30. 69, 3. — Potest autem etiam post hanč ratiocinationem, qua substantiarum solum ideae esse demonstrantur, aliqua remanere dubitatio; nimirum dixerit quispiam aliud ideali in mundo (*ἐκεῖ* 991*a* 1), aliud sensibilibus in rebus (*ἐνταῦθα* *b* 34) significare substantiam; quod si probetur, licet ideae et sint ipsae substantiae et participentur ut substantiae, nondum inde efficitur, ut ea quoque substantias esse oporteat, quorum sint ideae. Hanc dubitationem quum eximant verba proxima at-

que ita confirment conclusionem *ὥστ' ἔσται οὐσιῶν τὰ εἴδη*, recipiendam duxi lectionem eam, quam Alexander et in lemmate p. 67, 10 et in commentario exhibet p. 66, 27: *ταὐτὰ γὰρ ἐνταῦθά τε οὐσίαν σημαίνει κἀκεῖ*. Quod si recusent, ait, concedere eandem esse et in aeternis et in sensibilibus rebus substantiae vim, *τί ἔσται τὸ εἶναι κτλ.* *a* 2, quid est, cur id quod unum de multis communiter praedicatur praeter hanc rerum multitudinem vere esse ponant. Vanum alioquin et inane erit participationis, quo utuntur, vocabulum. Non magis in dyadibus sensibilibus, *τῶν φθαρτῶν δυάδων* *a* 4, et in mathematicis, *τῶν πολλῶν μὲν ἀϊδίων δέ* (cf. ad 6. 987*b* 16), ipsa dyadis notio et substantia eadem est, quam in dyade ideali, *ἐπί τ' αὐτῆς* *a* 5, et singulis quibusque dyadibus; vel ut alio utamur exemplo, non magis in hominibus sensibilibus eadem est hominis notio ac substantia, quam in homine ideali et sensibili. Unde apparet, ideae si sunt substantiae, etiam res participantes inter substantias esse referendas. Sin minus, h. e. si genere diversas esse statuimus ideas et res participantes, nihil aliud commune habebunt nisi nomen, *ὁμώνυμα ἂν εἴη* *a* 6, quod licet concludi possit e placitis Platonicis ad refutationem eorum, ipse tamen Plato minime statuit, cf. ad 6. 987*b* 10. — Hunc in modum verba *a* 2 *καὶ εἰ μὲν ταὐτὸ εἶδος* — 8 *ἐπιβλέψας αὐτῶν* videntur ita posse explicari, ut arte cohaereant cum superiore argumentatione et inserviant confirmandae sententiae *ταὐτὰ γὰρ* — *τὸ ἓν ἐπὶ πολλῶν*, sed difficilem eam esse explicationem nec tam repeti ex ipsis Aristotelis verbis quam iis addi, non me fugit. Itaque haud scio an extrema haec ratiocinatio *καὶ εἰ μὲν* — *ἐπιβλέψας αὐτῶν* seiungenda sit a superioribus et seorsim accipienda, quamquam ita quidem nihil continet aliud, quam illud argumentum, quod *τρίτον ἀνθρώπου* nomine supra iam 990*b* 17 est significatum. — *a* 5 *ἐπί τ' αὐτῆς* h. e. *ἐπί τ' αὐτῆς τῆς δυάδος*, quod scripsi pro lectione vulgata *ἐπὶ ταύτης*, vix egebit commendatione, si recte ea videntur disputata esse, quae de universa loci ratione exposui. Apud Alexandrum exhibetur quidem p. 69, 6 *ἐπὶ ταύτης*, sed quum deinde in explicatione habeat p. 69, 15: *ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἰδέας τῆς αὐτοδυάδος καὶ τῶν τινῶν δυάδων*, non dissimile vero videatur, illic etiam Alexandrum scripsisse *ἐπί*

τ' αὐτῆς. Distingui autem adiecto pronomine *αὐτός* ideales res a sensibilibus satis est notum, cf. *Z* 16. 1040*b* 34.

991*a* 8 *πάντων δὲ μάλιστα* — 19 *τὴν τοιαύτην δόξαν*. Si quis concesserit esse ideas tales quales posuit Plato, quaeritur quid conferant rebus sensibilibus sive aeternis (cf. 990*b* 8), quarum in numero sol est et luna et stellae (cf. Alex. p. 70, 16), sive fluxis, quae et generantur et intercidunt. Movendi causam non repeti ex ideis supra iam monuit Aristoteles 7. 988*b* 3. Et quoniam scientiam alicuius rei tum videmur assecuti esse, quum eius substantiam cognoverimus, substantia autem, nimirum ex Aristotelis sententia, inest iis rebus ipsis, quarum est substantia: cognitio idearum, ut quae disiunctae sint a rebus, nihil potest ad cognoscendam rerum naturam conferre. Eadem notione τοῦ ἐνυπάρχειν Aristoteles utitur, ut ne essentiae quidem causam ab ideis repeti posse demonstret, cf. *Z* 8. 1033*b* 28, supposita tacite sua de causis doctrina. Quae enim ad essentiam alicuius rei conferunt, ea vel materiae vel formae naturam ac vim habent; atqui utraque, et materia et forma, inest rebus ipsis; ergo ideae nihil possunt ad essentiam rerum conferre, *μή ἐνυπάρχοντά γε τοῖς μετέχουσιν* *a* 14. Quodsi quis eas inesse statuerit rebus participantibus, eundem in modum rebus, ut tales sint quales sunt, causae esse potuerint, quemadmodum color albus admistus corpori causa est ut hoc sit album, *οὕτω* — *αἴτια δόξειεν εἶναι ὡς τὸ λευκὸν μεμιγμένον τῷ λευκῷ* sc. *αἴτιόν ἐστι*. (Dativum *τῷ λευκῷ* suspensum esse ab *αἴτιον* et *μεμιγμένον* absolute positum esse omisso obiecto, recte perspexit Alexander p. 71, 20; cum participio *μεμιγμένον* dativum *τῷ λευκῷ* falso coniunxerunt Hengst. et Schwegl. in interpretatione vernacula.) Nec defuerunt qui eiusmodi rationem in explicanda rerum natura inirent, veluti Anaxagoras, quum admistis cuilibet rei omnium rerum seminibus per unius alteriusve abundantiam rei naturam constitutam esse voluit, in quo refutando Aristoteles versatur 8. 989*a* 33 sqq. Phys. I 4, vel Eudoxus, *τῶν Πλάτωνος γνωρίμων* Alex. p. 72, 4, qui ideas admiscuit rebus sensibilibus. Sed has rationes ut facillimas ad evertendum (*εὐκίνητος* *a* 16) omisit refellere Aristoteles, non omisit refutationem Alexander ad h. l., adhibito, ut videtur p. 73, 11, altero Aristotelis de ideis libro.

991*a* 19 *ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐκ* — *b*1 *εἰκών*. Quod primis verbis proponit argumentum *ἀλλὰ μὴν* — *λέγεσθαι*, id verbis magis quam re a superiore differt; antea enim ideas non esse causas explicuit rerum sensibilium, iam res sensibiles non posse dicit ex ideis repeti *κατ' οὐδένα τρόπον τῶν εἰωθότων λέγεσθαι*. Quibus quidem verbis Alexander dubitat utrum varias dicat significationes formulae *ἔκ τινος*, cf. *Δ* 24. *α* 2. 994*a* 22, an varias Platonicorum sententias, quibus ex ideis res sensibiles repetere posse sibi visi sint. Sed quoniam Plato vocabula quidem, quibus idearum cum rebus sensibilibus necessitudinem denotaret, variavit (Phaedr. p. 100 d: *εἴτε παρουσία εἴτε κοινωνία κτλ.*), qua autem ratione cogitanda esset non distinxit subtilius, cf. ad 6. 987*b* 13, Aristoteles vero, ut est in distinguendo diligens, saepius huius formulae usum circumscripsit et divisit: dubium vix est quin has suas distinctiones Aristoteles dicat *τοὺς εἰωθότας λέγεσθαι τρόπους*. — Quod autem ideas exemplaria esse dicunt, quorum ad similitudinem res effictae sint, eae vero, inquit, sunt nugae et metaphorae poëticae, quas in definiendo et disputando religiose esse vitandas saepe monet, cf. Anal. post. II 13. 97*b* 37. Top. IV 3. 123*a* 33. VI 2. 139*b* 32. Meteor. II 3. 357*a* 26. Oportebat enim Platonicos, si nugandi crimen vellent evitare, ostendere quid tandem esset, quod ad exemplar idearum res singulas conformaret (quod *τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντός* Plato dicit in fabricando mundo ideas respexisse Tim. 28 c, vel non meminit Aristoteles, vel ut fabularum commentis involutum non curandum putavit); nam licet has similes esse concesserimus ideis, inde nondum efficitur, ut ad earum exemplar conformatas esse oporteat. Fieri enim potest (propter hunc ratiocinandi nexum reiecta lectione cod. *A*b *ἐνδέχεταί τε* scripsi cum codicibus prope omnibus et Alexandro *ἐνδέχεται γάρ*), ut similes sint duae res, licet non conformatae altera ad alterius exemplar, neque quidquam differt, si alteram earum aeternam esse posueris. — Iam post *Σωκράτης ἀΐδιος* *a* 27 puncto maximo distinguendum est (cf. Obs. ad Met. p. 78), quia nova post haec verba instituitur argumentatio; antea enim ipsam exemplaris notionem a Platonicis adhibitam impugnavit, iam si ea ponatur, quid inde consequatur contra sententiam Platonicorum explicat. Quum enim uni-

versales notiones pro exemplaribus habendae sint rerum singularum, quae iis subiectae sunt, consequens erit, ut et res sensibiles, ut pluribus eaedem sunt universalibus notionibus subiectae, ita plura habeant exemplaria, et ipsae inter se ideae propter logicam, quae iis intercedit, rationem aliae exemplarium, aliae imaginum locum obtineant vel eaedem utramque naturam habeant. — *a*31 *ὡς γένος εἰδῶν*. Praestantiorem esse lectionem in libro *M* 5. 1079*b* 34: *τῶν ὡς γένους εἰδῶν* demonstravi Obs. p. 79, sed in consensu librorum manuscriptorum, quum Alexander quam habuerit lectionem ex eius commentario non possit certo colligi, nolui a vulgata recedere. De formula *εἴδη γένους* cf. Obs. l. l. et ad *I* 7. 1057*b* 7.

991*b* 1 *ἔτι δόξειεν ἂν ἀδύνατον εἶναι* — 3 *εἶεν*. Idem argumentum brevius antea significavit *a*13: *οὐδὲ γὰρ οὐσία ἐκεῖνα τούτων· ἐν τούτοις γὰρ ἂν ἦν*. cf. *Z* 6. 1031*a* 31. 14. 1039*b* 35. An. post. I 24. 85*b* 18.

991*b* 3 *ἐν δὲ τῷ Φαίδωνι* — 9 *ῥηθέντα νῦν*. Eundem Phaedonis Platonici locum, quem hic respicit, p. 100 d: *ὅτι τῷ καλῷ πάντα τὰ καλὰ γίγνεται καλά κτλ.*, eodem modo excutit et refutat de gen. et corr. II 9. 335*b* 9—24. Et ab ideis quidem non posse repeti causam, cur quidquam fiat vel mutetur, supra monuit 7. 988*b* 3. 9. 992*b* 7. Fieri vero etiam multa nullo adhibito idearum auxilio apparere ex rebus artificiosis, quarum nullas ponant Platonici ideas; hae igitur si possint fieri sine ideis, non esse cur ad res naturales generandas idearum requirant auxilium. — Quod naturalium modo rerum non artificiosarum ideas a Platone positas Aristoteles et hoc loco contendit et disertius *Λ* 3. 1070*a* 18: *διὸ δὴ οὐ κακῶς ὁ Πλάτων ἔφη ὅτι εἴδη ἐστὶν ὁπόσα φύσει*, erroris eum coarguit Zeller Plat. Stud. p. 262, manifesto enim Platonem de rep. X 596 b sellae mensae aliarum rerum per artem confectarum statuere ideas. Sed licet non induxerim in animum Aristotelis fidem, ubi vel aliorum philosophorum vel ipsius Platonis placita enarrat, pertinaciter defendere, verum Zelleri de universa hac re iudicium magnopere probem, tamen hoc quidem loco num recte vituperaverit Aristotelem dubito. Mensae enim et sellae non videtur ideas ponere Plato, sed illo loco, ad vul-

garem intellectum quam maxime adaptato (cf. X 597 c), haec exempla tantummodo adhibere ad illustranda diversa imitationis genera. Ita certe comparata est universa ista Platonis disputatio, ut inde de idearum natura et ambitu contra disertum Aristotelis testimonium colligi quidquam vix liceat.

991*b* 9 ἔτι εἴπερ εἰσὶν — 21 διὰ ταῦτα ἀριθμός. Pertractata idearum doctrina ipsa per se, iam transit Aristoteles ad examinandos et iudicandos numeros ideales. Ac primum quidem quaerit, si ideae ad numeros referantur, qui eorum naturam contineant et exprimant, εἴπερ εἰσὶν ἀριθμοὶ τὰ εἴδη (cf. Zeller Plat. Stud. p. 235 sqq. not.), quomodo isti numeri pro causis possint haberi rerum sensibilium. Nimirum duplex potest eius necessitudinis, quae numeros ideales inter et res sensibiles intercedit, ratio cogitari; aut ipsae res sensibiles pro numeris habentur, atque ut hi numeri sint causa repetitur ex paribus et iisdem idealibus numeris, aut res sensibiles ex ratione quadam numerorum (λόγος ἀριθμῶν, *Zahlenverhältniſs*) definitae esse statuuntur. Illud si placet Platonicis, quid tandem causae numeri pares paribus numeris poterunt praebere, licet alteri aeterni sint, alteri generentur et intereant. Sin hoc voluerunt, quod quin spectaverint vix est dubium, cf. Alex. p. 80, 7, pariter ac rebus sensibilibus, quum ex ratione numerorum definitae sint, subesse subiectum quiddam oportet, ita etiam ideales numeros, quorum ad exemplum hae res effictae sint, rationes potius numerorum esse et ὑποκείμενόν τι habere, ac non simpliciter et absolute numeros esse apparet. — Haec fere videtur ratiocinatio Aristotelis esse; extrema autem verba *b* 18 ἄλλων τινῶν — αὐτοάνθρωπος num ita ab Aristotele scripta sint, ut vulgo exhibentur, non ausim contendere. Alexandri lectionem, quam posui in var. lect., sequi nolui, quoniam ἡ ἰδέα ἀριθμός, quibus verbis significari vult numerum idealem sive ideam quae sit numerus, adeo dure est dictum, ut sine aliorum certe exemplorum auctoritate in textum recipiendum non sit; offendit praeterea iteratum verbum ἔσται. Sed nec vulgata lectio, quam retinui, prorsus libera est a difficultatibus; etenim primum quidem pro verbis ἡ ἰδέα ἀριθμός *b* 18 iure exspectes Aristotelem scripsisse: ἡ ἰδέα λόγος ἐν ἀριθμοῖς. Videtur quidem obiter legenti interdum

Aristoteles nomen ἀριθμός usurpare pro λόγος ἐν ἀριθμοῖς, *N* 5. 1092*b* 18. 6. 1092*b* 27; sed ii ipsi loci acrius attendentem docent, distingui inter ἀριθμός et λόγος ἐν ἀριθμοῖς. Quodsi interdum haec inter se permutentur, hoc certe loco id sine negligentiae crimine fieri non poterat, quoniam in distinguendis his inter se notionibus omnis continetur argumentandi vis. Deinde, siquidem voc. ἀριθμός antea liberius est usurpatum, postea *b* 20 in verbis καὶ οὐκ ἀριθμός aegre careas adverbio ἁπλῶς. cf. Obs. p. 28 sq.

991*b* 21 ἔτι ἐκ πολλῶν — 992*a* 10 ἀδύνατον. Exponuntur aliquot deinceps difficultates, ex quibus eam appareat esse idearum et numerorum diversitatem, ut ideae ad numerorum naturam referri nequeant. Ac primum quidem numeri plures consummando in unum numerum coalescunt, non item plures ideae. Quodsi hanc evitaturi difficultatem non ipsos numeros dixerint in unum numerum coalescere, sed eas, ex quibus singuli numeri constent, unitates, ἐκ τῶν ἐναρίθμων *b* 22, in aliam incidunt nec minorem dubitationem, quomodo idealium numerorum unitates inter se habeant; quas sive statuunt eiusdem generis ac naturae esse, ὁμοειδεῖς, συμβλητάς, ἀδιαφόρους, sive dissimiles inter se, non multum proficiunt. Quod autem dicit *b* 24: μὴ ὁμοειδεῖς, μήτε αἱ αὐταὶ ἀλλήλαις, μήτε αἱ ἄλλαι πᾶσαι πάσαις, duplicem videtur significare rationem, qua numerorum unitates inter se differre statuantur; etenim aut quae in eodem sunt numero unitates differre inter se dicuntur (ut αἱ αὐταί idem significet atque αἱ ἐν τῷ αὐτῷ ἀριθμῷ), aut quae in alio sunt numero diversae esse ab iis, ex quibus alius constat. Haec certe explicatio necessaria videbitur conferentibus *M* 6. 1080*a* 23. 7. 1081*b* 35. Perstringit deinde eas modo difficultates, quae oboriantur diversam esse unitatum naturam statuentibus. Quam enim, ait, differentiam reperient in eo rerum genere, quod, quum ab omni affectione exemptum sit et integrum, ἀπαθεῖς (cf. *M* 8. 1083*a* 9: οὐδὲν γὰρ αὐταῖς οἷόν τε ὑπάρχειν πάθος), ne differentiam quidem ullam potest admittere. — Deinde si qui dissimiles numerorum unitates ponunt, quoniam universa ars mathematica ab eo proficiscitur principio ut pares inter se sint numerorum unitates, aliud numerorum genus praeter idea-

les statuant oportet, in quo et arithmetica et reliquae disciplinae mathematicae (τὰ μεταξὺ λεγόμενα *b*29, cf. 6. 987*b* 15) versentur. Sed quomodo et quibus e principiis generatae putentur istae res mathesi subiectae, vel qui dicantur mediae esse inter res sensibiles, τῶν δεῦρο, et ideas, αὐτῶν, difficile iis erit dicere. (Quod in textu *b*29 non ἁπλῶς cum Bekkero dedi, sed ἂ πῶς, nec librorum fide destitutum est et per sententiae rationem necessarium videbitur; quid est enim, quod res mathematicas simpliciter, ἁπλῶς, medias Plato posuisse dicatur? Et a particula ἤ, ἢ ἐκ τίνων κτλ., quum ordiri soleat alterum quaestionis bipartitae membrum, hoc quidem loco vix dixeris, quale sit illud prius membrum, quod huic alteri apte praeponendum putes. Praeterea futurum ἔσται recipiendum et articulum τά ante voc. μεταξύ omittendum esse docui in Obs. p. 65 sq.) — Tum aliis implicantur difficultatibus Platonici, quod dyadem indefinitam pro materiali numerorum principio ponunt. Ista enim dyas quoniam ex duabus componitur unitatibus, et dyas ipsa principii loco ponitur, non hae unitates, consequens erit, si suae ipsorum rationi constare voluerint, ut aliam eamque priorem dyadem principium esse harum unitatum statuant; quam rationem facile apparet in infinitum posse extendi. Et indefinitam quidem dyadem significari quum dicit ἐν τῇ δυάδι *b*31, non numerum binarium, inde cognoscitur quod principium, unde eius unitates repeti oporteat, priorem quandam dyadem esse dicit, nimirum priorem ipso principio. Manifesto autem iniuriam Platoni infert Aristoteles, quod mathematicam dualitatis notionem adhibet ad ferendum iudicium de ea dyade, qua nihil aliud nisi augendi diminuendique potentiam Plato significare voluit, cf. ad 6. 987*b* 20, 25. — Deinde (992*a* 1) quum ideis singulis unitas naturae tribuatur, quaeritur quomodo eadem unitas cernatur in numeris, compositis nimirum ex unitatibus pluribus iisque inter se diversis. cf. *H* 3. 1044*a* 2—9. — Denique si diversas esse volebant, ex quibus numeri ideales exsisterent, unitates, non ipsam unitatem, quae tamquam universalis notio ad omnes refertur, sed illas differentias pro principiis ponere debebant. Loquuntur autem Platonici de unitate, quasi una eademque sit eius natura. Quae si esset vera eorum senten-

tia, εἰ δ' οὕτως, inde consequeretur, ut numeri ita prognati non essent substantiae sive ideae, quoniam ex unitatibus inter se paribus mathematicus numerus exsistit, non idealis, cf. *M* 7. 1081a 6; ideales ut generemus numeros, quos Platonici voluerunt profecto generare quum ἓν αὐτό sive αὐτοέν pro principio habuerunt, diversa ponenda est unitatum natura, quae nomine tantummodo uno contineatur, πλεοναχῶς λέγεται τὸ ἕν. cf. Alex. p. 86, 1—28. — Hoc argumentum et quod supra 991b 26 sq. ex diversitate unitatum in idealibus numeris conspicua repetiit, quantum valeat ad refutandum Platonem infra exponetur ad *M* 7.

992a 10 βουλόμενοι δὲ — 24 στιγμή ἐστιν. Cf. ad *M* 9. 1085a 9—19. — a 11 τίθεμεν, cf. ad 990b 9. — a 11 ἔκ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου, i. e. ex specie quadam eiusdem materiae, quam universe ponunt, cf. 1085a 9: οἱ μὲν γὰρ ἐκ τῶν εἰδῶν τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ ποιοῦσι (sc. τὰ μεγέθη). — a 17 οὐθὲν τῶν ἄνω ὑπάρξει τοῖς κάτω. Superiora genera, τὰ ἄνω, cf. *B* 3. 998b 18. *Δ* 6. 1016a 29, 30, ea appellantur, quae per abstractionem simpliciora ideoque τῷ λόγῳ, notione, priora sunt, veluti linea superior plano, planum solido. cf. de vocc. ἄνω, κάτω Waitz Org. I. p. 413. — a 19 ἔτι αἱ στιγμαὶ ἐκ τίνος κτλ. Ex quo principio, ait Aristoteles, haec si probentur, repetetur ut lineis insit punctum, quippe quod nullam ad speciem magni et parvi referri possit? Propterea Plato punctum tamquam genus rerum quod vere esset poni noluit, τούτῳ τῷ γένει διεμάχετο, sed illud positum modo censuit ex placitis geometrarum; ipse, quod alii punctum vocant, principium lineae appellavit, idque ut notioni lineae subsumeret, insecabilem esse lineam saepe contendit. Ipsius Platonis afferri placitum de insecabili linea, quae sit principium lineae, nec vero, quod voluit Zellerus Plat.-Stud. p. 238. n. 3, concludi tantummodo ab Aristotele ad refutandum Platonem, quae necessario ex eius doctrina sequantur, ex verbis πολλάκις ἐτίθει apparet, cf. Brandis Gesch. II. p. 313xx; et in scholis quidem a Platone propositam esse hanc sententiam, quam in libris Platonicis frustra quaerimus, ex iisdem verbis πολλάκις ἐτίθει, praecipue e tempore imperfecto, vere colligit Trendel. de ideis p. 66. Proximis demum verbis refutare Platonem

orditur Aristoteles, *καίτοι ἀνάγκη κτλ.* Ne sic quidem, ait, ponendi puncti necessitatem effugiet. Lineae enim, sive secabilis sive insecabilis, finem esse oportet; is autem finis est punctum (ita tacite sumit Aristoteles, quod videtur demonstrare); ergo qua necessitate lineam, quae plani est finis, re ac veritate esse statuunt, eadem adigi debebant, ut nec punctum tollerent.

992*a* 24 *ὅλως δὲ ζητούσης* — *b*9 *ἀνῄρηται σκέψις.* Pertractatis singulis Platonis placitis iam et hoc argumento et eo quod infra explicat *b*18 sqq. ad iudicandam universam (*ὅλως*) doctrinae Platonicae naturam et indolem accedit. Et hoc quidem loco ad refellendam Platonis philosophiam ea, quae ipse posuit, quatuor causarum genera ita adhibet, ut nullum ex iis in Platonicis principiis reperiri doceat. Causam moventem desiderari apud Platonem *a*25 sq. iam antea monuit, cf. ad 991*b* 3. Formalem causam non recte poni, *a*26—29, explicuit 991*a* 8—27. Tum finalem causam, *a*29—*b*1, frustra apud eos quaeras, qui mathesin, qua ad altiora philosophiae studia viam modo parari volebant (cf. Plato de rep. VII 533b—e), tamen ipsius philosophiae loco habuerint. Sed finalem causam cur his potissimum verbis significet: *ὅπερ ταῖς ἐπιστήμαις ὁρῶμεν ὂν αἴτιον* *a*29, equidem non intelligo, siquidem scientiae natura ac virtus in formali potius quam in finali causa cognoscenda ponitur, cf. *Z* 6. 1031*b* 6, 20. Nec multum proficimus si pro verbis *ὅπερ ταῖς ἐπιστήμαις* receperimus e cod. *A*b *ὃ περὶ τὰς ἐπιστήμας.* Alexander paullo longius a verbis philosophi recedit quum scribit in commentario p. 89, 10: *ἥτις αἰτία ἐν πᾶσι τοῖς κατὰ νοῦν καὶ ἐπιστήμην καὶ φύσιν γιγνομένοις ἐστὶ κυριωτάτη αἰτία.* — Denique quam ponunt materiam *b*1—7, ea mathematicis potius formis procreandis quam omni rerum varietati explicandae idonea est (*μαθηματικωτέραν ἄν τις ὑπολάβοι* *b*2), neque vero est illa, qualem oportet poni materiam, omni qualitate vacua, sed ipsa potius differentia et qualitas materiae, *μᾶλλον κατηγορεῖσθαι καὶ διαφορὰν εἶναι κτλ.* *b*2, cf. *N* 1. 1088*a* 17: *πάθη τε γὰρ ταῦτα καὶ συμβεβηκότα μᾶλλον ἢ ὑποκείμενα τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τοῖς μεγέθεσίν ἐστι, τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον ἀριθμοῦ, καὶ μέγα καὶ μικρὸν μεγέθους κτλ.* Has autem differentias uni-

verse referri ad *ὑπεροχήν* et *ἔλλειψιν* (*ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπεροχή τις*, i. e. certum quoddam genus *τῆς ὑπεροχῆς, καὶ ἔλλειψις* *b*6) docet Phys. I 4. 187*a* 16. — *b* 7 *εἰ μὲν ἔσται ταῦτα*, sc. *ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις* vel *τὸ μέγα καὶ μικρόν*.

992*b* 9 *ὅ τε δοκεῖ* — 13 *ἐν ἐνίοις ἀδύνατον*. Plato ut rerum multitudinem ad unitatem notionis redigat utitur *τῇ ἐκθέσει*. Quod enim idem pluribus in rebus cernitur, veluti pulchris in rebus pulchritudo, in hominibus humana natura, id excipit et exserit ex multitudine rerum, et substantiam illarum esse statuit. cf. de significatione vv. *ἔκθεσις, ἐκτιθέναι* Alex. ad h. l. et Arist. *M* 9. 1086*b* 7. Obs. ad Met. p. 128. Waitz ad soph. elench. 22. 179*a* 3. At vero ita non efficitur, ut multa illa sint unum, sed ut p r a e t e r multa ponatur unum. Quodsi quis haec omnia concesserit Platonicis, nihilo tamen secius debilis eorum est argumentatio, siquidem inde consequitur, ut quidquid communiter de pluribus praedicetur, id tamquam genus substantiale et idea re ac veritate ponatur. cf. ad 990*b* 13, 16, et de discrimine inter *τὸ γένος* et *τὸ καθόλου* ad *Z* 3. 1028*b* 34.

992*b* 13 *οὐθένα δ' ἔχει* — 18 *τοῦτό τι γένος*. Platonem quum inducat Aristoteles tria ponentem rerum genera, ideas, mathematica, res sensibiles, difficile est dictu neque ulla ratione explicari potest (*οὐθένα ἔχει λόγον*, cf. *B* 2. 996*b* 9. *Γ* 5. 1010*b* 16), quo in genere posuerit lineas, plana, solida ea, quae proxime numeros ideales excipiunt, h. e. lineas, plana, solida idealia, siquidem etiam geometricas res ad principia idealia redegit. cf. de an. I 2. 404*b* 19: *αὐτὸ μὲν τὸ ζῷον ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ ἑνὸς ἰδέας καὶ τοῦ πρώτου μήκους καὶ πλάτους καὶ βάθους*. Trendel. ad h. l. Zeller Pl. St. p. 242. Quae quum ad nullum ex tribus illis generibus redigi posse appareat, dubium est quomodo sint vel esse ab iis statuantur (*ἢ ἔσται* *b*14) vel quam habeant naturam.

992*b* 18 *ὅλως τε τῶν ὄντων* — 993*a* 10 *στοιχείων*. Platonici quod omnium rerum eadem posuerunt principia, eaque elementorum instar esse voluerunt, duobus sunt erroribus obnoxii. Etenim primum quidem elementa non sunt nisi substantiarum, non item affectionum, cf. *H* 4. 1044*b* 8 sqq. Deinde *b*24 — 33 si quis esse omnium rerum eadem principia largiatur, consequitur inde, ut cognosci non pos-

sint. Quoniam enim ad discendam aliquam disciplinam ex hac ipsa disciplina nihil requiri et pro cognito poni debet, ad cognoscenda principia rerum omnium nihil ex omnibus rebus tamquam antea cognitum potest posci; at scientia quaelibet paratur ex cognitione alia antea parata, cf. Anal. post. I 1. 71. II 19. 99*b* 28. Eth. Nic. VI 3. 1139*b* 26: ergo principia ea, quae omnium sint rerum principia, cognosci omnino nequeunt. (Coniecturam quam posui in textu: *καὶ ἡ δι' ἀποδείξεως καὶ ἡ δι' ὁρισμῶν* *b* 31, ubi in libris exhibetur: *καὶ ἢ δι' ἀποδείξεως ἢ δι' ὁρ.*, comprobare studui Obs. p. 113 sq. — *b* 33 *δι' ἐπαγωγῆς*, cf. Top. I 12. 105*a* 13.) Sed nec naturali instinctu sciri ac possideri illa principia eadem docet ratione, *b* 1—2, qua utitur Anal. post. II 19. 99*b* 26: *εἰ μὲν δὴ ἔχομεν* (int. *τὰς ἀμέσους ἀρχάς*), *ἄτοπον· συμβαίνει γὰρ ἀκριβεστέρας ἔχοντας γνώσεις ἀποδείξεως λανθάνειν.* Et ut ea haberi concedamus, orietur tamen de iis quaestio ac dubitatio, quae nisi rationibus ex antecedente cognitione ductis solvi non potest, *b* 2—7. — Denique experientiae evidentiam ad refutandam Platonis doctrinam adhibet *b* 7—10. Platonicum enim philosophum, quum omnium sibi videatur rerum tenere principia, sensibiles etiam res sine sensuum usu cognoscere oporteret; quod manifesto est absurdum. — *a* 8 pro *ταῦτα* legendum esse *ταὐτά* recte monere videtur Schwegler ad h. l. nisus auctoritate Bessarionis et Alexandri p. 97, 28. 98, 12 sqq. Potest praeterea ipse Aristoteles ad confirmandam hanc emendationem adhiberi, qui quod 992*b* 19 scribit *μὴ διελόντας*, idem significat atque hoc loco *ταὐτά*. Qui pronomen demonstrativum *ταῦτα* retinent, intelligere debebunt *ταῦτα τὰ ὑπὸ τῶν Πλατωνικῶν τιθέμενα στοιχεῖα.*

De universo iudicio, quod Aristoteles fecit de doctrina Platonica, cf. ad 6. 987*b* 14 sqq. et ad *M* 6—8, Zeller gr. Phil. II. p. 399 sqq. Plat. Stud. p. 257 sqq.

CAP. X.

Nemo e superioribus philosophis principium posuit praeter quatuor illa causarum genera, sed ea ipsa subobscure divinarunt magis quam cognoverunt.

993*a* 11 *ἐν τοῖς φυσικοῖς*, *a*13 *ἐκ τῶν πρότερον εἰρημένων. ἀλλ' ἀμυδρῶς*, cf. ad 7. 988*a* 22 sq. — *a*15 *ψελλιζομένῃ*, cf. ad 4. 985*a* 5. — *a*17 *ἐπεὶ καὶ Ἐμπεδοκλῆς*. — 24 *οὐκ εἴρηκεν*. Empedoclis exemplo comprobat quodammodo ad omnia causarum genera superiores philosophos attendisse, quodammodo vero secus, quum balbutientium instar de iis loquerentur. Etenim Empedocles quod carnis naturam non ipsis elementis, sed mistionis forma et ratione definiri dixit, posuit ille quidem formalem causam, sed eam non ad omnes res, ut par erat, retulit ideoque plenam eius vim non potest dici perspexisse. Hanc esse verborum sententiam manifestum est, sed quomodo scripserit extremam enunciati partem Aristoteles dubium. Quod enim legitur in plerisque codicibus: *ἀλλὰ μὴν ὁμοίως ἀναγκαῖον καὶ σαρκὸς καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον εἶναι τὸν λόγον*, accusativus *ἕκαστον* omnem enunciationis conformationem perturbat. Ac facili quidem coniectura, eaque Bessarionis etiam auctoritate confirmata, pro *ἕκαστον* posuerunt *ἑκάστου* Brand. et Bekkerus, sed dubito num in ea emendatione acquiesci possit. Nam *τὸν λόγον εἶναι σαρκὸς καὶ ἑκάστου τῶν ἄλλων*, non videtur per se significare posse, notionem esse quae constituat et carnis et omnium rerum naturam, nisi praedicatum aliquod additum sit, veluti *οὐσίαν*, *φύσιν*. Propterea suspicor praeferendam esse vel librorum *TE*b lectionem *σάρκα* vel libri *A*b *σάρκας*, ut scribatur: *καὶ σάρκα καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον εἶναι τὸν λόγον*. Similiter enim de eadem re scribit Aristoteles de part. an. I 1. 642*a* 18: *Ἐμπεδοκλῆς — καὶ τὴν οὐσίαν καὶ τὴν φύσιν ἀναγκάζεται φάναι τὸν λόγον εἶναι, οἷον ὀστοῦν ἀποδιδοὺς τί ἐστιν· οὔτε γὰρ ἕν τι τῶν στοιχείων λέγει αὐτὸ οὔτε δύο ἢ τρία οὔτε πάντα, ἀλλὰ λόγον τῆς μίξεως αὐτῶν*. Paullo longius a vulgata lectione recedit Schwegl. ad h. l., quod scribendum coniicit: *καὶ σάρκας καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον εἶναι κατὰ τὸν λόγον, ἢ μηθέν*. — Ceterum idem Empedoclis de natura carnis placitum commemoratur de gen. et corr. II 6. 333*b* 9. de an. I 4. 408*a* 19, explicatur de an. I 5. 410*a* 2, Trendel. ad h. l. p. 279—284.

993*a* 24 *περὶ — τῶν τοιούτων δεδήλωται καὶ πρότερον* Alexander referri putat ad 8. 989*a* 32, ubi Ari-

stoteles Anaxagoram dicit concessurum fuisse, quae ipse non plene et subtiliter persecutus esset. Ac satis quidem probabilis haec esset explicatio, nisi proximis verbis Aristoteles transitum paraturus ad ἀπορίας libri *B* adderet: ὅσα δὲ περὶ τῶν αὐτῶν τούτων ἀπορήσειεν ἄν τις. Hae autem ἀπορίαι quum ad summa et gravissima quaeque philosophiae capita pertineant, etiam illud περὶ τῶν τοιούτων latius patere apparet et ad omnia referendum esse, quaecunque de summis rerum principiis vel investigaverunt vel obscurius divinaverunt veteres philosophi. — a25 ὅσα δὲ περὶ κτλ. His verbis manifesto transitum parat scriptor ad librum *B*, nec potest ferri interpositus liber α, cf. prooem. p. 15—18.

α.

CAP. I.

Veritatis inquisitio quodammodo facilis, eadem quodammodo difficilis est 993a 30—b7, *eius difficultas non in natura rei cognoscendae, sed in imbecillitate mentis humanae posita est* 7—11. — *Gratia habenda est iis etiam philosophis, quorum placita non probaveris* 11—19. *Philosophiae est cognitio veritatis* — 23, *cernitur autem veritas maxime in summis rerum principiis* — 31.

993a 30 ἡ περὶ τῆς ἀληθείας θεωρία — b1 ἀποτυγχάνειν. De significatione verbi θεωρεῖν cf. Trendel. El. log. ad §. 16. Nomen θεωρία ubi non absolute usurpatur, sed adiecta ea re ad quam pertineat (θεωρία τινός, περί τινος, περί τι), idem fere significare ac σκέψις vel ἐπίσκεψις cognoscitur ex *Γ* 3. 1005a 29, coll. a22. *K* 3. 1061a 29, coll. *Α* 8. 989b 25 sqq. Itaque ἡ περὶ τῆς ἀληθείας θεωρία est veritatis inquisitio. Eam inquisitionem et difficilem esse et eandem facilem inde cognoscitur, quod nemo vel plene rem assecutus est vel prorsus ab ea aberravit, μήτε πάντως ἀποτυγχάνειν b1. Quod in libris et scriptis et editis exhibetur μήτε πάντας ἀποτυγχάνειν, alienum videtur esse a sententiae ratione; quod enim non omnes aberraverint a veritate, inde non potest concludi facilem

eius esse cognitionem. Propterea non dubitavi πάντως pro πάντας ex coniectura Brandisii in textu exhibere, quum praesertim Alexander, licet in lemmate habeat πάντας, in explicatione tamen utatur vocabulis πάντῃ, παντάπασιν ἀποτυγχάνειν p. 101, 14. 102, 12, 21, ut eum πάντως in textu habuisse non sine specie veri inde colligas. Quod enim L. Spengel obiicit (Münchn. Gel. Anz. 1843. N. 243.), ex eadem Alexandri interpretatione p. 103, 1, 7 etiam vulgatam lectionem πάντας confirmari posse, dubito num recte iudicaverit; illud enim πάντες, quod est apud Alexandrum, trahendum potius videtur ad explicanda verba proxima ἀλλ' ἕκαστον λέγειν τι κτλ. Ceterum Erasmus in explicando proverbio τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; ubi haec verba Aristotelis affert, scribit πάντως.

993b 2 περὶ τῆς φύσεως i. e. περὶ τῆς τῶν φύσει ὄντων οὐσίας vel omnino περὶ τῆς οὐσίας, cf. Δ 4. 1014b 35. 1015a 12. Itaque formulae περὶ τῆς φύσεως et περὶ τῆς ἀληθείας tamquam eiusdem fere significationis perinde coniunguntur atque ἀλήθεια et τὸ ὄν, cf. ad Α 3. 983b 1—3.

993b 5 τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; Erasmus in adagiis aspernatus et codicum Aristotelicorum et ipsius Alexandri auctoritatem pro θύρας scribendum coniicit θήρας, quam coniecturam subtili ille quidem sed parum probabili ratione confirmare studet. Alexander, sive id traditum accepit sive ipse excogitavit, non inepte proverbium ductum dicit a sagittariis, qui, si tenuis et minuta proposita sit meta, facile fallantur, ab ampla autem et lata, qualis est ianua, vix aberrent. Inde proxima etiam verba facilem habebunt explicationem. Nimirum ut sagittarii amplam illam metam universam quidem feriunt, sed fortasse non eam partem, quae potissimum destinata erat, ita philosophi ab universo quidem veritatis scopo non aberraverunt, sed non ipsum quasi punctum veritatis assecuti sunt, εἰς ἔννοιαν μὲν τοῦ ὅλου, ut ait Alex. p. 104, 3, καὶ ἐπίστασιν πάντες ἦλθον, οὐδὲν δὲ μέρος αὐτῆς ἐξακριβώσασθαι ἐδυνήθησαν. cf. Phys. I 1. 184a 23 sqq., ubi ab universali cognitione ad persequendas singulas partes pergendum esse Aristoteles docet, et ad explicandam eam sententiam Trend. de anim. p. 338. Heyder krit. Darst. I 1. p. 165.

993b 7 ἴσως δὲ καὶ — 11 πάντων. Veritatis cognitio non est difficilis τῇ φύσει, sed πρὸς ἡμᾶς, de quo discrimine cf. ad Z 4. 1029b 4 sqq. Nimirum animae humanae ea pars, quae ipsam veritatem amplectitur (cf. Λ 7), τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς sive ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, Λ 9. 1075a 7, quasi praestringitur nimio veritatis splendore.

993b 11 οὐ μόνον δὲ — 19 αἴτιοι γεγόνασιν. Similem sententiam legimus soph. elench. 33. 183b 16 sqq. Iis philosophis, quorum placita reieceris, gratia tamen est habenda; τὴν γὰρ ἕξιν προήσκησαν ἡμῶν b 17. Obiectum ἕξιν proleptice videtur accipiendum esse; etenim illi philosophi facultatem cognoscendi natura insitam exercendo ita corroboraverunt, ut exsisteret habitus ad cognitionem parandam idoneus. cf. de notione ἕξεως ad Δ 20. 1022b 10. Trendel. de an. p. 310. — De Phrynide et Timotheo cf. Schoemann ad Plut. Agid. 10. Müller Dor. II. p. 322. Wachsm. hell. Alt. II 2. p. 429.

993b 19 ὀρθῶς δ' ἔχει — 31 τῆς ἀληθείας. Philosophiam quum cerni dicit in cognitione veritatis, communi philosophiae nomine scriptorem theoreticam potissimum eius partem significare ex verbis proxime sequentibus apparet: θεωρητικῆς μὲν γὰρ κτλ. Theoretica enim philosophia non refertur alio nisi ad cognoscendum id quod est verum, practica autem tendit ad actiones moderandas, et si quando rei alicuius naturam, τὸ πῶς ἔχει b 22, indagat, aeternam rei naturam nihil curat, sed ad hoc tempus (νῦν) et ad hunc finem propositum (πρός τι) omnem refert quaestionem. Iam veritas cognosci non potest, nisi cognita causa, cf. ad Α 2. 982b 3. Atqui si plures res eiusdem sunt generis ac naturae (συνώνυμα b 25, cf. ad Α 6. 987b 10), in ea potissimum huius naturae vis cernitur, ex qua eadem ad reliquas manavit. Ergo quum vera sint ea quae sunt, cf. ad Α 3. 983b 1—3, veriora et verissima ea esse apparet, quae reliqua ut sint efficiunt; idem et essentiae est et veritatis gradus, ὥσθ' ἕκαστον ὡς ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας. Ante haec verba gravius, quam Bekkerus, distinguendum putavi, quia haec enunciatio non potest coniungi cum proxima superiore οὐ γάρ ποτε κτλ., sed universam de veritate et essentia argumentationem breviter complectitur.

CAP. II.

Causae non possunt esse infinitae, neque intra idem genus causarum si sursum vel deorsum progrediaris 993a 1 — b27, neque vero genera causarum sunt infinita b27 — 31.

994a 1 ἀλλὰ μὴν ὅτι γ' — 19 οὐθέν ἐστιν. Philosophiam utpote veritatis scientiam quum suspensam esse a principiorum summorum cognitione demonstratum sit, ut possit omnino esse philosophia, principia oportet cognosci posse. Non possent autem cognosci, si in infinitum progrederentur. Itaque quod nunc demonstratur principia non esse infinita, potuit illud sane ab ipso scriptore coniunctum esse cum superiore disputatione; sed num re vera eandem disputationem continuatam, an alteram alteri fortuito adnexam putemus, difficile est iudicare. cf. prooem. p. 17. Distinguitur autem duplex causarum infinitas, εἰς εὐθυωρίαν, ut intra idem causarum genus vel ascendenti vel descendenti in infinitum progredi liceat (cf. ἐπ' εὐθείας de gen. et corr. II 5. 332b 12: δεῖ μὲν γὰρ στῆναι καὶ μὴ εἰς ἄπειρον τοῦτο ἰέναι ἐπ' εὐθείας ἐφ' ἑκάτερα, vel εἰς εὐθύ ibid. 11. 338a 7), et κατ' εἶδος, ut infinita esse dicantur genera causarum. Et illa quidem infinitas, ἡ κατ' εὐθυωρίαν, qualis sit, illustrat exemplis ex omnibus causarum generibus petitis a3 — 11, ac deinde demonstrat a11 — 19 fieri non posse, ut in infinitum causa altera ex altera repetatur. Et ea quidem argumentatio suspensa est a notione τοῦ μέσου. Etenim si tria ita disposita sumamus ex ordine causae, ut unum sit medium et extra illud alterum primum alterum extremum, quaerenti quid ex his reliquorum sit causa, primum causam esse respondebimus; extremum enim ex reliquis duobus, medium ex primo ita est suspensum, ut nisi illa sint, ipsum neque esse nec causa cuiusquam esse possit. Iam vero si in investiganda causa ascendentibus progressum in infinitum patere statuimus, quascunque in hac serie invenimus causas, eae omnes medium obtinent locum, praeter extremum illud, cuius ab investigatione exorsi sumus, μέχρι τοῦ νῦν a18; principem locum, quoniam finem illa series non habere contenditur, nulla ex omnibus habet. Ergo quia mediae sunt, ne causae quidem possunt dici, ipsamque

tollit causae notionem, qui sursum ascendentibus infinitum progressum patere contendit. (a16 τῶν δ' ἀπείρων τοῦτον τὸν τρόπον i. e. τῶν ἀπείρων κατὰ τὴν πρόσθεσιν, cf. b30, inde enim, quod usque novi quid extrinsecus additur, haec exsistit infinitas, nec vero continuata sine fine divisione, κατὰ διαίρεσιν, cf. b23.) Pertinere autem universam hanc argumentationem ad eam investigationem, quum ab effectu ad causam et ad huius iterum causae causam progredimur, ἐπὶ τὸ ἄνω, et propter exempla supra allata a3—11 verisimile est, et eo confirmatur quod deinceps ad alteram quaerendi viam transit, ubi a causa ad effectum descenditur, ἐπὶ τὸ κάτω, et ne in ea quidem infinitatem inesse posse comprobat. De vocc. ἄνω, κάτω cf. ad *A* 9. 992a 17 et Waitz l. l.

994a 19 ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐπὶ τὸ κάτω — b6 ἐστὶ γένεσις. Quum infinitas non esse causas ἐπὶ τὸ ἄνω ea ratiocinatione philosophus comprobaverit, quae ad omnia causarum genera simul pertineat, iure exspectes eum vel perinde universali argumentatione infinitatem causarum ἐπὶ τὸ κάτω refutaturum, vel singula causarum genera sua quodque argumentatione persecuturum, et his confectis transiturum ad alteram disputationis partem, ut nec genera ipsa causarum infinita esse doceat. Sed a tali ordine scriptor longe recedit. Exorsus enim comprobare non esse causas infinitas ἐπὶ τὸ κάτω, quamquam minime significavit non de omnibus se disputare causarum generibus, tamen inductus profecto formulae ἔκ τινος, quam usurpavit, significatione, eam argumentationem restringit ad unam causam materialem. Deinde de finali causa b9—16 et de formali b16—20 ita disserit, ut, si omnino in his causae generibus progrediendi et regrediendi discrimen hac in quaestione recte abhiberetur, infinitatem ἐπὶ τὸ ἄνω refellat. Moventem causam prorsus omisit excutere. Denique b20 sqq. rationem addit tam late patentem, ut ad omnem causarum infinitatem, sive ἐπὶ τὸ ἄνω sive ἐπὶ τὸ κάτω, sive, quae superior erat divisio, εἰς εὐθυωρίαν sive κατ' εἶδος, pariter referri possit, eique adnectit alteram illam disputationis partem b27, qua genera causarum non esse infinita comprobat. Non deesse artes, quibus hunc etiam disputandi ordinem vel laudes vel defendas, probe scio; sed iustum et simplicem eum ordi-

nem non esse, facile concedet, qui integro iudicio rem ipsam spectaverit.

Non esse deorsum infinitam causarum seriem, ut ex hoc alterum, ex altero tertium fiat et generationis finis nullus sit, primum de materiali causa comprobat, distincta significatione formulae ἔκ τινος γίγνεσθαι. Seposita enim ea significatione, quae ad temporis decursum pertinet, μὴ ὡς τόδε λέγομεν μετὰ τόδε b22, cf. Δ 24. 1023b 8, quippe quae ab hac quaestione aliena sit, dupliciter illa formula usurpatur; dicimus enim alterum ex altero fieri vel sic ut vir fit ex puero, vel sic ut aër fit ex aqua. Et in illa quidem generandi ratione non novi quidquam ex ipsa generatione evadit, οὐκ ἐκ τῆς γενέσεως b1, sed id quod iam fiendi processu continetur, τὸ γιγνόμενον a26, ideoque medium est inter ens et non-ens, ad perfectionem suam perducitur; et quum τὸ γιγνόμενον, utpote μεταξὺ τοῦ ὄντος καὶ μὴ ὄντος a28, suapte natura ad suam tendat perfectionem, τῶν μὲν γὰρ ὄντων μεταξὺ ἀνάγκη τέλος εἶναι b4, haec quidem generatio in infinitum progredi non potest. In altero autem generationis genere, quod significatum est aëris ex aqua geniti exemplo, alterum exsistit intercidente altero, ac vice versa hoc intereunte illo; qua generandi vicissitudine (ἀνακάμπτει b3, de cuius voc. usu cf. Waitz ad An. post. I 3. 72b 36) quoniam ad suum ipsius initium generatio revertitur, infinitas progrediendi excluditur. Itaque omnino τὸ γίγνεσθαι ἔκ τινος non potest in infinitum deorsum progredi. — Hac explicatione satis iam comprobata esse spero, quae in lectione Bekkeriana immutavi, Alexandri potissimum secutus auctoritatem. a22 μή scripsi, ubi Bekk. ex aliquot codd. exhibuit ἤ, ac deinde a23 οὐχ οὕτως ἀλλ' cum codd. prope omnibus omisi. Neque enim id agit, ut omnes iuxta significationes formulae ἔκ τινος enumeret, sed ut secludat, quae huc non pertinent, μὴ ὡς τόδε λέγομεν μετὰ τόδε, et eas modo recenseat, in quibus haec quaestio et debet versari et re vera deinde versatur. — Quod autem paullo infra b1 ἔστι omisi, non possum sane aliam adhibere auctoritatem quam interpretum Graecorum Alexandri et Asclepii, sed ipsa sententiae ratione ea quam reposui scriptura necessario videtur flagitari. Describendum est enim id generationis ge-

nus, quod viri e puero adolescentis exemplo illustratum est; in eo autem genere apte ac proprie dicitur: οὐ γίγνεται ἐκ τῆς γενέσεως τὸ γιγνόμενον (i. e. ita ut ex ipsa generatione novi quid prodeat), ἀλλὰ (int. γίγνεται) μετὰ τὴν γένεσιν h. e. ἐκ τοῦ ἤδη γεγονότος Alex. p. 116, 22. Sed ἀλλ' ἔστι μετὰ τὴν γένεσιν non potest ad distinguendum hoc potissimum genus referri, quoniam esse quidem post generationem in utroque genere recte dicitur id quod factum est.

994b 6 ἅμα δὲ καὶ — 9 ἀΐδιον εἶναι. Falso Alexander ab his inde verbis, finita universali argumentatione, singula putat pertractari genera causarum, et primum quidem materialem causam. Non novam ordiri disputationis partem, sed artissime haec adnectenda esse superioribus verbis, vel ex particula ἅμα intelligas qua enunciatum incipitur. Nimirum unum generationis genus — quod alibi ἁπλῆ γένεσις appellatur — id posuit, in quo alterum fit intereunte altero; eam sursum ascendenti non patere in infinitum antea ea, quae ad omnia causarum genera pertineret, ratione demonstraverat a 11 — 19; inde iam concludit primam generationis materiam non posse interire quum quid ex ea fiat, neque ad eam extendi posse eam notionem generationis, ex qua alterum fieri dixerat intercidente altero. — Haec videtur certe scriptoris esse sententia, quamquam eam vel necessario ad hanc, in qua nunc versatur, ratiocinationem pertinere, vel necessario ex ipsis verbis repeti non contenderim; ipsa enim verba videantur cuipiam in circulo versari.

994b 9 ἔτι δὲ τὸ οὗ — 16 πέρας ἐστίν. In causa finali non admitti progrediendi ab altero ad alterum infinitatem, ex ipsa eius notione manifestum est. Quam qui admitti volunt, ii tollunt omnino finalem causam sive, ut ait scriptor, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν b 13, quia τὸ ἀγαθόν est τέλος καθ' αὑτό, cf. ad *A* 3. 983a 32. Nec susciperet quisquam agere quidquam, nisi finem assecuturus, οὐδ' ἂν εἴη νοῦς ἐν τοῖς τοιούτοις i. e. οἱ πράττουσι μὴ μέλλοντες ἐπὶ πέρας ἥξειν. — In principio huius loci Alexander p. 119, 7 pro v. ἔτι δέ habet ἐπεὶ δέ. Quam si probaveris lectionem, a particula ὥστ' apodosis erit ordienda, cf. ad *Z* 10. 1035b 18.

994b 16 ἀλλὰ μὴν οὐδὲ — 20 ἐχόμενόν ἐστιν. Nec

formalis causa infinitatem admittit. Potest quidem definitio explicandis singulis notis ad aliam reduci et similiter porro, quo in progressu posterior quaeque definitio, si eam cum priore comparaveris, explicationis forma et dictione aucta erit, *πλεονάζοντα τῷ λόγῳ*. Sed et prior definitio magis ad ipsam rem definiendam pertinet quam posterior, et vero prior si non esset rei definitio, nec posterior esset. cf. de eadem re Anal. pr. I 22. De particulis *τε* — *δέ* b 18, 19 sibi respondentibus cf. Herm. ad Vig. p. 836. Hartung Part. I. p. 171.

994b 20 *ἔτι τὸ ἐπίστασθαι* — 27 *ἀπείρῳ εἶναι*. Cf. ad 994a 19. Infinitatem causarum qui statuunt, ii omnem tollunt scientiam; sciri enim nihil potest, donec ad ea perveneris, quae non amplius ita dividuntur et distinguuntur, ut eorum cognitio ad aliam vel cognitionem vel causam referatur — hoc enim significari videtur verbis *πρὶν ἢ εἰς τὰ ἄτομα ἐλθεῖν* b 21. Huic rationi opponi non potest lineae exemplum, quae licet infinitae divisioni locum praebeat, nihilo tamen secius cognoscatur; linea enim non *κατὰ πρόσθεσιν* et *ἐνεργείᾳ*, sed *κατὰ διαίρεσιν* et *δυνάμει* est infinita, nec comprehenditur mente, quatenus potest in infinitum dividi, sed quatenus certis finibus re vera est circumscripta, *νοῆσαι δ' οὐκ ἔστι μὴ στήσαντα* b 24. Quare qui cognoscit *τὴν ἄπειρον* lineam, i. e. *τὴν ἐπ' ἄπειρον διαιρετήν* (Alex. p. 122, 14), is non inducet animum infinitas, quae possunt fieri, divisiones dinumerare. — Proxima verba b 25 *ἀλλὰ καὶ* — 27 *ἀπείρῳ εἶναι* quid significent, non possum nisi obscura quadam divinatione assequi. Sicuti linea infinita est propterea, quod potest dividi in infinitum, similis in materia cernitur infinitas, quae potest infinitas in se recipere qualitates. Sed cogitari eam semper oportet tamquam quae insit uni cuidam ex iis rebus, quae motu ac mutatione ex ea procreantur, *τὴν ὕλην ἐν κινουμένῳ νοεῖν ἀνάγκη*. Omnino notio infinitatis, *τὸ ἀπείρῳ εἶναι*, nullius rei naturam et substantiam continet, cf. Phys. III 4—8; et, si contineret, ipsa tamen notio infinitatis, *τὸ ἀπείρῳ εἶναι* b 27, quia notio est, non erit infinita.

994b 27 *ἀλλὰ μὴν* — 31 *διεξελθεῖν*. Cf. ad 994a 19. — *τότε γὰρ εἰδέναι κτλ.* Cf. ad *A* 1. 980a 22.

CAP. III.

***Quam quis potissimum probet docendi rationem, quum ex usu et consuetudine pendeat, eruditione opus est, ut in quolibet genere eam sectetur, quae apta sit ad naturam rei** 994b 32 — 995a 14; **et mathematicae quidem demonstrationis severitas non est requirenda in disciplina physica** — a 19.*

Ad universam hanc disputationem cf. Eth. Nic. I 1. Eth. Eud. I 6. 1216b 40 sqq.

995a 2 οὐχ ὅμοια int. τοῖς εἰωθόσι vel τῇ τοῦ πράγματος φύσει, quam nimirum ex usu et consuetudine unice aestimant. — a 4 τὰ μυθώδη κτλ. cf. *Λ* 8. 1074b 4.

995a 10 διὰ τὴν μικρολογίαν i. e. propter putidam in rebus minutis subtilitatem, non quae re vera est putida, sed quam putidam esse sibi persuaserunt. cf. Eth. Nic. IV 4. 1122b 8.

995a 16 ἐν τοῖς μὴ ἔχουσιν ὕλην. Quo quid remotius est a materia et suapte natura simplicius, eo maiorem admittit cognitionis subtilitatem, cf. ad *A* 2. 982a 26. Contra si quid coaluit cum materia, ut quae sit ἄγνωστος καθ' αὑτήν, *Z* 10. 1036a 8, minor est subtilitas requirenda et reputandum in definiendo ὅτι ἀεὶ ἀναιρεῖν ἔστι, *Z* 15. 1040a 7.

995a 17 ἴσως. Cf. ad *A* 5. 987a 26.

995a 19 καὶ εἰ μιᾶς — 20 ἐστιν. Hoc enunciatum quamquam in libris et scriptis et editis exhibetur omnibus et ab Asclepio iam agnoscitur, tamen sine dubitatione omittendum est ex auctoritate Alexandri. Is enim haec verba non modo omittit in interpretatione huius libri, sed etiam ad primam libri *B* ἀπορίαν 1. 995b 4 adnotat, haec verba sub finem libri *α* adscripta esse a quibusdam, ut haberent quo verba libri *B* referrent. cf. Alex. p. 130, 24.

B.

CAP. I.

Ἀπορίαι, quae ad primam philosophiam pertinent, hoc libro et recensentur et investigantur. Etenim ad inveniendam rei alicuius veritatem cognovisse primum oportet, quae

possint de ea re dubitari, eaque in utramque partem disputasse; difficultates enim, quae ipsi insunt rei, is demum et expediet recte et num expedierit cognoscet, qui ipsas cognoverit difficultates; et iustius iudicabit qui tamquam arbiter causae constitutus utramque partem audiverit causam dicentem (cf. de coelo I 10. 279*b* 7). Eandem investigandi viam ingrediendam dicit et ipse ingreditur de an. I 2. 403*b* 20. Phys. IV 10. coll. 1. 208*a* 34. Anal. post. II 3. 90*a* 37. cf. Waitz ad h. l. De singulis autem ἀπορίαις ita in utramque partem disputat, ut non ab ipsis rerum principiis proficiscatur, sed ἐκ τῶν ἐνδόξων, i. e. ab opinionibus vulgatis maxime et probatis, atque inde exorsus verum tentet magis quam inveniat. Iam quum sint ex Aristotelis descriptione διαλεκτικοὶ λόγοι οἱ ἐκ τῶν ἐνδόξων συλλογιστικοὶ ἀντιφάσεως soph. el. 2. 165*b* 3, et dialectica ars πειραστικὴ περὶ ὧν ἡ σοφία γνωριστική *Γ* 2. 1004*b* 25 (cf. Waitz Org. II. p. 435), universo hoc libro non tam ipsius scientiae partem, quam dialecticam eius praeparationem contineri apparet, quae dialectica ars quantum valeat ad cognoscendam veritatem Aristoteles exponit Top. I 2. 101*a* 34, cf. Heyder krit. Darst. I 1. p. 345 sqq. Itaque hic etiam liber quasi in vestibulo versatur philosophiae, propius tamen ad rem accedit quam liber primus, siquidem in primo libro nihil aliud quam aliorum de primis causis sententiae recensentur et iudicantur, hoc autem in libro ipsius rei investigandae difficultates pertractantur, sive conspicuae iam in placitis superiorum philosophorum sive ab aliis etiam tum praetermissae, 995*a* 26 sq. Ac primo quidem capite ἀπορίας enumerat tantum, reliqua libri parte in utramque partem de iis disputat, quod quum non prorsus eodem ordine faciat, quo eas enumeravit, singulas ubi pertractaverit breviter videtur indicandum, ut ibi quaeratur si quid ad eas explicandas necessarium videatur. 995*b* 5 πότερον — 6 αἰτίας, cf. 996*a* 17—*b* 26. — *b* 6 καὶ πότερον — 10 τοιούτων, cf. 996*b* 25 —997*a* 15. — *b* 10 εἴτ' — 11 πλείονές εἰσι, cf. 997*a* 15—25. Proximam ἀπορίαν *b* 12 κἂν εἰ — 13 αὐτῶν non singillatim pertractari iam Syrianus animadvertit; sed superiori ita adhaeret, ut ubi illa pensatur, de hac etiam videri possit satis disputatum esse. — *b* 13 καὶ τοῦτο — 17 αἰσθητῶν, cf. 997*a*

34—998*a* 19. — *b*18 περί τε — 20 οὐσίαις, cf. 997*a* 25—34. — *b*20 πρὸς δὲ — 27 ἐναντίον praetermissa est in disputatione τῶν ἀποριῶν, pertinere autem harum rerum cognitionem ad primam philosophiam intelligitur ex *Γ* 2. 1003*b* 35 sqq. 1004*a* 17 sqq. et ex universo libro *I*. — *b*27 καὶ πότερον — 29 ἕκαστον, cf. 998*a* 20—*b*14. — *b*29 καὶ εἰ — 31 ἕκαστον, cf. 998*b* 14 — 999*a* 23. — *b*31 μάλιστα — 34 ἀριθμόν non singillatim quidem examinatur, sed maximam partem in ea continetur, quae proxime sequitur. — *b*34 καὶ πότερον — 36 ὄντων, cf. 999*a* 24—*b*24. — 996*a* 1 ἔτι αἱ — 2 ὑποκειμένῳ, cf. 999*b* 24 — 1000*a* 4. — *a*2 καὶ πότερον — 4 φθαρταί, cf. 1000*a* 5—1001*a* 3. — *a*4 ἔτι δὲ — 9 ἀέρα, cf. 1001*a* 4—*b*25. — *a*9 καὶ πότερον — 10 πραγμάτων, cf. 1003*a* 5—17. — *a*10 καὶ δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ, cf. 1002*b* 32—1003*a* 5, quo loco, quum κίνησις et δύναμις artissime cohaereant, proximam etiam ἀπορίαν, *a*11 ἔτι πότερον — 12 πολλήν, examinatam censebimus. — *a*12 πρὸς δὲ — 15 ἐν τούτοις, cf. 1001*b* 26 — 1002*b* 11.

995*a* 28 διαπορῆσαι est διεξελθεῖν τὰς ἀπορίας, cf. *a*35, *b*5. 4. 999*a* 32. *K* 1. 1059*a* 19, *b*15. *M* 9. 1086*a* 34; interdum tamen διαπορεῖν ita usurpatur, ut omissa prope praepositionis διά significatione a simplice verbo ἀπορεῖν non magnopere differre videatur, cf. *A* 9. 991*a* 9. *M* 5. 1079*b* 12, 21. al. — *a*30 ἀγνοοῦντας τὸν δεσμόν κτλ. Eadem comparatione utitur Aristoteles Eth. Nic. VII 3. 1146*a* 24. — *a*33 δυσχερείας. Nomen δυσχέρεια h. l. manifesto idem fere significat atque ἀπορία: sed aliquanto tamen latius patet δυσχερείας significatio, ut ab ἀπορίας notione transeat ad notionem ἀτοπίας, cf. *M* 9. 1085*b* 17. 1086*a* 4. *b*12. *N* 2. 1090*a* 8. 4. 1091*a* 37. *b*1. 23; similiter δυσχερῆ συμβαίνει eadem usurpatur vi atque ἄτοπα, ἄλογα, ἀδύνατα συμβαίνει, cf. *M* 7. 1081*b* 37. 9. 1085*b* 6. 1086*b* 7.

995*b* 1 εὕρηκεν. Numerus singularis si quem offendat propter antecedentem numerum pluralem τοῖς ἀγνοοῦσι, conferat exempla similia Matth. gr. Gr. §. 293.

995*b* 4 ἔστι δ' ἀπορία πρώτη — 5 διηπορήσαμεν. Quidam e Graecis Aristotelis interpretibus quum haec verba eum in sensum acciperent, ut de ipsa hac ἀπορίᾳ dubitatum iam et disputatum esse in superioribus opinarentur, quo-

niam nihil eiusmodi in iis inveniebant, sub finem libri *α* ea verba ex ingenio addiderunt, ad quae haec referrentur, cf. ad 995ᵃ 19. Sed neque opus est hac coniectura et omnia aptissime concinunt, si sequimur verissimam Alexandri explicationem. Prima dubitatio, ait Aristoteles, ad eas res pertinet, quibus de rebus disputatum est in prooemio; disputatum autem ibi est de causis; hae igitur num ab eadem omnes scientia investigandae sint an aliae ab alia, primum est quaerendum.

995ᵇ 12 *σοφίας*. Pluralis *σοφίαι* singulas significat partes (*συγγενεῖς*) *τῆς σοφίας*, de cuius notione cf. ad *Α* 2. 983ᵃ 20, quemadmodum plurali *φιλοσοφίαι* diversae significantur philosophiae disciplinae, cf. ad *Α* 3. 983ᵇ 21.

995ᵇ 16 *οἷον οἱ ποιοῦντες*. Verbum huius enunciationis *φασίν* vel *λέγουσιν* repetendum est ex superiore *φατέον* ᵇ 15.

995ᵇ 19 *ἡ θεωρία*, cf. ad *α* 1. 993ᵃ 30. — ᵇ20 *συμβεβηκότα καθ' αὑτά*, cf. ad *Δ* 30. 1025ᵃ 30.

995ᵇ 23 *οἱ διαλεκτικοί*, cf. Trendel. El. §. 33. et locos ad initium huius capitis adscriptos. — ᵇ24 *ἐνδόξων*, cf. p. 136.

995ᵇ 27 *πότερον αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ στοιχεῖα τὰ γένη ἐστί*. Articulos ante nomina *ἀρχαί* et *στοιχεῖα* positos, quia haec nomina praedicatum continent enunciationis, omittendos suasi Obs. ad Met. p. 51. Et ea quidem constructio grammatica enunciati necessaria est et vera, sed num propterea illi articuli in praedicato omittendi sint magnopere dubito. Videtur enim Aristoteles non simpliciter quaerere num genera pro principiis et elementis sint habenda, sed num sint habenda pro iis principiis et elementis, de quibus quummaxime agitur. Ita articulorum usus non ferendus modo sed probandus erit. cf. Spengel Münchn. Gel. Anz. 1843. Nr. 243.

996ᵃ 1 *καὶ αἱ* — 2 *ὑποκειμένῳ*. Quae dicantur causae *αἱ ἐν τοῖς λόγοις* et quae vicissim *αἱ ἐν τῷ ὑποκειμένῳ* veteres iam interpretes Alexander et Syrianus dubitaverunt. Significari autem verbis *αἱ ἐν τῷ λόγῳ* axiomata, *ἀρχαὶ ἐξ ὧν δεικνύουσιν ἅπαντες* 995ᵇ 8, quod Alexander non improbat p. 134, 31, propterea admodum dissimile vero videtur,

quia in omnibus his *ἀπορίαις*, quae proxime vel supra vel infra recensentur, unice rerum, non disputandi et cognoscendi principia adhibentur. Iam si meminerimus, *τὴν κατὰ τὸν λόγον οὐσίαν* saepe appellari substantialem rei formam, *E* 1. 1025*b* 27. *Z* 10. 1035*b* 13, 15. 11. 1037*a* 17, et *τὰ ὡς λόγος αἴτια* dici principia formalia, *Λ* 3. 1070*a* 22, non dubitabimus *αἱ ἐν τοῖς λόγοις ἀρχαί* interpretari principia formalia, quibus opponantur *αἱ ἐν τῷ ὑποκειμένῳ*, principia materialia. Nec vero opus est, quod voluerunt Alexander et Syrianus, formalium principiorum vim ita extendere, ut eodem nomine etiam finalia et moventia contineantur, cf. Alex. p. 134, 29; videtur potius non omnia hic enumerare Aristoteles causarum genera, sed acquiescere in significanda ea principiorum oppositione, quae saepissime in quaestionem cadit et latissime patet.

996*a* 5 sqq. Cf. Phys. III 4. Met. *Α* 5. 6. 8. 9. — *a*6 *ἔλεγεν*. De numero singulari verbi, qui refertur ad nomen proximum *Πλάτων*, non ad remotius *οἱ Πυθαγόρειοι*, cf. Krüger gr. Gr. §. 63, 4.

CAP. II.

Quaestio prima. 996*a* 18 — *b*25.

Primum Aristoteles num sit unius scientiae necne omnia causarum genera contemplari disputat. Ac primum quidem non esse unius scientiae duabus rationibus probare studet, 996*a* 18 — *b*1. Scientia una eademque non est nisi contrariorum; atqui causae non sunt inter se contrariae (*μὴ ἐναντίας οὔσας* *a*20); ergo non eadem est omnium causarum scientia. Accedit quod non omnes omnibus in rebus causae inveniuntur, unde item efficitur, ut non eadem sit omnium causarum scientia. Esse autem, in quibus non omnia causarum genera inveniantur, immobilia documento sunt, veluti res mathematicae (cf. *E* 1. 1026*a* 14); in his enim non inesse causam motricem ex ipsa eorum notione manifestum est; sed nec finalem causam in iis inesse ita demonstrat, ut in notione finalis causae latere dicat cogitationem eius actionis, quae finem propositum habeat. — Dialecticam esse utramque argumentationem, *ἐξ ἐνδόξων* non *ἐξ ἀληθῶν*, in

promptu est. In priore conclusione propositio maior, ut vere Alexander iudicat, falso sumitur; namque contrariorum eandem esse scientiam notum est Aristotelis placitum, cf. *Γ* 2. 1004*a* 9. *K* 3. 1061*a* 19. An. pr. I 36. 48*b* 5. post. I 7. 75*b* 13. Top. I 14. 105*b* 33. II 3. 110*b* 20. VIII 1. 155*b* 31. 13. 163*a* 2. Phys. VIII 1. 251*a* 30. Eth. N. V 1. 1129*a* 14; sed longe aliud hic sumit, quum non esse eandem scientiam statuit nisi contrariorum. In altera argumentatione quoniam a particulari ad universale fit conclusio, omnis desideratur concludendi necessitas.

996*a* 32 *τῶν σοφιστῶν τινες οἷον Ἀρίστιππος προεπηλάκιζεν αὐτάς*. Aristoteles quum sophisticam artem a philosophia differre dicat *τοῦ βίου τῇ προαιρέσει* *Γ* 2. 1004*b* 24, non immerito Aristippum hoc nomine notat. Qui quod mathematicam propterea dicitur neglexisse, quia illa boni mentionem omnino non faciat, alibi idem si non de mathematica, at certe de physica universe narratum videmus, et ita quidem, ut haec contemtio artius coniuncta sit cum placitorum Aristippi indole. cf. Sext. Emp. adv. Math. VII 11. p. 192, 25. Bk.: *παραπέμπειν δὲ τὸ φυσικὸν καὶ τὸ λογικὸν ὡς μηθὲν πρὸς τὸ εὐδαιμόνως βιοῦν συνεργοῦντα.* Diog. L. II 92. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 125.

996*b* 1 *ἀλλὰ μὴν* — 25 *τούτων ἕκαστον*. Quoniam dialectice singulae quaestiones disceptantur, iure et ex similitudine reliquarum prope omnium quaestionum exspectes Aristotelem, postquam diversa causarum genera non uni doctrinae subiecta docuit, iam in alteram partem disputaturum, ut non posse diversam esse diversorum causae generum scientiam esse comprobet. Sed ab ea via aut recedit aut videtur certe recedere Aristoteles. At si plures, ait, ponuntur causarum doctrinae et sua cuique generi scientia assignatur, quaeritur quam potissimum ex his doctrinis eam esse putemus, quam nunc quaerimus, primam philosophiam. Etenim quum fieri possit ut in eadem re, quae investigatur, omnia causarum genera cernantur, si sequimur opiniones de sapientia antea expositas (*ἐκ τῶν πάλαι διωρισμένων* *b* 8, *διωρίσθη* *b* 14, cf. *A* 2), habere videmur, cur unius cuiusque causae scientiam potissimam et primariam esse statuamus. Causae finalis cognitio reliquis videtur praeferenda esse, quia

ad summum finem reliqua referuntur omnia, *b* 10—13, causae formalis cognitio, quia cognovisse aliquid nobis videmur, si formam substantialem, τὸ τί ἐστι, cognovimus, *b* 13—22, causae moventis denique cognitio in cognoscenda generatione et actione primum sibi videtur locum vindicare. (Materialem causam, quamquam antea commemoravit *b* 7, tamen in hac de principatu disputatione non respicit, quoniam materia per se cognosci non potest, *Z* 10. 1036*a* 8.) Ὥστε, ait *b* 24 concludens disputationem, ἄλλης ἂν δόξειεν ἐπιστήμης εἶναι τὸ θεωρῆσαι τῶν αἰτίων τούτων ἕκαστον. At hoc non concluditur ex altera disputationis parte, quae proxime absoluta est, sed ex priore *a* 20—*b* 1. Quare, ut omittamus Alexandri coniecturam prorsus improbabilem οὐκ ἄλλης pro ἄλλης scribentis, aut ita statuendum erit, neglecta altera disputationis parte, quae erat de diversarum doctrinarum principatu, Aristotelem redire ad priorem; aut, si refertur ad posteriorem etiam disputationis partem, aliud quidpiam supplendum est. Nimirum primam philosophiam, quidquid ei subiectum est, unam esse, tacite sumit Aristoteles; iam quod demonstravit, si plures ponantur esse causarum doctrinae ut suae quodque causarum genus subiectum sit scientiae, singulas doctrinas inter se diversas sibi vindicare primae philosophiae dignitatem, id eo nos deducere videtur, ut non posse plures poni iudicemus. Sed utut verba explicamus, non satis plane disputatum esse apparet. — Solvitur haec prima quaestio *Γ* 2, ita tamen ut non singulas dubitationes h. l. motas refutet.

996*b* 7 οὗ δ' ἕνεκα, τὸ ἔργον. Opus non est intelligendum id quod facit aedificator; hoc enim esset ipsum aedificium, quod non potest dici finis esse aedificii; sed potius id opus, quod acit fdomus, ἡ τῆς οἰκίας ἐνέργεια, ut sit ἀγγεῖον σκεπαστικὸν σωμάτων καὶ χρημάτων *H* 2. 1043*a* 16. Quamquam fatendum est, ita non multum differre causam finalem a formali causa, τὸ δ' εἶδος ὁ λόγος *b* 8, qualem describit *H* l. l. vel de an. I 1. 403*b* 4. — *b* 9 ἔχει λόγον, cf. *Γ* 5. 1010*a* 16. Phys. I 6. 189*a* 21. *b* 17, et ad *A* 1. 981*a* 15. — *b* 10 ἀρχικωτάτη, cf. ad *A* 1. 981*a* 30. — *b* 19 καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις κτλ. Duo videtur genera distinguere, in quibus cognitio τοῦ τί ἐστι reliquis cognitionibus omnibus

praestet, alterum earum rerum, τί τὸ πρᾶγμα *b* 16, quae simpliciter cognoscuntur et id quidem potius notione substantiali cognita quam variis eius affectionibus, alterum earum vel notionum vel propositionum, quae per syllogismum et ratiocinationem comprobantur, ὧν ἀποδείξεις εἰσί *b* 19. Hoc alterum genus quadraturae exemplo illustrat, quae quod rectius definitur μέσης εὕρεσις, quam si dixeris: τὸ ἴσον ἑτερομήκει ὀρθογώνιον εἶναι ἰσόπλευρον, cf. Trendel. de an. II 2. 413*a* 17, Waitz ad An. post. II 10. 94*a* 1.

Quaestio altera. 996*b* 26 — 997*a* 15.

Quaeritur num eiusdem primae philosophiae sit et rerum et cognoscendi principia, sive quae nos dicere consuevimus et realia et idealia principia cognoscere. Ac primum quidem demonstrat non esse utrorumque principiorum eandem scientiam, 996*b* 33 — 997*a* 2, additque dubitationem, num omnino principiorum idealium esse possit scientia, *a* 2—11, deinde nec posse seiungi principiorum cognoscendi doctrinam a scientia principiorum rerum comprobat, *a* 11—15. Haec quaestio dirimitur *Γ* 3.

996*b* 26 τῶν ἀποδεικτικῶν ἀρχῶν. Summas propositiones, quibus tamquam fundamentis in omni demonstratione utimur, modo ἀποδεικτικὰς ἀρχάς appellat, modo κοινὰς ἀρχάς, ἐξ ὧν ἅπαντα δειχθήσεται An. post. I 32. 88*a* 36, modo κοινὰ ἀξιώματα ibid. I 10. 76*b* 14, vel simpliciter ἀξιώματα 997*a* 11, cf. An. post. I 2. 72*a* 16: ἣν δ' (sc. ἄμεσον ἀρχὴν συλλογιστικήν) ἀνάγκη ἔχειν τὸν ὁτιοῦν μαθησόμενον, ἀξίωμα, vel etiam simpliciter τὰ κοινά An. post. I 11. 77*a* 27. cf. Trendel. El. §. 53. Waitz ad An. post. I 2. 72*a* 17. Eadem principia quod proximis verbis κοινὰς δόξας *b* 28, 997*a* 21, 22, appellat, vocabulo δόξης non opinandi naturam incertam et inconstantem notat, quae fere est vis huius vocabuli ubi ἐπιστήμῃ opponitur, sed communem omnium persuasionem, τὸ δοκοῦν πᾶσιν, non adiuncta illa inconstantiae nota, cf. *Γ* 3. 1005*b* 33. 6. 1010*b* 13 coll. 4. 1008*a* 15. Exempli loco unice principium contradictionis quod dicunt affert; alia eiusdem generis (καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται προτάσεις, cf. 1. 995*b* 10) vide Anal. post. I 10. 76*a* 41. 11. 77*a* 30.

996*b* 33 μιᾶς μὲν οὖν — 997*a* 2 περὶ αὐτῶν. Quae-

libet scientia quae ad demonstrandum ei sunt proposita ita conficit, ut a suis proficiscatur principiis; communia cognoscendi principia omnes pariter suum in usum convertunt, cf. An. post. I 10. Haec igitur communia principia quum pariter ad omnes pertineant disciplinas, nec vero ad unam, veluti geometriam, potius quam ad aliam quamlibet, aut ab omnibus sunt demonstranda aut a nulla. Illud locum habere non posse, ut summa cognoscendi principia ab omnibus comprobentur disciplinis, pro concesso sumit Aristoteles, nimirum quia ita diversis disciplinis idem foret subiectum; ergo efficitur ut a nulla omnino disciplina, itaque ne a prima quidem philosophia, comprobentur. — Sed in hac ratiocinatione quum diversas commemorat disciplinas, tecte singulares dicit disciplinas, quae *γένος τι τοῦ ὄντος περιγραψάμεναι περὶ τούτου πραγματεύονται* *E* 1. 1025*a* 8, ac tamen conclusionem transfert ad primam philosophiam, cuius id ipsum est proprium, ut non de genere entis, sed *περὶ τοῦ ὄντος ἁπλῶς ᾗ ὄν* *E* l. l. quaerat. Hanc concludendi fraudem detegit Aristoteles, quo loco universam quaestionem dirimit, *Γ* 3. 1005*a* 29: *διόπερ οὐθεὶς τῶν κατὰ μέρος ἐπισκοπούντων ἐγχειρεῖ λέγειν τι περὶ αὐτῶν, εἰ ἀληθῆ ἢ μή, οὔτε γεωμέτρης οὔτ' ἀριθμητικός κτλ.* Ceterum ex his verbis coll. *Γ* 2. 1005*a* 11 apparebit, errare Schweglerum quod pro *τί γὰρ μᾶλλον γεωμετρίας* legi iubet *τί γὰρ μᾶλλον σοφίας*, adhibito ad confirmandam coniecturam loco simili libri *K* 1. 1059*a* 25. Nimirum hoc paralogismo utitur Aristoteles: quoniam non geometria potius quam quaelibet alia doctrina in cognoscendis axiomatis versatur, ergo ne primae quidem philosophiae tribuenda est axiomatum investigatio.

997*a* 2 *ἅμα δὲ καὶ* — 11 *ἀξιώμασιν.* Non modo primae philosophiae tribuendum non est, ut summorum cognoscendi principiorum cognitionem quaerat, sed omnino fieri non potest, ut eorum scientia sit. Etenim duo sunt scientiae genera, quorum alterum in definiendo alterum in demonstrando cernitur, *ἐπιστήμη* aut *ὁριστική* est aut *ἀποδεικτική*, cf. An. post. I 3. II 3. 4. Definitivo scientiae genere opus non est in summis cognoscendi principiis, nam quid singula quaeque significent *καὶ νῦν γνωρίζομεν* i. e. *αὐτόθεν καὶ χωρὶς ὁρισμοῦ γνωρίζομεν.* cf. An. post. I 10.

76*b* 20: *οὐδὲ τὰ κοινὰ* (int. *ἀξιώματα*) *οὐ λαμβάνει τί σημαίνει τὸ ἴσα ἀπὸ ἴσων ἀφελεῖν, ὅτι γνώριμον.* Alterum autem genus *τὸ ἀποδεικτικόν*, quod demonstrativum dicere liceat, locum habere non potest. Namque ad quamlibet demonstrationem tria necessario requiruntur, primum genus, ad quod spectet universa argumentatio, deinde propositiones vel axiomata, ex quibus petatur argumentatio, denique affectiones, quas inesse generi demonstretur. Haec tria etiam in ea requirentur scientia demonstrativa, qua axiomata comprobentur, ipsaque axiomata affectiones erunt eiusdem generis, in quo cognoscendo haec versetur scientia. Iam quum axiomata ad omnes res via ac ratione comprobandas adhibeantur, nec tamen ad aliud genus possint transferri, quam in quo ipsa insint, cf. An. post. I 9. 76*a* 22, inde videtur effici, omnium rerum demonstrandarum idem esse genus. Solvi posse etiam hanc difficultatem distinctione Aristotelica *τοῦ ὄντος ἁπλῶς ᾗ ὄν* et *τῶν τοῦ ὄντος μερῶν* facile est intelligere; hoc loco satis habet proposuisse difficultatem. — Conferenda sunt cum hoc loco An. post. I 7 — 10, praecipue I 7. 75*a* 39: *τρία γάρ ἐστι τὰ ἐν ταῖς ἀποδείξεσιν, ἓν μὲν τὸ ἀποδεικνύμενον τὸ συμπέρασμα· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ὑπάρχον γένει τινὶ καθ' αὑτό. ἓν δὲ τὰ ἀξιώματα· ἀξιώματα δ' ἐστὶν ἐξ ὧν. τρίτον τὸ γένος τὸ ὑποκείμενον, οὗ τὰ πάθη καὶ τὰ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα δηλοῖ ἡ ἀπόδειξις.* I 10. 76*b* 11: *πᾶσα γὰρ ἀποδεικτικὴ ἐπιστήμη περὶ τρία ἐστίν, ὅσα τε εἶναι τίθεται (ταῦτα δ' ἐστὶ τὸ γένος, οὗ τῶν καθ' αὑτὰ παθημάτων ἐστὶ θεωρητική), καὶ τὰ κοινὰ λεγόμενα ἀξιώματα, ἐξ ὧν πρώτων ἀποδείκνυσι, καὶ τρίτον τὰ πάθη, ὧν τί σημαίνει ἕκαστον λαμβάνει.* 76*b* 21: *τρία ταῦτά ἐστι, περὶ ὅ τε δείκνυσι καὶ ἃ δείκνυσι καὶ ἐξ ὧν.* 32. 88*b* 27. — Ceterum parenthesi inclusi verba *περὶ πάντων γ. α. ἀπόδειξιν εἶναι*, secutus interpretationem Alexandri; etenim haec verba unice ad *ἀξιώματα* referuntur: statuenda esse axiomata, quia non possit omnium esse demonstratio, cf. An. post. I 3. 72*b* 5 sqq. 19 sqq. 10. 76*a* 31. 19. 82*a* 7. 22. 84*a* 31. II 19. 99*b* 22 sqq. Eth. Nic. VI 6; enunciatione autem ea, quae ab *ἀνάγκη γάρ* orditur, confirmantur tria illa, quae ad quamlibet demonstrationem requiri antea dixit. — *a*5 *τέχναι*, cf. ad *A* 1. 981*b* 24.

997*a* 11 ἀλλὰ μὴν — 15 καὶ τὸ ψεῦδος. Antithesis disputationis. Sin diversam statueris principiorum idealium cognitionem a cognitione realium, utra sit potior et sua natura prior quaeritur. Sicuti enim summa principia realia ad entia omnia spectant eorumque causae sunt, ita idealia principia communia sunt omni cognitioni omnisque scientiae causam continent. Inde et utra sit potior et cui potius quam primo philosopho hanc scientiam tribuas, dubium est.

Quaestio tertia. 997*a* 15—25.

Prima quaestione disputavit num omnia causarum genera eadem scientia cognoscerentur; iam quaerit utrum omnia genera entis ex eadem scientia suspensa sint necne. Atque eiusdem videri scientiae esse omnia cognoscere rerum genera comprobat eodem usus argumento, quo in superioribus, quoniam si ponatur non esse eiusdem, dubitatio oritura sit, in quo potissimum genere entis versetur prima philosophia, *a* 16, 17. At vicissim non videri unam esse posse omnium entis generum scientiam ea conficit ratione, quod, si hoc ponatur, inde consequens sit, ut etiam omnium accidentium, quae generibus entis per se accidant, una sit scientia; quod quum fieri non posse pro concesso sumat, inde ne illud quidem verum esse, unde profectus hoc conclusit, comprobat. Id vero diserte explicat, cur, si ponatur una ipsorum generum entis scientia, una item sit futura accidentium per se scientia. Quaelibet scientia, id quod paullo supra dictum est *a* 8, in genere quodam cognoscendo versatur, cui quae accidant investigat profecta ab axiomatis. Igitur de uno atque eodem genere accidentia contemplari unius erit scientiae, quae proficiscatur ab iisdem cognoscendi principiis, ἐκ τῶν κοινῶν δοξῶν, cf. ad 996*b* 28. Nam si unius est scientiae quid sit res cognoscere, unius etiam erit axiomata cognoscere ex quibus illa res pendeat, sive haec eadem est scientia sive diversa; unde apparet unius item fore scientiae ea cognoscere accidentia, quae rei illi propositae per se inhaereant (ὥστε καὶ τὰ συμβεβηκότα int. θεωρῆσαι μιᾶς ἔσται), sive ipsae illae doctrinae, quae in substantia rei eiusque principiis idealibus versantur, huc etiam pertinent, εἴτ' αὐταὶ θεωροῦσιν, sive haec scientia suspensa ab

illis (ἐκ τούτων) eademque ab illis diversa, at una tamen est. — Ab Alexandri explicatione hac una in re discessi, quod ille verba ἐξ ὧν contorta quadam ratione ad accidentia refert; sed intelligenda esse axiomata manifestum erit conferenti quomodo sibi respondeant singula membra enunciationum εἴπερ — δοξῶν, deinde περὶ οὖν — δοξῶν, denique περί τε — τούτων μία, ita quidem ut in singulis enunciationibus enumerentur genus, axiomata, accidentia. Schweglerus quod putat extremam disputationis partem, *a* 21 περὶ οὖν — 25 μία, manifesto ab hac quaestione alienam, pertinere ad eam quae proxime sequitur et ponendam esse post *a* 34 παγχάλεπον, ipsa, quam exhibui, interpretatione satis refutatum arbitror.

Solvitur haec quaestio distincta prima philosophia a singulis philosophiae disciplinis *E* 1.

Quaestio quarta. 997*a* 25—34.

Quod antea in medio reliquerat, substantiae et accidentium (nimirum τῶν καθ' αὑτὸ συμβεβηκότων, cf. ad *Δ* 30. 1025*a* 30) utrum eadem sit scientia an diversa, id ipsum iam in dubitationem vocat, et quorsum spectet haec dubitatio exemplo geometriae illustrat. Eadem si esse ponatur, quoniam accidentia demonstrando cognoscuntur, effici inde videtur ut demonstratione, ἀποδείξει, comprobetur etiam quid sit res (qua in ratiocinatione tecte hoc sumit, scientiam si aliqua in parte demonstrativam habeat naturam, eiusdem naturae omnibus in partibus fore); at quid sit res non posse demonstrando et concludendo cognosci et alibi demonstravit (An. post. II 3 sqq.) et hic, ubi dialectice disputat, tamquam vulgatum hominum opinione (δοκεῖ *a* 31) ponit. Sin seiunctam posueris accidentium cognitionem a cognitione substantiae, eadem oritur quae in ceteris dubitatio, cui scientiae illam tribuendam censeamus. — Haec quaestio dirimitur *Γ* 2. 1004*b* 5 sqq.

Quaestio quinta. 997*a* 34 — 998*a* 19.

Utrum praeter sensibiles substantias aliae esse censendae sint necne, et utrum unum substantiarum genus praeter sensibiles an plura, quod iam ad quaerendum proponit, non

eodem modo disputat, quo in superioribus fere usus erat, ut dialecticis rationibus eandem propositionem et affirmaret et negaret, sed maximam partem in eo acquiescit, ut sententiam a Platone ea de re propositam examinet; sive quod ipsa huius dubitationis mentione statim ducitur ad iudicium de placitis Platonicis ferendum, sive quod esse cur substantiae praeter sensibiles ponantur ex ipsa Platonicae philosophiae origine ita censet apparere, ut in ea refellenda praecipua sit opera ponenda. — Suam de his rebus sententiam Aristoteles exponit libro *Z*, *Λ* 6—10, *M* 2. 3, ubi quidem de τῷ τί ἦν εἶναι, de substantia immobili seiuncta a rebus sensibilibus, de rebus mathematicis disputat.

Ac primum quidem 997*a* 3—12 ideas statuere praeter res sensibiles (τὰς ἐν τῷ οὐρανῷ *a* 6, i. e. τὰς ἐν τῷ κόσμῳ) ea ratione, qua utuntur Platonici (λέγομεν *b* 3, cf. ad *A* 8. 989*b* 18), praeter alias (ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις *b* 4, cf. *A* 9) hanc etiam affert difficultatem, quod, si subtilius eorum sententiam excusseris, non ponunt re vera alias substantias ac sensibiles, sed ipsas sensibiles, addita hac una nota, ut sint aeternae; cf. *A* 9. 990*b* 2. *Z* 16. 1040*b* 30. *M* 9. 1086*b* 10. Hac autem ratiocinatione, si veram eam esse concesseris, apparet non effici ut non possint poni substantiae praeter sensibiles, sed ut non possint poni eum in modum, quo usi sunt Platonici.

Deinde ad alteram quaestionis partem transit, num plura praeter res sensibiles genera substantiarum statuenda sint, 997*b* 12—998*a* 19, et primum quidem Platonis de rebus mathematicis sententiam labefactat, 997*b* 12—34, deinde suam ipse refutationem in dubium vocat. Platonem quomodo res mathematicas medias inter ideas et res sensibiles statuere Aristoteles referat, supra exposui ad *A* 7. 987*b* 14. Iam eam sententiam ita refutat, ut non purae, quam aiunt, mathesis sed applicatae disciplinas ad argumentationem adhibeat. Nimirum, quemadmodum (ὁμοίως — τε *b* 14) lineae mathematicae mediae ponuntur inter ideas et sensibiles, ita idem censendum erit de reliquis rerum mathematicarum generibus. Atqui astrologia mathematica est disciplina, μία τούτων *b* 16, i. e. τῶν μαθηματικῶν ἐπιστημῶν. Ergo quae huic scientiae subiecta sunt pariter erunt media, ac lineae

mathematicae. Hoc autem fieri non potest; namque nec immobiles esse res astrologiae subiectas consentaneum est, quoniam motus in earum notione necessario inest, nec mobiles esse possunt, utpote mathematicae. Quam in hoc exemplo difficultatem parat mobilitatis notio, eandem, si pariter opticam et harmonicam disciplinam excusseris, sensibilis naturae notio afferet. Quae enim res his artibus subiectae sunt, eas et sensibiles esse oportet ex ipsa harum artium notione, et non sensibiles ex natura rerum mathematicarum. Quodsi sensibiles res et sensiones medias esse statueris, profecto etiam animalia, quae illas sentiunt, eodem loco inter ideas et res sensibiles medio statuenda erunt; id quod absurdum esse per se patet.

Ita refutata Platonicorum de rebus mathematicis sententia duo addit argumenta, quae eodem fere spectant, 997*b* 25—34. Primum si constantes sibi ipsis esse velint Platonici, non solum mathematicas res medias statuendas esse inter sensibiles et ideas, sed eandem rationem ad omnes res pertinere, quae singulis sciendi generibus subiectae sint. (*παρὰ ποῖα*, quod scripsi *b* 25 ex auctoritate Alexandri et unius codicis *E*, verum videbitur conferentibus *b* 28: *παρ' ἰατρικήν*, *b* 29: *παρ' ἑκάστην*, *b* 31: *παρὰ τὰ αἰσθητά*). Deinde ne illud quidem verum est, unde profecti res mathematicas medias esse demonstrant, geodaesiam quam dicunt versari in rebus sensibilibus ideoque seiungendam ab ea esse geometriam; non versatur enim in sensibilibus rebus, siquidem manet intereuntibus illis. — Itaque Platonicorum de rebus mathematicis sententia nec per se spectata probari potest, neque extenditur constanter ad omnes cognoscendi partes, ad quas trahenda erat, nec firmo nititur fundamento.

997*b* 34 *ἀλλὰ μὴν* — 998*b* 6 *φύσιν*. Antithesis. Quodsi quis his territus argumentis, spreto Platonis placito, disciplinas mathematicas in ipsis rebus sensibilibus versari statuerit, in difficultates incidet haud minores, quoniam eae res et eae affectiones, quales et ponit et debet ponere vel geometria vel astrologia, manifesto differunt a rebus sensibilibus. cf. *K* 1. 1059*b* 10: *οὐ γὰρ δὴ περὶ τὰ δεῦρο (πραγματεύεται ὁ μαθηματικός)· τούτων γὰρ οὐθέν ἐστιν οἷον αἱ μαθηματικαὶ ζητοῦσι τῶν ἐπιστημῶν*. Hac ratione usus Pro-

tagoras quum in perceptione sensuum omnem contineri veritatem statueret, opposuit astrologis non esse verum, quod lineam circulo contingi contenderent κατὰ στιγμήν, contingi eam potius κατὰ μῆκος.

998*a* 7 εἰσὶ δέ τινες — 19 ἀδυνατώτερον. Exstiterunt deinde qui, quum perinde ac Plato res mathematicas re ac veritate nec cogitatione solum distinguerent a rebus sensibilibus, eas tamen inesse censerent in iisdem rebus sensibilibus; qui quibus se implicent difficultatibus non est cur longius exponatur, quoniam utriusque fere generis dubitationibus eos teneri apparet; aliquot tamen manifestas, quibus implicantur, difficultates persequitur, *b* 11—19. — Eandem de rebus mathematicis sententiam Aristoteles commemorat *M* 2. 1076*a* 38—*b* 11, sed qui fuerint eius auctores tacuit. Alexander p. 700, 31 eam Pythagoreis quibusdam tribuit, eaque opinio videtur confirmari posse collato *N* 3. 1090*a* 20 sqq.; sed, si ipsa verba Aristotelis: τὰ μεταξὺ ταῦτα λεγόμενα τῶν τε εἰδῶν καὶ τῶν αἰσθητῶν diligentius excusserimus, probabilius videbitur, Platonicos fuisse qui hoc statuerent. Idem iudicare videtur Zeller Ph. d. Gr. II. p. 334, 1.

CAP. III.

Quaestio sexta. 998*a* 20—*b* 14.

Utrum genera pro principiis rerum habenda sint, an ea elementa, quae in rebus insunt. Haec quaestio ut est ei similis, de qua supra disputavit 2. 996*b* 1—25, ita similibus in utramque partem argumentis disceptatur. Primum enim ut elementa, non genera pro principiis habenda confirmet, et eas res commemorat, quae ex causa materiali videmur cognoscere, et eorum auctoritatem, qui ex elementis inhaerentibus ipsis rebus generationem rerum confecerunt, 998*a* 22—*b* 3. Deinde genera potius sibi vindicare dignitatem principiorum et inde demonstrat quod cognitio definitione concludatur, definitionum autem principia genera sint, et ad stabiliendam eam sententiam Pythagoreorum et Platonis utitur auctoritate, qui summa genera, τὸ ἕν, τὸ ὄν, τὸ μέγα καὶ μικρόν, in principiis posuerint, 998*b* 3—11. Qua in de-

monstratione quod generum nomine etiam differentias specificas contineri Alexander contendit p. 158, 25 adhibito Topicorum loco I 4. 101*b* 18, dubito num recte fecerit; continentur sane in definitione et genus primum et differentiae specificae, sed quum primum *ἐν τῇ ἀποδόσει τοῦ τί ἐστι* ponendum sit genus, cf. Top. VI 5. 142*b* 28. IV 6. 128*a* 24. An. post. II 13. 97*a* 25 sqq., recte genus principium dicitur definitionis. Neque illud prorsus probaverim, quod in altera argumentatione: *κἂν εἰ ἔστι κτλ.* ex ambiguitate vocabuli *εἶδος* paralogismum duci Alexander dicit p. 159, 7. Licet enim concedamus distingui posse *εἶδος*, quod opponatur materiae, et *εἶδος*, quod generi subiectum sit, tamen ea inter utrumque intercedit necessitudo, ut minime mera sit homonymia. Etenim illud *εἶδος*, quod materiae opponitur, sive *ἡ οὐσία ἄνευ ὕλης*, cognoscitur definitione, quae *εἶδος* altera vocabuli significatione constituit.

998*a* 23 *πρώτων* cur scribendum putem, quamquam codd. prope omnes habent *πρῶτον*, exposui in Obs. p. 52. Cf. *a* 24: *ἐξ ὧν σύγκεινται αἱ φωναὶ πᾶσαι πρώτων.* *Δ* 3. 983*b* 8: *ἐξ οὗ γίγνεται πρώτου — τοῦτο στοιχεῖον.* 8. 988*b* 35: *στοιχειωδέστατον — ἐξ οὗ γίγνονται συγκρίσει πάντα πρώτου.* *Δ* 3. 1014*a* 26: *στοιχεῖον — ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος.* *I* 1. 1052*b* 14: *στοιχεῖον — ὅτι ἔστι τι ἐκ τούτου ὡς πρώτου ἐνυπάρχοντος.* Waitz ad An. post. I 2. 71*b* 16 lectionem codd. *πρῶτον* h. l. defendit: esse enim *πρῶτον* idem atque *αἴτιον* vel *ἀρχή*. Hoc quamquam verissimum est, tamen non ad vulgatam lectionem, sed ad emendationem confirmandam potest referri; nimirum elementum, ex quo quid fit, est *αἴτιον* sive *ἀρχή*, non id, quod ex illo generatur, igitur: *ἐξ οὗ πρώτου γίγνεται.* — Distinguendi ab his locis quos attuli et similibus plurimis sunt ii, ubi pro *ἐξ οὗ* Aristoteles scripsit *ὅθεν*, veluti *Δ* 1. 1013*a* 4, 7; ad *ὅθεν* enim non potest addi genitivus *πρώτου* vel *πρώτων*, sed addendum est adv. *πρῶτον*.

998*a* 25 *τῶν διαγραμμάτων.* Voc. *διάγραμμα* quum proprie descriptionem geometricam significet, cf. Plat. Phaed. 73 b, ab Aristotele saepius ita usurpatur, ut simul propositionem vel demonstrationem complectatur, *Δ* 3. 1014*a* 35: *τὰ τῶν διαγραμμάτων στοιχεῖα λέγεται καὶ ὅλως τὰ τῶν*

ἀποδείξεων. cf. *Θ* 9. 1051*a* 22. An. pr. I 24. 41*b* 14. Soph. el. 16. 175*a* 27.

998*b* 4 *αἱ ἀρχαί*. De retinendo articulo, quem omittendum suaseram Obs. p. 52, expositum est ad l. 995*b* 27.

998*b* 11 *ἀλλὰ μὴν* — 13 *ἐνυπαρχόντων*. Hanc de principiorum natura dubitationem non ita posse evitari, ut simul et genus et elementa in principiis ponantur, eo comprobat, quod rei cuiuslibet unam oporteat esse definitionem, quae substantiam exprimat. cf. Top. VI 4. 141*a* 31—*b* 2. Alia tamen ratione, prouti vel formam solam, vel coniunctam cum forma materiam descripseris, plures esse posse eiusdem rei definitiones exponitur *H* 2. 1043*a* 14 sqq. — Universam hanc quaestionem non diserte quidem Aristoteles pertractat, sed eam haud scio an solvisse tamen sibi visus sit, ubi de genere num pro substantia habendum sit, *Z* 13, et omnino de τῷ *τί ἦν εἶναι* eiusque cum materia et coniunctione et discrimine disputat, libris *ZH*.

Quaestio septima. 998*b* 14 — 999*a* 23.

Si pro concesso sumatur genera esse ponenda tamquam principia rerum, quaeritur quae genera ponenda sint, utrum summa et maxime universalia, an ea quae proxime de rebus singularibus praedicantur et suo nomine *εἴδη* vocantur.

Thesis 998*b* 14—999*a* 1. Si propterea genera in principiis ponuntur, quod maxime sunt universalia, summa potissimum genera poni consentaneum est. Inde facile pervenitur ad sententiam eorum, qui *τὸ ὄν* et *τὸ ἕν*, quoniam maxime universaliter omnibus rebus tribuuntur, principia et substantias esse statuerunt. At ens et unum non possunt pro generibus rerum haberi. Nimirum si diviso aliquo genere per differentias specificas in suas species, illas differentias per se spectaveris, de iis nec species praedicari potest nec genus, quoniam differentia, adscita nimirum ex alio genere atque id est genus, ad quod dividendum adhibetur, et specie et genere latius potest patere, cf. Top. VI 6. 144*a* 32—*b* 11. (In verbis: *τὸ γένος ἄνευ τῶν αὐτοῦ εἰδῶν* *b* 25 repetendum est ex antecedentibus: *ἐπὶ τῶν οἰκείων διαφορῶν*, genus non praedicatur de suis differentiis, si hae differentiae per se spectentur, seiunctae ab iis, quae inde effi-

ciuntur, speciebus; cf. Alex. p. 161, 7: *οὐδὲ τὰ γένη κατηγορεῖται τῶν οἰκείων διαφορῶν, ὅταν αἱ διαφοραὶ τῶν εἰδῶν λαμβάνωνται καὶ μὴ ἐν αὐταῖς τὰ εἴδη περιέχωνται.*) Iam si entium genera dividimus, quaelibet differentia specifica, adscita in hac divisione, et ens est et unum quidpiam. Ergo id, quod tamquam genus positum erat, praedicandum esset de eiusdem differentiis; quod quoniam fieri non potest, sequitur ut ens et unum non sint rerum genera. cf. eandem argumentationem *K* 1. 1059*b* 31. *Λ* 4. 1070*b* 7. Top. IV 1. 121*a* 16. 6. 127*a* 28. Trendel. Kateg. p. 67. Sed propter id ipsum, quod ens et unum omnino non esse genera comprobatur, demonstratum nondum est, non esse ea, quae vere sint summa genera, pro principiis habenda. Huc pertinere videtur altera ratiocinatio, *b*28 *ἔτι καὶ* — 999*a* 1. Etenim si genera summa in principiis ponuntur, quoniam, quae inde complectendis generibus et differentiis exsistunt, ea et ipsa genera sunt, licet non omnia pro generibus habeantur (*νῦν δὲ τὰ μὲν δοκεῖ, τὰ δ' οὐ δοκεῖ* *b*30, cf. Alex. p. 162, 23 sqq.), consequens erit ex eadem ratione, ut haec etiam genera inter principia referantur, hisque novis generibus magis etiam, utpote quae his magis universales sint, ipsae differentiae (*b*30 *ἔτι μᾶλλον* sc. *τῶν μεταξὺ συλλαμβανομένων*) pro principiis sint habendae. Ita vero, si a summis generibus ordiamur, *ἄλλως τε κἂν τις τὸ πρῶτον γένος ἀρχὴν τιθῇ* *b*32, immensus evadet et generum et proinde principiorum numerus. — *b*29 *μέχρι τῶν ἀτόμων* i. e. *μέχρι τῶν ἐσχάτων εἰδῶν, ἃ οὐκέτι διαφοραῖς διαιρεῖται.* cf. Alex. p. 163, 3.

Antithesis 999*a* 1—14. — In thesi huius disputationis inde profectus ut principium maxime universale esse sumat, iam ad antithesin demonstrandam ab aliis orditur notionibus, quibus contineri naturam principii consentaneum sit. Ac primum quidem principii id suapte natura proprium esse dicit, ut sit unum, simplex, individuum. Iam vero unitatis et individuae naturae quod duo distinguit genera, *ἀδιαίρετον ἢ κατὰ τὸ ποσὸν ἢ κατὰ τὸ εἶδος* 999*a* 2, ea genera, non sunt confundenda cum iis, quae alibi saepissime inter se opponuntur, *ἐν τῷ ἀριθμῷ* et *ἐν τῷ εἴδει*, veluti *Δ* 6. 1016*b* 31. 8. 1018*a* 13, id quod Alexandro videtur accidisse. Etenim

ἓν τῷ εἴδει duae pluresve dicuntur res, quae sub unam et eandem speciem cadunt, ἓν κατὰ τὸ εἶδος ea est species, quae non ipsa iterum in species dividitur. Unde apparet cur aliter in utraque unitatum distinctione dignitas definiatur; nimirum ἓν τῷ ἀριθμῷ perfectiorem significat unitatem, quam ἓν τῷ εἴδει, ita quidem ut illa hanc et reliquas unitates simul complectatur. In ea autem distinctione, quae hoc loco instituitur, ut distinguantur ἀδιαίρετον κατὰ τὸ ποσόν et κατὰ τὸ εἶδος, huic maiorem tribui dignitatem consentaneum est, quoniam εἶδος formam rei constituit, per quam id est quod est, ποσόν vero ad materiam prope accedit. — Hanc igitur distinctionem τοῦ ἀδιαιρέτου adhibet ad aestimanda genera summa et species ultimas; illae dividuntur in species, hae, licet dici possint dividi in res singulas, tamen non dividuntur in species (οὐ γάρ ἐστι γένος ὁ ἄνθρωπος τῶν τινῶν ἀνθρώπων *b* 5); ergo proximae species potius quam summa genera eam habent unitatem, quam requirere videtur principii natura.

Accedit aliud argumentum, *a* 6—14, ex quo speciebus potius quam generibus principii dignitatem assignandam esse appareat. Sunt quaedam species ita inter se coniunctae et continuae, ut proxima quaeque a superiore pendeat et suum quaeque in serie definita locum habeat. Haec est numerorum, haec figurarum geometricarum ratio. Singulorum enim numerorum, veluti dyadis triadis tetradis, natura eo continetur quod vel anteponuntur vel postponuntur certis quibusdam aliis; similis puncti lineae plani corporis, trianguli quadranguli rel. inter se ratio. Iam nihil quidem obstat quominus singulas numeri species uno numeri genere complectamur; sed si quis huius generis, numeri dico, notionem cogitare vel definire susceperit, descendere eum oportebit ad ipsam singulorum numerorum seriem, neque quidquam habebit quod quasi abstractum e singulis speciebus pro communi genere ponat, οὐκ ἔσται τις ἀριθμὸς (int. ὡς γένος) παρὰ τὰ εἴδη τῶν ἀριθμῶν *b* 8; ac perinde vanum est et inane, si quis universalem figurae notionem seiunxerit a singulis figurarum speciebus. Ergo et in numeris et in figuris mathematicis non summum genus, numerus vel figura, sed ultimae species, veluti dyas trias triangulum quadran-

gulum; quae de rebus individuis praedicantur nec amplius per species dividuntur, seorsim poni et pro principiis haberi possunt. — Haec ratiocinatio ipsa quidem per se non pertinet nisi ad eas notiones vel species, quae serie quadam continentur et ex ea suam quaeque naturam et definitionem repetunt. Extenditur tamen ita, ut ad omnia paene genera referri posse videatur; nimirum quum in rebus mathematicis maxime philosophi summis generibus exsistentiam tribuerint, si in his generibus refutati sunt, multo minorem in aliis fidem habebunt. Deinde quoniam iis generibus abiudicata est principii dignitas, quorum species habent *τὸ πρότερον καὶ ὕστερον*, quum unus quidam modus *τοῦ πρότερον καὶ ὕστερον*, nimirum *τὸ βέλτιον καὶ χεῖρον* (cf. Cat. 12. 14b. 4) in omnibus fere cernatur speciebus, ut alia eiusdem generis species melior sit, alia deterior, cf. Alex. 165, 14, propterea etiam ad omnia genera eadem illa argumentatio videbitur referenda esse.

Exhibui eam huius loci explicationem quae simplicissima mihi videtur, quamquam non ignoro longe doctiorem et subtiliorem propositam esse a Zellero Ph. d. Gr. II. p. 211 sqq. Is enim, nisus iis Metaphysicorum locis quibus per formulam: *ἔχειν τὸ πρότερον καὶ ὕστερον* numerorum idealium, utpote *ἀσυμβλήτων*, natura a numeris mathematicis et *συμβλητοῖς* distinguitur, cf. ad *M* 6, hoc etiam loco verbis: *ἐν οἷς τὸ πρότερον καὶ ὕστερόν ἐστι* numeros ideales, quales Plato posuit, significari putat. Sed haec interpretatio quamvis commendari videatur et iis locis quos contulimus ad *M* 6 et praecipue Eth. Nic. I 4. 1096a 17, tamen ab universa hac ratiocinatione adeo aliena est, ut Zelleri iudicium comprobare nequeam. Non ponunt, ait Zeller, praeter numeros ideales Platonici ideas, propterea quia ipsi illi numeri sunt ideae. At si propter hanc causam negantur ideae praeter numeros esse, quomodo tandem id argumentum ad reliquos species et reliqua genera extendere potest, *εἰ δὲ μὴ τούτων* (int. *τῶν ἀριθμῶν ἢ τῶν σχημάτων*), *σχολῇ τῶν γε ἄλλων ἔσται τὰ γένη παρὰ τὰ εἴδη*. Nimirum vel levissimum similitudinis vestigium, propter quod latius extendere argumentationem liceat, evanescit, si de numeris idealibus verba illa: *ἐν οἷς τὸ πρ. κ. ὕστ.* intellexeris. — Zelleri interpretationem probavit Schw. ad h. l.

999*a* 14 πάλιν δὲ — 23 γένη. Probata antithesi revertitur Aristoteles ad confirmandam thesin, eodem usus argumento ac supra 998*b* 17, ut ex universali generum natura dignitatem principii repetat.

Ceterum haec quaestio eadem de τῷ τί ἦν εἶναι et de genere disputatione libri *Z* solvitur, qua proximae superiores.

CAP. IV.

Quaestio octava. 999*a* 24 — *b* 24.

Quod iam quaerit num quid sit praeter res singulas necne, id tam arte cohaeret cum quaestione quinta, qua indagatum est, utrum unice sensibile rerum genus exstet an aliud vel alia substantiarum genera praeterea ponenda sint, ut utraque eodem redire videatur. Ac sane re non multum differunt, differunt autem quaerendi atque investigandi ratione. Illa enim quaestio originem duxit e placitis superiorum philosophorum: rerum genera alii philosophi alia statuerant, alii acquieverant in sensibili rerum genere, alii ideale et mathematicum addiderant; horum utri rectius statuerint quaerendum est, quae quaestio ut est orta ex placitorum veterum comparatione, ita haeret in iis examinandis. Quae autem hoc loco agitur quaestio, ea repetita est ex ipsa rerum natura; esse enim sensibiles res per se manifestum est; sed harum rerum sive cognitio sive ipsa exsistentia num aliud quid praeter ipsas ut re ac veritate esse ponatur requirat necne, iam disputat. Atque hac quidem in disputatione non in aestimanda idearum doctrina acquiescit, sed ad materiam et formam quaestionem deducit, neque eo procedit ordine, ut primum confirmet deinde refutet, sed aliquanto perplexius a confirmando ad refutandum ac vicissim transit.

Ac primum quidem, *a* 24—29, sensibiles res quoniam sunt infinitae, infinitum autem cogitando comprehendi nequit, cf. α 2. 994*b* 30, effici videtur, si illas cognosci volumus, ut sit aliquid praeter eas. Aristotelis de hac quaestione iudicium repeti potest ex An. post. I 11. 77*a* 5: εἴδη μὲν οὖν εἶναι ἢ ἕν τι παρὰ τὰ πολλὰ οὐκ ἀνάγκη, εἰ ἀπόδειξις ἔσται, εἶναι μέντοι ἓν κατὰ πολλῶν ἀληθὲς εἰπεῖν ἀνάγκη. — Ceterum apodosis enunciati quum ordienda sit a τῶν δ' ἀπείρων, particulam δ' retinendam esse non possum mihi

persuadere, siquidem quod vulgo Aristotelem liberius particulam δέ in apodosi adhibuisse existimant (Waitz ad Org. I. p. 335, cf. quae exposui Jen. N. Lz. 1845. Sept. p. 859) temere statuitur; vel omittenda erit, vel mutanda in γε.

999a 29 ἀλλὰ μὴν — 32 διηπορήσαμεν. Sin hac ducti ratione esse aliquid ponimus praeter res singulas, in superiorem recidimus difficultatem, quod nec summa genera nec proximas species esse praeter res singulas consentaneum est. — Verba: ἀναγκαῖον ἂν εἴη — καθ' ἕκαστα exhibent editt. Ald. Sylb. et Bessario, omittunt Brand. et Bekk. codices ut videntur omnes secuti. Tamen dubitavi eorum iudicio adstipulari; etenim haec verba si omiseris, nec proxima: ἤτοι τὰ ἔσχατα ἢ τὰ πρῶτα habent quo recte referantur, neque a verbis καὶ δεῖ apte videtur apodosis ordiri. Accedit quod et Asclepius haec verba in textu Aristotelis habuit, cf. Schol. p. 623b 17, et Alexander eadem videtur interpretando exprimere p. 166, 12.

999a 33 ἔτι εἰ ὅτι — b24 ταῦτα. Iam eandem quaestionem alia disceptat ratione. εἰ ὅτι μάλιστα ἔστι τι παρὰ τὸ σύνολον. Vocabulo τὸ σύνολον sive ἡ σύνολος οὐσία Aristoteles substantiam significat ex materia et forma constantem, quam nostrates philosophi concretam dicere consueverunt, Z 11. 1037a 29: ἡ οὐσία γάρ ἐστι τὸ εἶδος τὸ ἐνόν, ἐξ οὗ καὶ τῆς ὕλης ἡ σύνολος λέγεται οὐσία. Inde fit, ut τὸ σύνολον saepe opponatur notionibus εἶδος, μορφή, λόγος, οὐσία, Z 15. 1039b 20 sqq. M 2. 1077b 8 sqq. Z 3. 1029a 5. 10. 1035a 6, 21. b22. K 2. 1060b 24. Eandem coniunctionem materiae cum forma h. l. a33 significat quum dicit: ὅταν κατηγορηθῇ τι (int. τὸ εἶδος) τῆς ὕλης. — Praeter has igitur concretas substantias si quid ponatur re ac veritate esse, quaeritur num praeter omnes sit ponendum, an praeter aliquas, an praeter nullas. Ac primum quidem fieri non posse demonstrat, ut nihil esse ponatur praeter concretas substantias, b1—16, deinde exponit in quas incidamus difficultates, si praeter aliquas substantias concretas formam per se exsistere posuerimus, b17—20. Si nihil, ait, esse ponatur praeter res concretas et sensibiles, nec cognitio erit, nisi quis sensuum perceptionem pro cognitione habere sustinuerit, cf. An. post. I 31, nec quidquam omnino

sempiterni, sed sensibilia et mutabilia omnia. At si sempiternum nihil est, ne ipsa quidem generatio et mutatio locum habere potest, quoniam generatio neque ex infinito orditur neque in infinitum progreditur, sed generationis quasi flumen certis et suis limitibus includendum est. Primum enim, *b* 6—8, ut sit generatio, esse oportet ex quo quid fiat (cf. *Z* 8. *Λ* 1. 1069*b* 3. al.), et extremam quidem materiam, ex qua omnia fiant, aeternam esse oportet, *εἴπερ ἵσταται* int. *ἡ ἄλλου ἐξ ἄλλου γένεσις* (cf. similem in eadem formula ellipsin 1000*b* 28. *Λ* 3. 1070*a* 2, 4, Zell ad Eth. N. p. 7), h. e. siquidem constat non posse in infinitum recedere generandi principium, cf. *α* 2. 994*b* 6. *Λ* 10. 1075*b* 26, *καὶ ἐκ μὴ ὄντος γίγνεσθαι ἀδύνατον*, cf. *Z* 7. 1032*b* 30. — Deinde, *b* 8—12, generationis cuiusvis et motus finem oportet statui. Nam si in infinitum progredi ponimus mutationem, numquam res ulla esse potest, quia tum est quum primum facta est, *ὅτε πρῶτον γέγονεν* *b* 12, i. e. ubi mutatio suum est finem assecuta; quod autem non potest factum esse, id ne fieri quidem potest. Generationem igitur ipsam tollit, quicunque fixum negat generationis finem. (Alexander, quem sequitur Schw., supplendum putat: *οὗ ἔστι πέρας, τούτου ἀνάγκη καὶ ἀρχὴν εἶναι* p. 169, 2, ut hoc etiam argumentum ad demonstrandam materiae aeternitatem pertineat. Facilius ita ad proximum argumentum transiri non nego, sed non videntur ea omitti potuisse, in quibus esset ipsa ratiocinationis vis, neque ubi plura argumenta per voc. *ἔτι δ'* adnectit, in eorum coniunctione Aristoteles ubique satis diligens est.) — Quodsi materiae aeternitatem tribuendam esse apparuit, *b* 12—16, multo nimirum magis consentaneum est, esse eam formam, quam materia induit, *ἔτι μᾶλλον εὔλογον εἶναι τὴν οὐσίαν* (i. e. *τὸ εἶδος*) *ὅ ποτε ἐκείνη* (int. *ἡ ὕλη*) *γίγνεται*. (Quod *ὅ ποτε* scripsi ex Alex. p. 170, 2 et cod. *E*, ipsa sententiae ratione satis erit commendatum. Quum enim, quidquid fit, id fiat *ὑπό τινος* et *ἔκ τινος* et *τί*, *Z* 8, si *τὸ ἔκ τινος* i. e. materia esse statuenda est, magis etiam consentaneum est ponendum esse *τὸ τί* i. e. *τὸ εἶδος*. De genere neutro *ὅ* liberius usurpato cf. Waitz ad Org. I 4*b* 4. 48*b* 34. — *ὅ ποτε*, cf. Top. VI 8. 146*b* 8.)

Inde si est verisimile, non posse nihil poni praeter res

sensibiles, si quis praeter aliquas ex iis formam per se exsistere posuerit — quod erat alterum divisionis membrum *a* 34 —, difficile est dictu, quae sint res eligendae. Neque enim in omnibus hoc admitti posse apparet, cf. ad *A* 9. 991*b* 6 sqq. Ita quum simul tertiam absolverit divisionis partem, num praeter omnes res ponendae sint earum formae, duas addit difficultates, quibus implicemur sive praeter omnes sive praeter aliquas res sensibiles formas absolute et per se esse statuerimus, *b* 20—24. Quaeritur enim, num omnium, quae sub eadem continentur forma et specie, eadem sit substantia, denique si seorsim esse ponantur et materia et forma, qui fiat ut coeant secum et rem concretam constituant.

Quaestio nona. 999*b* 24—1000*a* 4.

Principia singula quaeque quaeritur num unitatem habeant numeralem an unitatem formae et speciei. Quomodo distinguantur inter se ἓν ἀριθμῷ et ἓν εἴδει expositum legimus *Δ* 6. 1016*b* 31 sqq. Ac primum quidem principium quodvis unum numero videtur statuendum esse, quia ita demum res ex principiis deductae, quae non maiorem nec superiorem ipsis principiis habere possunt unitatem, unitatem numeralem possunt habere; deinde quia sublata principiorum unitate numerali tollitur cognitio; cognoscuntur enim eae res, quae eadem continentur notione, per unitatem speciei, quae si et ipsa esset non numeri, sed iterum speciei unitas, in infinitum esset progrediendum et proinde omnis sublata cognitio. Contra si numero una esse statuuntur principia, non potest inde rerum maior repeti numerus, quam qui est ipsorum principiorum. Numeralem igitur ut comprobet principiorum unitatem, e natura principiorum idealium argumentatur, ad formalem autem unitatem demonstrandam natura materialium principiorum utitur. Ad illustrandam et solvendam hanc quaestionem cf. 6. 1002*b* 12—32. *M* 10, ubi eodem syllabae exemplo utitur Aristoteles uberius exposito.

999*b* 34 οὕτω γὰρ λέγομεν τὸ καθ' ἕκαστον τὸ ἀριθμῷ ἕν. Schwegl. post ἕκαστον addi vult ὡς, sed non opus est coniectura. Appositionis instar inter se coniuncta sunt οὕτω et τὸ ἀριθμῷ ἕν, ut hoc dicat Aristoteles: hac

enim vi usurpamus formulam τὸ καθ' ἕκαστον ut idem significet ac τὸ ἀριθμῷ ἕν.

1000*a* 1 ὥσπερ οὖν — 4 πλειόνων. Apodosis huius enunciati quum desideretur, Alexander satis habet adnotasse, omisisse eam Aristotelem, ut quae facile cogitando adiici possit, p. 173, 25. Sed ut multum tribuamus Aristotelicae scribendi negligentiae, tamen probabile non est, eum exorsum enunciationem a particula οὖν, qua concludi quid significetur, id ipsum quod concludendum erat omisisse. Longe similius vero videbitur, librariorum errore οὖν scriptum esse pro ἄν, et parenthesi inclusis verbis τὸ γὰρ ἀριθμῷ ἕν — τὸ ἐπὶ τούτων, extremam hanc enunciationem coniungendam esse cum verbis superioribus: οὐκ ἔσται παρὰ τὰ στοιχεῖα οὐθὲν ἕτερον (τὸ γὰρ ἀριθμῷ — ἐπὶ τούτων), ὥσπερ ἂν εἰ τὰ τῆς φωνῆς ἀριθμῷ ἦν στοιχεῖα ὡρισμένα, ἀναγκαῖον ἦν κτλ. — Schweglerus ad h. l. vulgatam lectionem probat eamque tuetur allato alio loco Aristotelico An. pr. I 15. 34*a* 22. Sed vereor ut hic locus recte possit comparari. Ibi enim in apodosi non id ponitur, quod pro exemplo adhibetur, sed id ipsum quod concludit philosophus, et ὥσπερ nihil videtur aliud significare nisi «exempli gratia». cf. Waitz ad h. l.

Quaestio decima. 1000*a* 5 — 1001*a* 3.

Corruptibilium rerum et aeternarum quaeritur num eadem sint principia an diversa. Eadem si posueris esse principia, non videtur explicari posse, qui fiat ut, quae ex iisdem principiis exorta sint, partim subiecta sint interitui partim exemta. Cuius difficultatis si quis a veteribus theologis petiverit solutionem, illi re vera occuluerunt fabularum involucris, non solverunt quaestionem, *a*9—18. Empedocles autem quod ex iisdem principiis aeternis omnia orta et omnia pariter corruptibilia esse statuit, hac quidem in re sibi ipsi constat, sed quae de generandi intereundique ratione disputat, ea multis modis inter se repugnant, *a*19—*b*22. Inde si ad alteram cogimur hypothesin, ut diversa esse statuamus diversorum rerum generum principia, *b*23, tum quaeritur, utrum corruptibilia an aeterna ponenda sint rerum corruptibilium principia; illud si probaverimus, principiorum denuo principia erunt quaerenda; hoc si placet, explicari

non potest, cur ex principiis pariter aeternis modo aeternae res gignantur modo fluxae et intereuntes, *b*23—1001*a* 3. — Solvisse sibi videtur hanc quaestionem Aristoteles ea disputatione, quae continetur libro *Λ*, cf. *Λ* 10. 1075*b* 13. de coelo III 7. 306*a* 9.

1000*a* 9 πάντες ὅσοι θεολόγοι. Theologos quos dicat infra ipse significat, quum eosdem appellat τοὺς μυθικῶς σοφιζομένους. Ii igitur Aristoteli sunt theologi, qui antiquissimis temporibus ante exortam ipsam philosophiam carminibus exposuerant quae de rerum natura sentirent, et deorum numina immiscentes rerum naturalium cognitioni fabularum involucris usi erant, non notionibus et ratiocinationibus. Eandem huius vocabuli vim cognosces *Λ* 6. 1071*b* 27. 10. 1075*b* 26. *N* 4. 1091*a* 34 (cf. ad h. l.). Meteor. II 1. 353*a* 35. cf. Ideler Met. II. p. 582.

1000*a* 15 ὑπὲρ ἡμᾶς i. e. supra intelligentiam nostram. cf. Eth. N. I 2. 1095*a* 25: τοὺς μέγα τι καὶ ὑπὲρ αὐτοὺς λέγοντας θαυμάζουσι. Exempla eius locutionis collegerunt Heind. et Stallb. ad Plat. Parm. 128 b.

1000*a* 26 Ἐμπεδοκλῆς — ταὐτὸν πέπονθεν. Non ita aequatur Empedocles iis, qui sine idonea ratione et contra omnem veritatis speciem ex iisdem principiis fluxa et aeterna deduxerunt, ut et ipse diversa haec genera ex eodem fonte repetiisse dicatur, sed ita tantum ut in ea, quam sibi effinxit, rerum generatione nec rationibus idoneis usus esse neque accessisse ad id quod consentaneum sit censeatur. Quum enim intereundi causam esse ponat rixam, tamen eandem adhibere debet ad generandas omnes res ἔξω τοῦ ἑνός, *a* 28, i. e. praeter sphaerum sive indiscretam illam quatuor elementorum mistionem, quam etiam deum appellat, *a* 29 (cf. Brandis Gesch. I. p. 207 *c*. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 179, 3. 180, 1); ac similiter amor non magis generandi quam intereundi est auctor, *a* 26—*b* 12. Accedit quod alternum ex unitate ad multitudinem transitum non ex certa causa, sed ex obscura quadam necessitate repetit, *b* 12—17.

1000*a* 29 ἐξ ὧν πάνθ' — ὀπίσσω. Videtur Aristoteles versus Empedocleos e memoria attulisse et in primo verba paullum immutasse. Ex Simplicio ad Phys. p. 7*b*, 34*a* editores alii aliter ipsa Empedoclis verba restituerunt, ex

τούτων γὰρ πάντ' ἦν, ὅσσα τέ ἐστι καὶ ἔσται Sturz v. 76, melius Panzerbieter (Beiträge zur Kr. u. Erk. d. Emp. p. 19) *ἐκ τούτων γὰρ πάνθ', ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἔστι καὶ ἔσται.* — Cf. de mundo 6. 399*b* 26.

1000*b* 2 *ἔσχατον ἵστατο νεῖκος.* Emped. 29. St.: *τῶν δὲ συνερχομένων ἐξ ἔσχατον ἵστατο νεῖκος.*

1000*b* 3 *διὸ καὶ — 9 λυγρῷ.* Ab ipsa, quae nunc agitur, quaestione alienum esse quod his verbis ex placitis Empedocleis concludit (*συμβαίνει* *b* 3, cf. ad *A* 8. 989*a* 21) ad eadem evertenda, Aristoteles ipse significat *b* 9 *ἀλλ' ὅθεν δὴ ὁ λόγος κτλ.* Idem contra Empedoclem monet de an I 4. 410*b* 4, cf. Trend. ad h. l. Deus sive sphaerus (cf. ad *a* 29) quum expers sit contentionis, similia autem cognoscantur similibus (de an. I 2. 404*b* 17. 405*a* 27, *b* 15. 5. 409*b* 26. 410*a* 24), licet elementa omnia et amicitiam, quae ipsi insunt, cognoscat, contentionem non potest cognoscere, atque hac ratione *ἀφρονέστερος* est reliquis rebus, quae compositae ex sex principiis eadem omnia possunt cognoscere; nec vero altiore quodam cognitionis genere rebus fluxis praestare potest, quum cognitio suspensa sit ex elementis in eadem re coniunctis.

1000*b* 6 *γαίῃ μὲν γὰρ κτλ.* Emped. v. 318 sqq. St. de an. I 2. 404*b* 13, Trend. ad h. l.

1000*b* 14 *ἀλλ' ὅτε δὴ — 16 ὅρκου.* Certo ac definito temporis decursu ex Empedoclis sententia vicissim amor et contentio summum tenent omnium rerum imperium. Huius vicissitudinis nullam causam affert Empedocles sed necessario hoc ita fieri affirmat, et illud *ἀνάγκης χρῆμα* obsignatum dicit validissimis sacramentis, *πλατέεσσι κατεσφρηγισμένον ὅρκοις*, v. 123 St. Iam his versibus, quos Aristoteles adhibet, restitutum describitur imperium contentionis, quae in extremis posita sphaeri finibus, sese insinuat in membra et artus sphaeri ibique vires suas auget (*μέγα ἐθρέφθη ἐν μελέεσσι*), delapso eo tempore, *ὅς σφιν ἀμοιβαῖος πλατέος παρελήλαται ὅρκου.* Haec verba Panzerbieter l. l. p. 28 ita explicat: *der Gen. ὅρκου ist abhängig von ἀμοιβαῖος, abwechselnd mit dem Eide, dem Bunde, indem die Zeit bald mit dem Streite, bald mit der Freundschaft gleichsam im Bunde ist. παρελήλαται, die als Grenzlinie vorgezogen ist,*

die sie nicht überschreiten dürfen, die ihnen bestimmt ist für ihre Herrschaft. Sed ad ἀμοιβαῖος qui addatur genitivus videtur non id posse significare, unde omnis haec vicissitudo suspensa est, verum potius id, quocum aliquid habet vicissitudinem. Quare magis probaverim quod Sturz et Zeller (Ph. d. Gr. I. p. 177) παρ a verbo seiunxerunt, πάρ' ἐλήλαται ὅρκου, i. e. delapso eo tempore, quod iis (amori et contentioni) a valido sacramenti numine quasi ductum, h. e. definitum est. χρόνον ἐλαύνειν ad eundem fere modum dictum videtur ac τάφρον ἐλαύνειν.

1000*b* 27 τοῦτο δ' ἀδύνατον — εἰς ἄπειρον. Sive progressus causarum aliquando finitur, non ea potest pro principio haberi, quae ipsa pendet ex aliis, sed ea, ex qua pendent reliquae; sive statuitur progressus infinitus, principii vis ac natura omnino tollitur, cf. *α* 2.

1000*b* 29 εἰ αἱ ἀρχαὶ ἀναιρεθήσονται. Tolluntur nimirum principia, ut demonstratum est in proximis, si principia ponantur fluxa et intereuntia.

1001*a* 2 τὸ πρῶτον ἀπορηθὲν ἀποτρώγουσιν. Qua significatione v. ἀποτρώγειν huc translatum sit, non satis apertum est neque Alexander ad h. l. dilucide explicuit. Sed quod Schwegl. comparavit verbum vernaculum *hinunterschlucken*, id nec cum ipsa verbi ἀποτρώγειν vi nec cum proximis verbis ὡς μικρόν τι λαμβάνοντες videtur consentire. Equidem potius significari putem abrodere sive delibare, id est autem obiter tangere, non penitus solvere quaestionem, quippe quam praecipua opera indignam existimaverint.

Quaestio undecima. 1001*a* 4 — *b* 25.

Unum et ens utrum substantiae sint an praedicentur de aliis substantiis, et difficillimum ait esse et gravissimum ad iudicandum: difficillimum quidem, quia quaestio versetur in notionibus maxime universalibus et a perceptione sensuum remotissimis; gravissimum, quia dirimenda sit summorum philosophorum dissensio et constituenda sint primae philosophiae principia. Ab illa enim parte Plato et Pythagorei stant, *A* 5. 987*a* 15 sqq., cf. Phys. III 4. 203*a* 16, ab hac physiologi omnes, *a* 4 — 19. Iam si negamus unum et ens pro

substantiis esse habenda, inde efficitur ut, quum substantiae dignitate ea privata sint, quae maxime sunt universalia, ne aliud quidem universale quidquam praeter res singulas ponendum sit, nec numerus separata sit et per se exsistens substantia, *a* 19—27. Sin autem ponimus substantias esse, qui fieri possit ut aliud sit ens vel unum praeter illud, dubium est, et ne ita quidem videtur numerus esse posse, *a* 27—*b* 6. Accedunt aliae dubitationes: Zenonis enim placita si sequimur, ne ipsum quidem ens videtur esse posse; Pythagoreorum et Platonis sententias si indagamus, quomodo ex hoc principio vel numeri vel lineae plana corpora deducantur, difficile est dicere, *b* 7—25. — Dialectice disputare Aristotelem hac maxime in quaestione probe est tenendum; quod enim de numerorum exsistentia dicit et quae ea cum re coniuncta sunt, ea non ex veritate rei neque ex sua ipsius sententia ratiocinatur, sed ex sententia eorum, quorum placita examinat. Ad solvendam ex Aristotelis sententia quaestionem cf. *Γ* 2. *I* 2 et ad *B* 3. 998*b* 22.

1001*a* 11 *ὡς οὔσης τῆς οὐσίας αὐτὸ τὸ ἓν εἶναι καὶ ὄν τι.* Duplex inest in his verbis difficultas; primum enim perturbata est grammatica verborum conformatio, quia neque accusativus *αὐτὸ τὸ εἶναι* construi potest cum verbis *ὡς οὔσης τῆς οὐσίας*, neque ipsa haec verba ita possunt per parenthesin accipi, ut accusativus *αὐτὸ τό* coniungatur cum verbis *τὴν φύσιν εἶναι.* Deinde pronomen indefinitum *τι* offendit, *ὄν τι*, quod quum frequentet Aristoteles ad significandas res singulas opposita universali earum notione (cf. ad *Γ* 2. 1003*b* 33), aptum illud quidem erit in describenda physicorum sententia, qui singulare quidpiam posuerunt ac de eo unitatis et essentiae notionem praedicarunt, repugnat autem Platonicis ac Pythagoreis placitis. His ut mederer difficultatibus scribendum proposui Obs. p. 42: *ὡς οὔσης τῆς οὐσίας αὐτοῦ τοῦ ἑνὶ εἶναι καὶ ὄντι*, quamquam ne eam quidem scripturam prorsus sufficere libenter confiteor.

1001*a* 13 *ὅ τι* pronomen interrogandi esse, nec coniunctim esse scribendum cum editoribus praeter Brandisium omnibus ut pro coniunctione habeatur, docui Obs. p. 40 sq. Propterea enim Empedocles sententiam proposuisse iudicatur

cognitu faciliorem (*ὡς εἰς γνωριμώτερον ἀνάγων*, cf. *Z* 16. 1040*b* 20), non quod ipsum unum dixerit esse ens vel substantiam, quae est Platonis et Pythagoreorum sententia, sed quod significavit quid sit illud substratum, de quo praedicetur ens, *ὑποτιθεὶς τὴν φιλίαν*, ut ait Alexander p. 179, 22. — Praeterea magnopere dubito, an omittendum sit participium *ὄν*, quod si genuinum sit, ita videtur construendum: *ὅ τι ὂν τὸ ἓν ἔστιν*, quam constructionem et contortam esse apparet et sensum efficere parum aptum; neque enim id quaeritur, num s i t ens, sed q u i d sit.

1001*a* 21 *ταῦτα γάρ* — 22 *πάντων*. cf. 3. 998*b* 21. — *a* 26 *ὅπερ*, cf. ad *Γ* 2. 1003*b* 33.

1001*a* 28 *οὐ γὰρ ἕτερόν τι καθ' οὗ κατηγορεῖται*. Contra codicum omnium fidem, spreta etiam Alexandri auctoritate, *καθ' οὗ* scripsi pro *καθόλου*. cf. Obs. p. 114 sq. Alexander quantum laboret, ut vulgatam lectionem ad sententiam quodammodo aptam vel conformet vel detorqueat, ex eius commentario ad h. l. cognoscitur; frustra eum laborare ex ipsa sententiae ratione facile est perspicere. Neque enim propterea ipsum unum et ipsum ens dici possunt substantiae esse, quia nihil aliud de iis universe praedicetur; nimirum de substantiis nihil impedit quominus alia diversa ab ipsarum notione universe praedicentur, *τὰ καθ' αὑτὰ ὑπάρχοντα τῇ οὐσίᾳ*, immo vero hoc ut fiat proprium est ac peculiare substantiae, Cat. 5. 2*b* 4. At hoc constituit vim ac naturam substantiae, quod ipsa non praedicatur de alia re, cf. *Δ* 8. 1017*b* 13: *λέγεται οὐσία ὅτι οὐ καθ' ὑποκειμένου, ἀλλὰ κατὰ τούτων τὰ ἄλλα*. *Z* 3. 1029*a* 8: *ἡ οὐσία — τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένου ἀλλὰ καθ' οὗ τὰ ἄλλα*. *B* 5. 1001*b* 30. Inde mutatione satis leni scripsi *καθ' οὗ*, quam si probaveris emendationem, aptissime opponi videbis physicos Platonicis et Pythagoreis: illi ponunt *ὑποκειμένην τινὰ φύσιν* *a* 8, de qua praedicetur unum et ens; hi vero ita ponunt unum et ens, ut nihil sit aliud de quo praedicentur, sed ipsa sint de quibus praedicentur reliqua.

1001*a* 29 *ἀλλὰ μὴν* — 6 *ἕκαστον*. Si ipsum ens substantiam esse posuerimus, necessario delabimur in rationes Parmenidis, ut id, quod praeter illud principium sit, utpote diversum ab ente, non esse statuendum sit. cf. *A* 5. 986*b* 27.

Phys. I 2, 3, 8. Brandis Gesch. I. p. 388. In eandem incidimus ratiocinationem, si unum habetur pro substantia; unde enim quidquam praeter hanc τοῦ ἑνός substantiam repeti putemus, quum quidvis vel unum sit vel multa, ac multitudo ipsa unitatum sit multitudo, quidquid autem praeter unum sit, id non unum esse oporteat. cf. *N* 2. 1089*a*.

1001*b* 7 ἔτι εἰ — 25 δῆλον. Ad Parmenidis sententiam (οὐδὲ διαιρετόν ἐστιν κτλ. v. 77. Karst.) si adiunxerimus placitum Zenonis (ἀξίωμα, cf. *M* 2. 1077*a* 31), qui, licet cum Parmenide secutus ratiocinandi necessitatem, ductus tamen idem sensuum evidentia id esse omnino negaverit, quo neque addito maius, nec demto minus quidquam fiat (cf. Simpl. ad Phys. f. 21. Brandis Gesch. I. p. 412*q*. 416*w*.), eique concesserimus τὸ ἓν ἀδιαίρετον eam habere naturam, ut neque addendo nec demendo magnitudinem ullam immutet: inde consequens erit, ut neque ipsum illud ἓν ἀδιαίρετον re ac veritate sit. Sed quamquam non est cur assentiamur huic argumentationi rudi (φορτικῶς *b* 14, cf. ad *A* 5. 986*b* 27), quae facile possit everti, nihilo tamen minus et quod Pythagorei et quod Plato ex illo τοῦ ἑνός principio deduxerunt dubitationem movet. Illi enim non poterunt explicare, qui sit a numeris ad magnitudines extensas inde derivatas transitus, *b* 17—19, cf. Phys. VI 1. 231*a* 24 et ad *A* 10. 1075*b* 29; Plato vero quod unum et diversam ab uno indefinitam dyadis naturam principia posuit et numerorum et magnitudinum, quomodo ex iisdem fontibus manare censeat diversa et numerorum et extensarum magnitudinum genera, pariter est dubium, *b* 19—25, cf. ad *M* 9. 1085*a* 7 sqq. *N* 3. 1090*b* 21 sqq.

1001*b* 13 ἀλλ' ἐπειδὴ οὗτος κτλ. Apodosis enunciationis incipienda est a verbis ἀλλὰ πῶς δὴ ἐξ κτλ. Exorsa nimirum est protasis, quasi in apodosi dicturus esset: τοῦτον μὲν ἐατέον, ὅτι ἐνδέχεται ἀδιαίρετόν τι εἶναι κτλ., cui deinde opponeretur: ἀλλὰ πῶς δὴ κτλ. i. e. sed Platonicorum et Pythagoreorum nihilo secius est sententia examinanda. Sed quoniam quae in apodosi erant dicenda iam in protasin adscivit, per brevitatem quandam dicendi illud ipsum ἀλλὰ πῶς δὴ κτλ. apodosis loco posuit.

1001*b* 23 εἴπερ τὸ μὴ ἓν ἡ ἀνισότης καὶ ἡ αὐτὴ φύσις ἦν. Schwegl. ad h. l. quod ad v. ἡ αὐτὴ φύσις co-

gitatione addi iubet: τῶν ἀριθμῶν τε καὶ τῶν μεγεθῶν, manifesto horum verborum sententiam pervertit. Nihil omnino est supplendum, sed ἡ αὐτὴ φύσις pariter atque ἡ ἀνισότης praedicatum est subiecti τὸ μὴ ἕν. Intelligi non potest, quomodo nunc numeri nunc extensae magnitudines exsistant, quum illud non-ens, quod materiale ponunt principium, licet diversis appelletur nominibus, πολὺ καὶ ὀλίγον, μέγα καὶ μικρόν etc., eadem tamen inaequalitatis natura contineatur.

CAP. V.

Quaestio duodecima. 1001*b* 26 — 1002*b* 11.

Res mathematicae, solida superficies lineae puncta, quaeritur utrum pro substantiis habendae sint necne; quam quaestionem coniunctam esse dicit cum superiore, τούτων δ' ἐχομένη *b* 26, vel quod illic quaesivit quomodo ex principio τοῦ ἑνός deduci possint res geometricae, vel quod eorundem philosophorum placita utrique quaestioni locum dederunt. Ac primum quidem quod res mathematicas esse substantias confirmat, *b* 28—1002*a* 14, rationes repetit e natura τῆς κατὰ τὸν λόγον καὶ τὸ εἶδος οὐσίας. Nimirum si a rebus sensibilibus ea separaverimus, quae manifesto accidentia sunt neque affectare omnino possunt substantiae dignitatem, ipsa remanet magnitudo extensa, corpus mathematicum, in quo insint et de quo praedicentur accidentia. Atqui corpus definitur planis, plana lineis, linea punctis, et ea, quae quid definiunt, potiora sunt dignitate et natura substantiali quam id, quod definitur; ergo res mathematicae simplicissimae quaeque maxime sunt habendae pro substantiis. Accedit quod planum sine corpore esse potest, linea sine plano (ἐνδέχεσθαι δοκεῖ dicit 1002*a* 7, quia dialectice disputat, non distinguens, qua ratione possint esse sine illis, qua non possint); atqui si qua possunt esse sine aliis, illa potius quam haec pro substantiis sunt habenda. Haec argumenta, quibus habendas esse pro substantiis res mathematicas confirmat, e notione et e rationali natura earum petita esse apparet; notione enim, non re ac veritate, planum sine corpore, linea sine plano potest esse, neque eadem notione priora sunt et re. cf. *M* 2. 1077*b* 1—14. Eandem conclusionem ut im-

pugnet, vice versa e sensibili natura rerum mathematicarum argumentatur. Ac primum quidem, *a* 15—18, plana ac lineas, quae antea priora natura corporibus esse contendit, eadem iam e vulgatis opinionibus et e sensuum evidentia pro concesso sumit necessario inesse corporibus; at qualibus insint corporibus dubium est, quum, quae sensibilibus insunt corporibus, ea differant a natura rerum mathematicarum, ἐν γὰρ τοῖς αἰσθητοῖς ἀδύνατον εἶναι *a* 17. Argumentum nimirum petitum est ex sententia eorum, qui rebus mathematicis seiunctam et absolutam tribuunt essentiam, pariter atque illud quod disseruit 2. 997*b* 34 sqq. Ipse enim Aristoteles res mathematicas inesse censet rebus sensibilibus, sed non quatenus sunt sensibiles, *Z* 10. 1036*a* 11. *M* 3. Deinde, *a* 18—20, plana lineas puncta distinctiones esse corporum et ipsum tamquam evidens sumit, φαίνεται *a* 18; inde quod efficitur, ut non possint pro substantiis haberi, addere omisit, cf. *N* 3. 1090*b* 5—13. — Accedit, *a* 20—28, quod in corpore aliquo quaelibet figura pariter putanda est inesse. Iam quum Mercurius, qui inest corpori δυνάμει, non ἐνεργείᾳ vel ὡς ἀφωρισμένον *a* 24, non dici possit ei vere inesse: quoniam eadem est omnium figurarum ratio, ne ea quidem figura sive eae superficies, quibus definitur corpus, vere esse statuentur. Eadem argumentatio, sicuti ad corpora, ita ad plana et lineas pertinebit; et quum his potissimum substantiae dignitatem tribuendam esse antea sit demonstratum, *a* 26, si haec privata sunt essentia, multo etiam minus corpora poterunt pro substantiis haberi. — Huius argumentationis fraus in eo cernitur, quod in propositione syllogismi eas ponit figuras, quae potentia tantum corpori insunt, conclusionem autem ad eam extendit figuram, quae actu corpus circumscribit. — Denique, *a* 28—*b* 11, substantiae hoc est proprium, ut intercedente generatione esse incipiat et corruptione intercedente desinat esse; at ubi corpora modo se contingunt invicem modo dirimuntur, plana ac lineae modo sunt modo non sunt sine generatione et corruptione. Et quum quaecunque fiunt, ea omnia ex materia quadam fiant, plana et lineae unde generari putemus non potest dici, ἔκ τινος γίγνονται *b* 5, sive quod rectius videtur scribi, ut difficultas inde orta significetur, ἐκ τίνος

γίγνονται. Illustratur haec natura planorum linearum punctorum, sine generatione et corruptione esse vel incipientium vel desinentium, exemplo τοῦ νῦν, momenti temporis, cuius eadem est in tempore atque illorum in spatio ratio, cf. Phys. IV 13.

1002*a* 8 οἱ μὲν πολλοὶ καὶ οἱ πρότερον, antiquissimos dicit physiologos. — *a* 11 οἱ δ' ὕστερον, cf. ad *Z* 2. 1028*a* 15.

1002*a* 21 ἔνεστιν quod coniecit Brandisius pro vulgata lectione ἔν ἐστι non dubitavi in textu scribere secutus Alexandri commentarium: ὅτι μή ἐστιν ἐν τοῖς σώμασι ταῦτα et: ὅτι ἐν τῷ σώματι ἔνεστιν ὁποιονοῦν σχῆμα, p. 186, 17, 20. Eiusdem Alexandri auctoritati obsecutus sum, quod omisi verba ἢ οὐθέν, quae post σχῆμα e tribus codd. *A*b*G*b*I*b addiderunt Brand. et Bekkerus. Ad ratiocinationem illa nihil prorsus conferunt, cuius quidem omnis vis in eo est posita, quod pariter omnes figurae inesse corpori asseruntur, unde efficitur, ut, quum quaedam ex iis inesse negentur, ea negatio ad reliquas pertineat omnes.

1002*b* 3 οὐ γὰρ δὴ ἥ γ' ἀδιαίρετος στιγμὴ διῃρέθη εἰς δύο, h. e. neque enim illud quisquam statuerit, ita in dirimendis corporibus fieri planum vel lineam, ut ipsum punctum dissecetur; est enim punctum prorsus individuum.

CAP. VI.

Quaestio tertia decima. 1002*b* 12—32.

Quod hoc loco quaerit unde tandem factum sit, ut philosophi quidam, nimirum Plato eiusque sectatores, praeter res sensibiles et mathematicas alia quaedam posuerint principia, id non proposuit in principio libri, ubi singulas, quae excutiendae essent, ἀπορίας breviter recensuit. Ac videtur quidem ea quaestione supersedere potuisse, nam continetur quodammodo quaestione quinta, quae est de rebus mathematicis et de ideis, et quaestione nona, qua investigatur num principia singula numero sint una an specie. Facit autem idearum auctores hunc in modum argumentantes. Cognitio et scientia ut possit esse, principia poni oportet, quae singula numero sint una; atqui res mathematicae, quas prae-

ter sensibiles posuimus, licet ab illis differant aeterna et immutabili natura, tamen speciei tantum, non numeri habent unitatem, cf. *A* 6. 987*b* 17; ergo ponenda sunt alia principia, quorum quodvis numero sit unum et substantia, id est autem: ponendae sunt ideae. Huic ratiocinationi deinde Aristoteles opponit, quae antea contra unitatem numeralem principiorum disputavit 4. 999*b* 27 sqq. — Ceterum in exponenda Platonis argumentatione, cui opitulari Aristoteles sibi videtur, dubito an Platonis sententiam ad suam philosophandi rationem aliquantum detorserit, eundem in modum de quo supra dixi ad *A* 6. 987*b* 14—18.

1002*b* 13 τὰ μεταξύ, cf. ad *A* 6. 987*b* 16. — *b*14 τίθεμεν, cf. ad *A* 9. 990*b* 9. — *b*19 τησδὶ τῆς συλλαβῆς, h. e. non solum omnino syllabae *ab* vel *em* vel alius cuiusdam syllabae definitae, sed huius syllabae *ab* quam nunc eloquor vel scribo; namque ea demum numeri habet unitatem. — *b*24 καὶ εἴδει. Scribendum potius esse quod coniecit Alexander ἀλλ' εἴδει et ex verbis proxime sequentibus, *b*25, et ex universa argumentatione apparet; in eo enim omnis cernitur concludendi vis, quod, nisi ideae ponantur, principia non numeri, sed speciei tantum unitatem sint habitura. cf. Obs. p. 37. — *b*25 εἰ οὖν κτλ. Deleto ante haec verba puncto eandem enunciationem continuandam esse usque ad *b*26 εἶναι demonstravi Obs. p. 36. Ita universa enunciatio eam habebit formam, de qua dictum est ad *A* 3. 983*a* 33, ut eidem apodosi propositae sint duae protases, altera alteri subiecta. Hoc enim dicit: si Platonici propterea ideas praeter res sensibiles et mathematicas posuerunt, quod utriusque huius generis principia specie non numero finita sunt, profecto, si illud est necessarium (εἰ οὖν τοῦτο ἀναγκαῖον *b*25), nimirum principia poni numero etiam nec specie solum finita, necesse est poni ideas. Deinde proximis verbis, ἀλλὰ μήν *b*30, subsumtionem impugnat, qua principia oportere numero finita esse positum erat, et quibus difficultatibus inde implicemur monet.

Quaestio quarta decima. 1002*b* 32 — 1003*a* 5.

Principia quaerit num potentia esse censenda sint an actu — nam actum, ἐνέργειαν, significat, quum potentiae

opponit ἤ τιν' ἕτερον τρόπον. Affinem hanc quaestionem ei esse dicit, de qua proxime est disputatum, utrum numero an specie finita sint principia; quod enim numero unum est et τόδε τι, idem actu est; quod vero specie unum de multis pariter praedicatur, id certe cognationem quandam habet cum τῷ δυνατῷ. Ac primum quidem, *b*34—1003*a*2, principia potentia esse non actu, inde demonstrat quod potentia prior sit quam actus, siquidem actus videtur esse non posse nisi eum praecesserit potentia (πρότερον γὰρ ἡ δύναμις ἐκείνης τῆς αἰτίας), potentia vero ita etiam potest esse, ut eam non sequatur actus (τὸ δὲ δυνατὸν οὐκ ἀναγκαῖον ἐκείνως, i. e. ἐνεργείᾳ, πᾶν ἔχειν). At ex eadem hac ratione, quod potentiam non necessario sequitur actus, proximis verbis, *a*2—5, non esse principia potentia comprobat. Nimirum id quod fit nondum est, alioquin non fieret (γίγνεται γὰρ τὸ μὴ ὄν); quidquid fit, ex eo fit quod fiendi potentiam habet, ἐκ τοῦ γίγνεσθαι δυνατοῦ (οὐθὲν δὲ γίγνεται τῶν εἶναι ἀδυνάτων); ergo, quod potentia est, id nondum e s t (δυνατὸν γὰρ εἶναι καὶ τὸ μήπω ὄν). Inde apparet, si potentia esse principia posueris, fieri posse, ut non sint principia, et, si principia non sint, eo etiam minus ceterarum quidquam rerum.

Quaestio quinta decima. 1003*a* 5—17.

Principia num sint universalia an individua. Quaestio verbis magis quam re differt a quaestione nona, utrum specie an numero definita sint principia, sed hoc loco aliter disceptatur atque illic, quod mirum non potest videri, quum dialectice tantum res agatur et variae rationes pariter aptae sint, non ad cognoscendam veritatem, sed ad quaestionem in utramque partem agitandam. Primum, *a*7—9, si universalia ponimus esse principia, quoniam universale praedicatur de multis et qualitatem, non substantiam significat (cf. *Z* 13), consequens inde est, ut principia non sint substantiae. Hanc difficultatem evitaturi si statuerimus (εἰ δ' ἔσται *a*9) universale per se et re ac veritate esse (ἐκθέσθαι, cf. ad *A* 9. 992*b* 10), aliis implicamur haud levioribus ineptiis, *a*9—12. Namque inde efficitur, ut individua substantia, veluti Socrates, plures in se contineat substantias, siquidem So-

crates et ipse est Socrates et homo et animal, quorum unumquodque per se substantiam esse posuimus. Sin autem individua posuerimus esse principia, *a* 13—17, quoniam cognosci scirique vere non possunt nisi universalia (cf. *B* 4. 999*a* 28. *Z* 15. 1039*b* 27. *M* 9. 1086*b* 5. An. post. I 31. I 11. 77*a* 5. 13. 79*a* 7. Heyder krit. Darst. I 1. p. 176 sqq.), aliis opus erit principiis, quae de illis universe praedicentur, ut possit omnino scientia et cognitio exsistere; ergo illa, quae posuimus, individua non erunt principia.

Γ.

CAP. I.

Prima philosophia versatur in cognoscendis causis entis, quatenus est ens.

Primam philosophiam sive sapientiam versari in cognoscendis summis rerum causis et principiis, supra secutus vulgares de ea opiniones explicuit, *A* 1. 2. Iam eam definitionem pro fundamento ponens (ἐπεὶ δὲ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἀκροτάτας αἰτίας ζητοῦμεν *a* 26), inde primam philosophiam investigare causas entis, quatenus est ens, hac colligit ratione. Singulae disciplinae, veluti mathematicae physicae aliae, quum singulas sibi circumscribant entis partes, in quibus versentur investigandis, cf. *E* 1. 1025*b* 8, diversam ab his oportet esse scientiam, quae ens ipsum, quatenus est ens, contempletur. Atqui prima philosophia primas inquirit causas et summa principia. Ergo eam versari oportet in cognoscendis causis non accidentis cuiuspiam — iis enim altiores essent et superiores causae ipsius rei, cui illa accidentia inhaerent — sed naturae cuiusdam (φύσεώς τινος) h. e. substantiae per se, sive entis, quatenus est ens. Huius igitur causae perinde nobis sunt investigandae, ac veteres physiologi ipsius entis quaesiverunt elementa.

Secutus sum in explicanda ratiocinatione vulgatam lectionem *a* 28 καθ' αὑτήν. Alexander, sive καθ' αὑτάς sive καθ' αὑτό in textu habuit (cf. 194, 26. 195, 9. 16. 23. 196, 6. 7), haec verba ad determinandam notionem causae refert,

non ad circumscribendam eam rem, cuius quaerantur causae; quum summa investigentur principia, eas quaeri causas, quae per se sint causae nec per accidens. Ac profecto principia illa, in quibus cognoscendis prima philosophia versatur, causas per se esse oportet; sed quoniam fieri potest ut quid causa per se sit, nec tamen propterea rei per se exsistentis causa — veluti causa per se albi coloris et alia eiusmodi —, ut id posset colligere, quo tendit haec argumentatio, debebat profecto Aristoteles dicere illas causas esse *αἰτίας φύσεώς τινος καθ' αὑτήν*, non *καθ' αὑτάς*. Sed qua ratione hoc loco vulgatam defendi, ex eadem paullo infra ab ea recedendum arbitror, *ἀνάγκη καὶ τὰ στοιχεῖα τοῦ ὄντος εἶναι μὴ κατὰ συμβεβηκός, ἀλλ' ᾗ ὄντα.* Neque enim id agitur ut elementa, quae per se elementa sint, quaerantur (et ne id quidem significasset philosophus verbis *ᾗ ὄντα*, sed aliis formulis, veluti *ᾗ στοιχεῖα*, *ᾗ τοιαῦτα*, *ᾗ αὐτά*, *καθ' αὑτά*), sed ut entis, quatenus est ens, quaerantur elementa. Itaque scribendum suspicor, *ᾗ ὄν*, quam coniecturam legentibus probatum iri spero si contulerint a21: *τὸ ὂν ᾗ ὄν*, a24: *τοῦ ὄντος ᾗ ὄν*, a27: *φύσεώς τινος καθ' αὑτήν*, a31: *τοῦ ὄντος ᾗ ὄν*. Hoc autem dicit Aristoteles: si igitur physiologi veteres, quum elementa rerum quaererent, re vera has, in quibus nunc versamur, summas ac principes causas quaesiverunt (nimirum physica disciplina tum universae ac primae etiam philosophiae dignitatem sibi vindicabat, 3. 1005 a 32): etiam illa elementa non unius cuiusdam rerum generis, veluti sensibilium, sed entis, quatenus est ens, oportet elementa fuisse. Perinde etiam nobis profecto primae ipsius entis sunt quaerendae causae. — Hac explicatione solutas arbitror Schwegleri de h. l. dubitationes et coniecturas.

1003 a 21 *τῶν ἐν μέρει λεγομένων*, cf. *Δ* 8. 989 b 13: *τῶν ἐν μέρει τι λεγομένων εἰδῶν*. *Γ* 3. 1005 a 29: *τῶν κατὰ μέρος ἐπισκοπούντων*. Utraque formula *ἐν μέρει* vel *κατὰ μέρος* particulare vel singulare significat, oppositum universali, *τῷ καθόλου*, cf. *Γ* 1. 1003 a 24. 3. 1005 a 32. — Waitz Org. I. p. 375.

1003 a 25 *τὸ συμβεβηκός*, i. e. *τὸ ὑπάρχον καθ' αὑτό*, a 22. *E* 1. 1025 b 12, cf. ad *Δ* 30. 1025 a 30.

CAP. II.

Ens licet multifariam dicatur, quum ad unum omne principium referatur, uni est scientiae subiectum, a 33—b 16, *quae primum ac praecipue pertinet ad substantiam, ut quae potissimum ens sit, cognoscendam,* b 16—19. *Eiusdem scientiae est cognoscere entis species,* b 19—22. *Ea autem inter ens et unum intercedit necessitudo, ut, quae sunt alterius, eaedem alterius etiam sint species, quae omnes subiectae sunt philosophiae,* b 22—1004 a 9. *Et quoniam contraria eadem continentur cognitione, unitati autem opponitur multitudo, quaecunque ad unitatem et multitudinem pertinent vel iis accidunt, ea omnia philosophi est investigare, et ita quidem, ut a substantia cognoscenda proficiscatur,* a 9—b 17. *Tam late patere philosophiae ambitum cognoscitur etiam comparatis artibus dialectica et sophistica,* b 17—26. *Contraria quum revocentur omnia ad unitatem et multitudinem, principia rerum, quae contraria ab omnibus ponuntur philosophis, eadem doctrina contineri apparet,* b 27—1005 a 13. — *Unius igitur est scientiae ens universe, quatenus est, et quidquid ei tamquam enti accidat contemplari,* a 13—18.

1003 a 33 τὸ δὲ ὂν — b 15 λέγεται καϑ' ἕν. Τὸ ὂν multifariam dici saepissime Aristoteles monet, cf. *Δ* 7. *Α* 9. 992 b 19. *E* 4. 1028 a 5. *Z* 1. 1028 a 10. *K* 3. 1060 b 32. 8. 1064 b 15. *N* 2. 1089 a 7. al. Quum autem ens universale non possit pro genere haberi entium singulorum, cf. *B* 3. 998 b 22, efficitur ut entia nec συνώνυμα sint nec καϑ' ἓν λεγόμενα, siquidem horum utrumque generis significat unitatem et communionem, cf. ad *A* 6. 987 b 9, 10. Nec tamen vere inde collegerit quispiam entia simpliciter esse ὁμώνυμα, ideoque non posse unitate scientiae alicuius contineri, sed obtinent potius entia medium quendam locum inter συνώνυμα et ὁμώνυμα, quum ad idem referantur omnia et omnia ab eodem pendeant, nimirum a substantia. Pertinent igitur entia ad τὰ πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς λεγόμενα, cf. *Z* 4. 1030 b 3, quae quum appareat generis unitati magis esse affinia quam diversitati merae homonymiae (καὶ γὰρ ταῦτα τρόπον τινὰ λέγεται καϑ' ἓν a 14, cf. *K* 4. 1061 b 11: ἐπεὶ

δὲ τό τε ὂν ἅπαν καθ' ἕν τι καὶ κοινὸν λέγεται πολλαχῶς λεγόμενον), et per se consentaneum est eadem omne ens investigari et cognosci scientia, et exemplis medicinae aliarumque artium comprobatur. Ergo entium omnium una atque eadem est scientia. — In distinguendis verbis Aristotelis paullum a recensione Bekkeriana recessi. Bekkerus *b* 1 post αὐτῆς et 4 post ἰατρικῆς et 5 post τούτοις puncta maxima posuit; sed probabilius videtur, quum post vv. οὐχ ὁμωνύμως addatur particula adversativa ἀλλ', non solum alia quaedam exempla enumerari τῶν πρὸς ἓν λεγομένων, sed ea ad ipsam entis notionem referri, id quod facile assequimur ea, quam institui, distinctione. Longius autem extendi enunciatum argumentis exemplisve illatis, id quidem usitatissimum est Aristoteli. (Eodem exemplo τοῦ ὑγιεινοῦ ad illustranda τὰ πλεοναχῶς λεγόμενα utitur Top. I 15. 106*b* 34.) Deinde *b* 9 post οὐσίας comma, quod in omnibus est libris editis, omittendum iudicavi, quo magis appareret, verba τῶν πρὸς τὴν οὐσίαν λεγομένων perinde suspensa esse a vv. φθοραὶ ἢ στερήσεις — γεννητικά ac genitivum οὐσίας. Significat autem his verbis, *b* 6 τὰ μὲν γὰρ ὅτι οὐσίαι — 10 οὐσίας, eadem fere, quae alibi decem categoriarum generibus complectitur, cf. Alex. p. 198, 1 sqq., nec tamen iisdem utitur nominibus vel eodem ea ordine enumerat, quoniam id potissimum hic agitur, ut quomodo ad substantiam omnia referantur appareat.

1003*b* 16 πανταχοῦ δὲ — 22 τῶν εἰδῶν. Quoniam id quod maxime est, idem maxime est scibile, cf. α 1. 993*b* 30, si qua scientia plura in se continet, ex quibus unum principem obtinet locum et reliqua a se habet suspensa, in hoc primo cognoscendo peculiaris eius scientiae vis (κυρίως *b* 16) cernitur. Ita philosophia, quum ad omnia pertineat entia, ad cognoscendam substantiam, ad quam reliqua referuntur, potissimum spectat. Pertinet autem universum genus philosophiae ad universum genus entium, sicuti alibi etiam idem genus vel sensibile vel scibile eidem generi vel sensus vel scientiae subiicitur; singulae autem species entis (τὰ δὲ εἴδη *b* 22, ubi quidem particulam adversativam δέ ut aptiorem ex Alexandro recepi pro vulgata particula copulativa τε) singulis speciebus sive doctrinis philosophiae con-

tinentur, τῶν εἰδῶν. — Quod dicit εἴδη τοῦ ὄντος b21, quibus verbis tacite sumit esse etiam unum γένος τοῦ ὄντος, quod non esse alibi demonstravit, cf. ad B 3. 998b 22, generis nomen latius extendit ad τὰ πρὸς ἓν λεγόμενα, nimirum ea quodammodo etiam esse καθ' ἓν λεγόμενα supra iam dixit, cf. ad b14.

1003b 22 εἰ δὴ τὸ ὂν — 1004a 1 ἀντικειμένων. Iam quum singulae entis partes singulas constituant philosophiae disciplinas, quomodo partienda sit notio entis et quae sint notiones ad eam referendae, adhibita notione τοῦ ἑνός investigat, quam quidem propterea adhiberi licet, quia ea intercedit inter τὸ ὂν et τὸ ἓν necessitudo, ut, quot sunt species alterius, totidem etiam reperiantur alterius esse, cf. Top. IV 1. 121b 7. 6. 127a 27. Hanc necessitudinem τοῦ ὄντος et τοῦ ἑνός primum quidem tamquam aliunde iam satis notam affert (εἰ δή b22), ac talem esse significat, ut non eadem sit utriusque notio, sed ut invicem se sequantur et comitentur, τῷ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις b23 (cf. de voc. ἀκολουθεῖν ad A 1. 981a 27), qualem notionum inter se rationem inter ἀρχή et αἴτιον obtinere alibi significat, Δ 1. 1013a 16. Deinde autem in parenthesi, διαφέρει — 33 ὅπερ ὄν τι, ad tantam longitudinem producta, ut ipsius enunciati conformationem interrumpat, et, quae in apodosi enunciati condicionalis dicenda erant, a particula ὥστε ordiantur b33, nihil differre ait ad propositum hoc loco finem si eandem censuerimus utriusque et unitatis et essentiae esse notionem (ἂν ὁμοίως ὑπολάβωμεν b25), et cur ita liceat statuere argumentis comprobat. Nihil enim differt utrum ad ἄνθρωπος neutram nec τοῦ ὄντος nec τοῦ ἑνός notionem adiecerimus, an alteram utram (ταὐτὸ γὰρ εἷς ἄνθρωπος καὶ ὢν ἄνθρωπος καὶ ἄνθρωπος b26), et si has duas confines inter se notiones unitatis et essentiae coniunctas praedicaveris de homine (ἐπαναδιπλούμενον, cf. Waitz ad An. pr. I 38. 49a 11), nihil significaveris aliud, nisi quod iam altera utra in praedicato posita significatum est, οὐχ ἕτερόν τι δηλοῖ — τὸ εἷς ἐστὶν ἄνθρωπος καὶ ἔστιν ἄνθρωπος b27. (Retinui eam lectionem, quam Brand. et Bkk. exhibuerunt, quamquam ea scriptura, quam Alex. p. 204, 10 in textu habuit et apte explicat: τὸ εἷς ἐστὶν ἄνθρωπος καὶ ἔστιν ἄν-

θρωπος ἄνθρωπος, habet cur praeferenda videatur. Et quod in codicibus plurimis exhibetur: ἔστιν ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἄνθρωπος, καὶ εἷς ἄνθρωπος fortasse ex simili ortum est scriptura genuina: ἔστιν ὁ ἄνθρωπος ἄνθρωπος καὶ εἷς ἐστὶν ἄνθρωπος.) — Proxima verba, δῆλον δ' ὅτι οὐ χωρίζεται — τοῦ ἑνός b29, 30, quid significent divinari modo licet ex iis quae antecedunt et subsequuntur, ipsa enim per se admodum obscure sunt dicta. Videtur autem hoc dicere: neque in generatione neque in corruptione seiungitur essentiae notio ab unitate, et similiter unitatis notio non seiungitur ab essentia. Talia Aristotelem voluisse dicere, inde praecipue apparet, quod proximis verbis concludit, addita altera ex his notionibus nihil novi accedere. — Affinitatem notionum τοῦ ὄντος et τοῦ ἑνός deinde confirmat, b32 ἔτι δ' ἡ — 33 ὄν τι, adhibita ad argumentationem substantia. De singularum rerum substantia praedicatur et τὸ ἕν et τὸ ὄν, et utrumque quidem ita, ut non per accidens, sed suapte natura substantiae tribuatur. Omnis vis argumentandi inest in verbis sibi invicem respondentibus οὐ κατὰ συμβεβηκός et ὅπερ. Etenim si per accidens duae notiones de eadem praedicantur, nihil inde concludi potest de illarum notionum cohaerentia; veluti si de homine praedicatur λευκόν et μουσικόν, non potest inde effici ut τὸ μουσικόν idem sit ac τὸ λευκόν vel vice versa; at recte ita concluditur, si praedicatur de aliqua re non quod ei accidat, sed quod in eius substantia insit. Et hoc quidem significatur per pronomen ὅπερ, cuius usum Aristotelicum recte explicat Alexander ad Top. III 1. 273a 14: τὸ «ὅπερ» αὐτῷ τοῦ κυρίως ἐστὶ δηλωτικόν, καὶ ᾧ ἂν προστεθῇ τὸ ὅπερ τὸ κυρίως ἐκεῖνο εἶναι σημαίνει, οἷον ὅπερ ἄνθρωπος ὁ κυρίως ἄνθρωπος κτλ. Excludit igitur pronomen ὅπερ quaecunque rei accidunt, includit unice ea quae in substantia, ἐν τῷ τί ἐστιν eius, insunt. (Waitz ad Org. p. 467 quod scribit «Pronomine ὅπερ utitur Aristoteles, ut significet aliquam rem ita coniunctam esse cum alterius rei natura, ut eam complectatur sicut genus speciem» nimis angustis finibus huius pronominis usum circumscribit. Verum quidem est, saepe usurpari ab Aristotele formulam ὅπερ τόδε, ut significetur notio universalior quae illam contineat ut genus speciem, et quasi pro synonymis haberi

ὅπερ et γένος, v. Top. IV 1. 120b 23. 2. 122b 26. 123b 2 coll. b1. 4. 124b 8 coll. b10. b20 coll. b18. al. At hac potissimum vi pronomine ὅπερ utitur, quia τὸ γένος βούλεται τὸ τί ἐστι σημαίνειν καὶ πρῶτον ὑποτίθεται τῶν ἐν τῷ ὁρισμῷ λεγομένων, Top. VI 5. 142b 27. Non inclusam autem his finibus teneri pronominis ὅπερ significationem, sed omnino eo denotari id ipsum quod res est, τὸ τί ἐστι vel τὴν οὐσίαν τοῦ πράγματος, colligas ex Top. VI 4. 141a 35, 37. Soph. el. 22. 179a 4, 6. Phys. I 3. 186a 32. al.) Itaque eadem significatione hoc loco posita sunt οὐ κατὰ συμβεβηκός et ὅπερ, et hoc dicit Aristoteles: cuiuslibet rei natura ac substantia hoc habet, ut sit unum, itemque ut sit ens; ergo divelli inter se nequeunt τοῦ ὄντος et τοῦ ἑνός notiones. Quod autem non simpliciter dicit ὅπερ ὄν, sed ὅπερ ὄν τι, eo explicatur, quod de singularum rerum substantia agit, ἡ ἑκάστου οὐσία b32, non de substantia universe; namque, ut recte ait Ioh. Phil. ad An. post. (Schol. p. 228a 26), τὸ τὶ προσκείμενον παραστατικόν ἐστι τῆς τοῦ ὑποκειμένου ἀτομότητος. cf. Waitz Org. I. p. 275. — Ita exposita notionum essentiae et unitatis necessitudine, ad ipsam rem, cuius causa eam exposuit, revertitur, ὥσθ' ὅσα περ κτλ. b33, quot sint unitatis species, totidem esse essentiae, quaecunque ad unitatem notiones referantur, easdem omnes ad ens pertinere ac propterea philosophiae subiectas esse.

1003b 36 καὶ τῶν τούτοις ἀντικειμένων quod in textum recepi, obtemperavi auctoritati Alexandri p. 206, 12, quamquam video quid merito obiici possit. Quum enim infra demum 1004a 9 Aristoteles demonstret, eiusdem scientiae esse et ipsam rem et eam quae ei oppisita est contemplari, non videtur iam hoc loco simul cum notionibus τῷ ἑνὶ et τῷ ὄντι subiectis eas afferre posse, quae his oppositae sint. Quod licet vere dici videatur, tamen si haec verba cum Brandisio et Bekkero omiserimus, explicari vix potest, qui potuerit proximis verbis τἀναντία πάντα commemorare, nisi praecesserit oppositorum mentio.

1004a 2 τεθεωρήσθω — ἐναντίων. De reducendis contrariis omnibus ad contrarietatem primam ac summam unitatis et multitudinis sufficiant, ait Aristoteles, quae in dis-

putatione de contrariis ea de re exposuimus. Eandem disputationem alibi διαίρεσιν τῶν ἐναντίων appellat Ι 3. 1054a 30, ac saepius in Metaphysicis respicit Γ 2. 1004b 34. Ι 4. 1055b 28. Κ 3. 1061a 15. Fuisse autem eam disputationem in secundo libro de bono Alexander ad singulos hos locos modo disertius modo magis universe animadvertit p. 206, 22. 218, 12, 15. 588, 2. 616, 2. 669, 28.

1004a 2 καὶ τοσαῦτα μέρη — 9 ἐν τοῖς μαθήμασιν. Haec verba Alexander p. 207, 4, ut via ac ratione disputatio procedat, ponenda potius esse arbitratur post τὰ δὲ εἴδη τῶν εἰδῶν 1003b 22, eique assentitur Schweglerus, nisi quod haec verba non post εἰδῶν b 22, sed post τὸν φιλόσοφον b 19 ponenda esse existimat. Et Schwegleri quidem coniecturam falsam esse facile cuivis apparebit, qui quaesiverit, quomodo ab his verbis καὶ τοσαῦτα — μαθήμασιν deinde transitus fieri putandus sit ad proxima ἅπαντος δὲ γένους κτλ. Alexandri autem sententia quamquam speciem quandam habet veritatis, tamen ea transpositio nec necessaria est nec vero sententiarum ordini prodest. Vulgatus enim ordo optime habet. Postquam dixit ὥσθ' ὅσα περ τοῦ ἑνὸς εἴδη, τοσαῦτα καὶ τοῦ ὄντος ἐστίν, interposita quasi per parenthesin huius sententiae explicatione λέγω δ' οἷον — ἐναντίων, eandem ratiocinationis viam amplius persequitur dicens καὶ τοσαῦτα μέρη φιλοσοφίας κτλ. Quodsi cum Alexandro has enunciationes supra posuerimus, parum apte de partibus philosophiae Aristoteles dicere videbitur, antequam qua ratione, adhibita unitatis notione, dividatur notio entis exposuerit. — a 5 ὑπάρχει γὰρ εὐθὺς γένη ἔχοντα κτλ. Similem usum adverbii εὐθύς cf. Cat. 12. 14a 32. An. pr. I 16. 36a 6. Ens et unum, ait, suapte natura, εὐθύς, in genera quaedam dividuntur. Dicit autem γένη entis eadem quae antea dixerat εἴδη 1003b 22, 33. Haec sive genera dixeris sive species entis quum dignitate inter se differant, ut aeternae et immobiles substantiae priores sint aeternis et mobilibus cet., partes philosophiae, ex illa entis partitione petitae, eundem inter se habebunt ordinem, ut prima philosophia prior sit ac potior quam disciplina physica, perinde atque in mathesi primum sunt tractanda, quae notionis simplicitate reliquis antecellunt. cf. Ε 1. 1026a 23—32.

1004a 9 ἐπεὶ δὲ μιᾶς — 20 ἐπιστήμης. Opposita

cognoscere eiusdem est scientiae cf. ad *B* 2. 996a 20; ergo scientiae, quae versatur in cognoscendis notionibus unitati et essentiae subiectis, eidem tribuendum erit, ut cognoscat notiones vel his oppositas vel quae reduci possint ad oppositas. Haec in universum horum verborum est ratiocinatio. Sed quum quatuor sint oppositionis genera cf. *I* 4. 1055a 38 sqq. 7. 1057a 33 sqq., et multitudo quod opponitur unitati vel ad negativam vel ad privativam oppositionem videatur referri posse, nihil differre addit utrum praetuleris, quia cognitio rei cuiuslibet complectatur simul cognitionem et negationis et privationis, et neutrum cogitari possit sine ipsius rei cognitione (*διὰ τὸ ἀμφοτέρως θεωρεῖσθαι τὸ ἕν* a 11). In parenthesi autem a 12 *ἢ γὰρ ἁπλῶς λέγομεν* — 16 *ἡ στέρησις* quid intercedat discriminis inter negationem et privationem exponit. Negatione nihil aliud dicitur nisi illud simpliciter non esse quod negatur; significatur igitur absentia eius quod negatur, nec quidquam inest in negatione, nisi id quod negatur, *τὸ ἐν τῇ ἀποφάσει*, et particula negandi, qua aliud quid ab hoc discernatur, *ἡ διαφορά*. Privatio vero non pertinet ad quidlibet, sed ad certum quoddam genus, de quo praedicatur (*τινὶ γένει* a 13, *ὑποκειμένη τις φύσις* a 15, cf. 6. 1011b 19). Veluti negatio *οὐκ ἴσον* nihil aliud significat nisi *οὐχ ὑπάρχειν ἐκεῖνο* sc. *τὸ ἴσον*, sive *ἀπουσίαν τοῦ ἴσου*, nec quidquam continet praeter *τὸ ἐν τῇ ἀποφάσει* i. e. *τὸ ἴσον*, et negandi particulam *οὐ*, qua *οὐκ ἴσον* discernitur ab *ἴσῳ*: si vero *ἄνισόν* quidpiam dicimus, non possumus quin certum quoddam genus intelligamus, in quo cernatur *ἀνισότης*, illud nimirum quod recipiendae vel aequalitati vel inaequalitati suapte natura idoneum est; atque ea quidem est privatio. Cf. de *στερήσει* ad *Δ* 22. — Ipsa verba, salebrosa adhuc in editionibus et quae plane explicari non possint, ex Alexandri commentario ad genuinam mihi videor integritatem restituisse; is enim pro *ἡ ἁπλῶς λεγομένη* a 12 et pro *ἐκείνῳ* a 13 manifesto suo e textu exhibet *ἢ γὰρ ἁπλῶς λέγομεν* et *ἐκεῖνο*. Illa emendatio non eget commendatione; haec si cui dubia videatur, primum attendat opponi inter se *ἐκεῖνο ἁπλῶς οὐχ ὑπάρχει* et *ἐκεῖνο γένει τινὶ οὐχ ὑπάρχει*, deinde comparet cum verbis *οὐχ ὑπάρχει ἐκεῖνο* proxima *ἀπουσία ἐκείνου*.

1004a 19 *ἢ κατὰ ταῦτα ἢ κατὰ πλῆθος καὶ τὸ ἕν.* Quaecunque ad has notiones referuntur, ea sane per has notiones revocantur etiam ad unitatem et multitudinem tamquam summa contrariorum omnium principia, sed quoniam alia ad ipsam unitatem et multitudinem, alia facilius ad illas notiones quasi media in via positas revocantur, propterea coniunxit *κατὰ ταῦτα* et *κατὰ πλῆθος καὶ τὸ ἕν.*

1004a 20 *ὧν ἐστὶ καὶ ἡ ἐναντιότης.* Contrarietatem subiectam esse ei scientiae, quae in ente cognoscendo versatur, monet propter ea, quae infra b 29 sqq. ad explicandam primae philosophiae notionem inde est deducturus. Comprobat autem contrarietatem subiectam esse primae philosophiae, quia *τῷ ἑτέρῳ*, quod philosophia contempletur, subiecta sit *διαφορά*, huic iterum *ἐναντιότης*. Quae igitur scientia ad illud pertinet, quod latissime ex his patet, ad *τὸ ἕτερον*, eadem subiectam sibi habet *ἐναντιότητα*. Quid differat *διαφορά* a genere suo, ab *ἑτερότητι*, Aristoteles exponit *I* 3. 1054b 23 sqq., qualis *διαφορά* appelletur *ἐναντιότης* *I* 4. 1055a 3—33.

1004a 29 *πρὸς τὸ πρῶτον ἐν ἑκάστῃ κατηγορίᾳ.* *Κατηγορίας* noli accipere pro decem illis summis rerum generibus; nam notiones illae, velut unum idem aliud contrarium, non in qualibet categoria illud principium possunt habere, quo referantur reliqua omnia. Significat potius *κατηγορίας* nomine Aristoteles ea praedicata sive praedicamenta, quae nunc ipsum attulit, idem aliud contrarium. In quolibet ex his praedicatis, multiplice eius vi distincta, *διελόμενον ποσαχῶς λέγεται*, quaerendum est quo sensu primum ac proprie praedicetur, et ad hanc vim ac naturam notionis reliqua sunt referenda.

1004a 32 *ὅπερ ἐν ταῖς ἀπορίαις ἐλέχθη*, in quaestione quarta libri superioris *B* 2. 997a 25. — Post *λόγον ἔχειν* et post *ἀπορήμασιν* editores omnes et Bessarion puncto maximo distinxerunt. Sed neque novi quidquam continent verba proxima *καὶ ἔστι τοῦ φιλοσόφου*, unde apte nova ordiatur enunciatio, nec si quid continerent novi, ab Aristotele per *καί*, sed potius per *ἔτι δέ* essent introducta, immo adeo cohaerent cum superioribus *ὅτι μιᾶς — λόγον ἔχειν* et eorum sententiam verbis potius quam re immutant, ut

non dubitaverim parenthesis signis positis haec verba *καὶ ἔστι — θεωρεῖν* suspensa facere a particula *ὅτι*. — Ceterum quum praeter consuetudinem Aristotelis esse videatur, quod bis in eodem enunciato superioris disputationis lectores commonefacit, *ὅπερ — ἐλέχθη* et *τοῦτο — ἀπορήμασιν*, non negligendum est quod *A*[b] et mg *E* priora illa verba omittunt.

1004[a] **34** *καὶ ἔστι τοῦ φιλοσόφου περὶ πάντων δύνασθαι θεωρεῖν* int. *ὅσα τῷ ὄντι καθ' αὑτὸ ὑπάρχει*. Quas deinde exempli causa affert quaestiones eius generis *b*1—4, eorum primam *εἰ ταὐτὸ Σωκράτης καὶ Σωκράτης καθήμενος* i. e. num idem sit substantia ipsa per se et substantia coniuncta cum accidente quodam, tractari et subtiliter dirimi tum maxime oportebat, quia ita demum captiones quaedam sophisticae tum frequentatae poterant evitari cf. *E* 2. 1026[b] 16. De reliquis tribus quaestionibus Aristoteles disputat *I* 4. 1055[a].

1004[b] 5 *ταῦτα καθ' αὑτά ἐστι πάθη*. *πάθος καθ' αὑτό* idem significat ac *ὑπάρχον καθ' αὑτό* vel *συμβεβηκὸς καθ' αὑτό*, nimirum id quod, quum non insit generis cuiusdam notioni ac definitioni, tamen ex ea necessario repetitur, cf. *B* 2. 997[a] 7. *Δ* 11. 1019[a] 1. *Z* 5. 1030[b] 19, 31. Anal. post. I 7. 75[b] 1. al. Eodem sensu haec *πάθη* vocantur *οἰκεῖα* *I* 9. 1058[a] 37. *b*22. Hae notae consecutivae notionis, ut liceat logicorum uti vocabulis, si sunt notioni cuidam propriae neque ad aliam pariter pertinent, *ἴδια πάθη* vocantur cf. *b*11, 15, 16. *M* 3. 1078[a] 7. — Haec igitur *πάθη καθ' αὑτὰ τοῦ ὄντος* omnia investigare philosophi est; ac tam late patere philosophiam vel ex comparatione dialecticae et sophisticae artis colligas (*σημεῖον δέ* *b*17), quae quum affectent speciem philosophiae, profecto non latius suas extendunt quaestiones, quam quo philosophiam sciunt pertinere; cf. An. post. I 11. 77[a] 29. Differt autem a philosophia utraque et dialectica et sophistica ars, quod in accidentibus versantur, omissa substantiae cognitione; et dialectica quidem ars disputandi facultate, *τῷ τρόπῳ τῆς δυνάμεως* *b*24, inferior est philosophia, quia philosophia a veris profecta principiis ipsam cognoscit veritatem, dialectica verum tentat modo et experitur, et profecta a vulgi opinionibus

viam quasi parat philosophiae cf. Top. I 1. et ad *B* init.; sophistica vero ars, quum neglecta veritate speciem captet veritatis, ipsa quaerendi voluntate, *τοῦ βίου τῇ προαιρέσει* *b*24, opposita est philosophiae. cf. Top. VIII 11. 162*a* 16: *ἔστι δὲ — σόφισμα συλλογισμὸς ἐριστικός*. Soph. elench. 1. 165*a* 21: *ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία οὖσα δ' οὔ*. 2. 165*b* 7: *ἐριστικοὶ δ'* (sc. *συλλογισμοί εἰσιν*) *οἱ ἐκ τῶν φαινομένων ἐνδόξων μὴ ὄντων δὲ συλλογιστικοὶ ἢ φαινόμενοι συλλογιστικοί*. 11. 171*b* 7. Rhet. I 1. 1355*b* 17: *ὁ γὰρ σοφιστικὸς οὐκ ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει*.

1004*b* 17 *σημεῖον δὲ* — 22 *οἰκεῖα*. Sylburgius et omnes post eum editores verba *ἡ γὰρ σοφιστικὴ — περὶ ἁπάντων* parenthesis signis incluserunt; sed quoniam verba *οἱ διαλεκτικοὶ διαλέγονται περὶ ἁπάντων* ita ad universam ratiocinationem pertinent ut ab ea secludi nequeant, equidem in Obs. ad Met. p. 12 parenthesin post *σοφία ἐστί* claudi volueram. Hanc rationem iure reprehendens Winckelmannus in censura libelli mei (Jahn Jahrb. 1843. XXXIX. p. 283) extendi potius parenthesin iubet usque ad verba *τὸ ὂν ἐστιν*, quam quidem enunciati conformationem etiam Schweglerus ad h. l. praefert. Sed si quid video non possunt ullo modo parenthesis signa ita poni, ut re vera, quae eorum debet vis esse, legentem adiuvent. Ita enim connexa est ea quae interponitur sophisticae artis explicatio cum ipsa argumentatione, ut ubicunque parenthesis signa posueris, tamen in reliqua enunciatione referantur quaedam ad verba parenthesi inclusa. Propterea haec signa ut parum apta omisi, et ante *διαλέγονται δὲ* colo, non puncto distinxi, quia haec verba opposita sunt superioribus *ταὐτὸν μὲν ὑποδύονται*. Ceterum omnis haec controversia inde videtur manasse, quod ipse scriptor sententiarum ordinem non satis recte instituit. Ubi enim sophisticam descripsit, *ἡ γὰρ σοφιστικὴ φαινομένη μόνον σοφία ἐστί*, debebat statim dialecticae subiicere descriptionem *καὶ ἡ διαλεκτικὴ πειραστική*, et quod deinde dialecticis tribuit *διαλέγονται περὶ ἁπάντων, κοινὸν δὲ πᾶσι τὸ ὄν ἐστι*, idem ad sophistas et ipsos erat extendendum. Haec scriptoris negligentia interpretum videtur effecisse dissensum.

1004*b* 27 *ἔτι τῶν ἐναντίων* — 1005*a* 8 *ὁμοίως*. Philosophiae esse omnia et vocare in quaestionem et cogno-

scere iam demonstrat adhibita contrarietatis notione, quam subiectam esse ad cognoscendum philosophiae et supra demonstravit 1004*a* 10—20, et nunc lectorem monet his verbis *τῶν ἐναντίων ἡ ἑτέρα συστοιχία* (cf. Phys. III 2. 201*b* 25 et ad *A* 5. 986*a* 23) *στέρησις*. Iam vero entia omnia vel contraria ipsa sunt vel progenita e contrariis, contrariorum autem principia sunt unitas et multitudo; ergo quae haec contraria contemplatur philosophia, eadem res omnes investigat. — Omnia autem e contrariis derivari, auctoritate confirmat philosophorum veterum, qui principia posuerunt inter se contraria, alii par et impar, ut Pythagorei, alii calidum et frigidum, ut Parmenides *ἐν τοῖς πρὸς δόξαν*, alii finem et infinitum, ut Platonici (hos enim, ut qui unum et infinitam dualitatem posuerint in principiis, significari ab Aristotele, non Pythagoreos, qui iisdem sane verbis denotari poterant, propterea Alexandro assentior, quod Pythagorei apertius iam antea nominati sunt, *οἱ μὲν γὰρ περιττὸν καὶ ἄρτιον*), alii denique, ut Empedocles, amorem et contentionem. Revocari autem contraria omnia ad primam ac summam unitatis et multitudinis contrarietatem alibi demonstratum dicit cf. ad *a* 1; et quum omnia ad illam contrarietatem referuntur, tum maxime (*καὶ παντελῶς*) principia a superioribus philosophis posita. — 1005*a* 6, 10 *ἴσως* cf. ad *A* 5. 987*a* 26. — *a* 7 *πρὸς τὸ πρῶτον* — *ὁμοίως*. cf. 1004*a* 25—31.

1005*a* 8 *καὶ διὰ* — 13 *ἐξ ὑποθέσεως*. Licet unum et ens nec genera sint rerum nec seorsim ac per se esse possint, cf. *B* 3. 998*b* 22 sqq. 4. 1001*a* 3 sqq., tamen iam propterea (*καὶ διὰ τοῦτο* *a* 11), quia quidquid est unum vel ens, ad idem refertur vel ab eodem per seriem quandam repetitur (*τὰ δὲ τῷ ἐφεξῆς*), ea omnia contemplari philosophiae est, ac non alius artis, veluti geometriae. Reliquae enim artes, veluti geometria, quum partem quandam entis certis finibus circumscriptam contemplantur, *E* 1. 1025*b* 7, etiam ubi easdem notiones ac propositiones vel adhibent vel investigant ac philosophia, hoc faciunt *ἐξ ὑποθέσεως* *a* 13, h. e. eatenus eas inquirunt, quatenus ad rem iis subiectam (*τὸ ὑποκείμενον*, sive *τὸ ὑποτεθέν*) pertinent. Cf. de voc. *ὑπόθεσις* Waitz Org. I. p. 427 sqq.

CAP. III.

Summa cognoscendi principia quoniam pertinent ad ens quatenus est ens, a prima philosophia ea pertractari oportet, 1005ᵃ 19—ᵇ8. *Eam certissima omnium principia tenere par est,* ᵇ8—18, *certissimum autem omnium est illud principium, quo idem eidem rei non posse simul et inesse et non inesse contenditur,* ᵇ18—34.

1005ᵃ 19 *λεκτέον δὲ — 29 ἡ θεωρία.* Principia cognoscendi quoniam ad omnia entis genera pertinent, ad ens, quatenus est ens, referri apparet, *τοῦτο γὰρ αὐτοῖς τὸ κοινόν* ᵃ27; atqui enti quaecunque, quatenus est ens, per se accidunt, ea omnia cognoscere primae philosophiae est, id quod cap. 2 est demonstratum; ergo eiusdem primae philosophiae est investigare summa cognoscendi principia. Ea principia quibus nominibus appellet Aristoteles, supra enumeravi ad *B* 2. 996ᵇ 26; hoc loco quod ea dicit ᵃ20 *τὰ ἐν τοῖς μαθήμασι καλούμενα ἀξιώματα*, addito participio *καλούμενα* ipse significat se nomen repetere ex mathematica disciplina, non ipsam rem; mathematica enim perinde ut reliquae doctrinae his principiis ita utitur, ut ad genus rerum sibi propositum restringat ᵃ26, cf. 2. 1005ᵃ 13: *ἐξ ὑποθέσεως.* An. post. I 10. 76ᵃ 39. 11. 77ᵃ 24.

1005ᵃ 29 *διόπερ — ᵇ2 οὐ πρώτη.* Philosophiae primae esse quaerere de summis cognoscendi principiis, quod antea ex rei natura demonstravit, iam quasi quodam experientiae documento confirmat. Haec enim principia quum in usum suum convertant artes omnes, nulla tamen in iis explicandis operam posuit; cf. Anal. post. I 12. 77ᵇ 5: *περὶ δὲ τῶν ἀρχῶν λόγον οὐχ ὑφεκτέον τῷ γεωμέτρῃ ᾗ γεωμέτρης· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν.* Quod enim physici quidam ea exponere susceperunt, non repugnat huic sententiae sed ei suffragatur; nimirum propterea haec principia contemplati sunt, quod naturam suae cognitioni subiectam non certum quoddam ac singulare entium genus (*ἕν — τι γένος* ᵃ34) esse existimaverunt, quod est re vera, nec physicam certis quibusdam finibus circumscriptam scientiam (*σοφία τις* ᵇ1, cf. de pron. *τις* ad 2. 1003ᵇ 33), sed scientiam primam ac summam, quae ens universe ac per se con-

templetur. At eiusmodi cognitio non est physicae, sed primae philosophiae.

1005*b* 2 *ὅσα δ' ἐγχειροῦσι* — 5 *ζητεῖν*. Suo loco motam esse hanc enunciationem et ponendam potius post *b*5 *ὅτι μὲν οὖν* — 8 *δῆλον* Alexander iudicat p. 223, 17 (cuius sententiam probat Schw. ad h. l.), speciose illud quidem, sed dubito num vel vere vel necessario. Possunt enim sane haec verba ita explicari (cf. Alex. l. l.), ut cum sequente proxime argumentatione *προσήκει δὲ κτλ.* arte cohaerere (cf. etiam in ipsis verbis *ἥκειν προεπισταμένους* *b*5, *ἔχειν λέγειν* *b*8, *ἥκειν ἔχοντα* *b*17), a superioribus autem seiuncta esse videantur. Sed si quis diligentius attenderit, dubitabit vulgatum verborum ordinem tentare. Revocanda sunt e superioribus in memoriam verba *a*29: *διόπερ οὐθεὶς τῶν κατὰ μέρος ἐπισκοπούντων ἐγχειρεῖ λέγειν τι περὶ αὐτῶν, εἰ ἀληθῆ ἢ μή*, cum his enim coniungenda sunt cogitando *ὅσα δ' ἐγχειροῦσι κτλ.*, quae verba hunc in modum arbitror construenda: *ὅσα δέ τινες τῶν λεγόντων* (int. *περὶ τῶν ἀξιωμάτων*) *ἐγχειροῦσι λέγειν περὶ τῆς ἀληθείας, ὃν τρόπον δεῖ ἀποδέχεσθαι αὐτήν*, h. e. quod autem quidam ex iis physicis, qui axiomatum mentionem tamquam necessariam suae admiscuerunt scientiae, disserere susceperunt, qua ratione accipi oporteret veritatem, se non satis eruditos et praeparatos esse doctrina analytica ipsi prodiderunt; talia enim diiudicare, veluti quae demonstrationem requirant, quae non cf. ad *B* 2. 997*a* 7, alia id genus, non physicae est scientiae sed analyticae, quae illam praecesserit oportet. Ita apte post haec verba demum videbitur concludere *ὅτι μὲν οὖν* — *δῆλον*. — *b*3 *δι' ἀπαιδευσίαν*, cf. *α* 3. 995*a* 12—14. Eth. Nic. I 1. 1094*b* 23.

1005*b* 8 *προσήκει* — 32 *τούτου*. Ad principium quod dicunt contradictionis tamquam summum cognoscendi principium et proponendum et excutiendum viam ita sibi parat, ut philosophiae primae esse dicat firmissima ponere principia, deinde qualia ea debeant esse exponat, atque haec quae requiruntur cadere in principium contradictionis demonstret. Primae philosophiae principium oportet et aptissimum sit ad cognoscendum (*γνωριμωτάτην* *b*13) nec ab hypothesi pendeat. Illud per se patet, quia scientia, quae

errorem non admittit, sed *μάλιστα γνωρίζει*, necessario habet *ἀρχὴν γνωριμωτάτην*. Hoc apparet comparanti hypothesis notionem Aristotelicam; est enim hypothesis ea propositio ad demonstrandum adhibita, quae quum possit demonstrari non demonstratur, et necessaria non est ei, qui rem est cogniturus (cf. An. post. I 2, 72*a* 13: *ἀμέσου δ' ἀρχῆς συλλογιστικῆς θέσιν μὲν λέγω ἣν μὴ ἔστι δεῖξαι, μηδ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν μαθησόμενόν τι· ἣν δ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν ὁτιοῦν μαθησόμενον ἀξίωμα. — θέσεως δ' ἡ μὲν ὁποτερονοῦν τῶν μορίων τῆς ἀποφάνσεως λαμβάνουσα, οἷον λέγω τὸ εἶναί τι ἢ μὴ εἶναί τι, ὑπόθεσις.* I 10. 76*b* 23: *οὐκ ἔστι δ' ὑπόθεσις οὐδ' αἴτημα, ὃ ἀνάγκη εἶναι δι' αὑτὸ καὶ δοκεῖν ἀνάγκη. — ὅσα μὲν οὖν δεικτὰ ὄντα λαμβάνει αὐτὸς μὴ δείξας, ταῦτ' ἐὰν μὲν δοκοῦντα λαμβάνῃ τῷ μανθάνοντι ὑποτίθεται.* Waitz Org. I. p. 428), quorum neutrum cadere potest in summum demonstrandi principium. Quod quidem ut et *γνωριμώτατον* et *ἀνυπόθετον* sit, ita comparatum esse oportet, ut error in eo locum non habeat nec quisquam de eo falli possit (*περὶ ἣν διαψευσθῆναι ἀδύνατον* *b* 12). Atque ita quidem comparatum esse principium contradictionis, postquam ipsum proposuit *b* 19—23, demonstrat *b* 23—31 hunc in modum. Si verum est, quod ponitur in principio contradictionis, fieri non posse ut contraria simul eidem rei insint, atqui contraria est propositio affirmans aliquid propositioni idem neganti (cf. de interpr. 14): fieri nequit ut quis, quod affirmat, idem simul neget, id est autem ut repugnet principio contradictionis. Qua quidem argumentatione Aristoteles nequaquam putandus est, ipsum principium contradictionis demonstrare voluisse, quod nec posse fieri perspexit, et si ita voluisset perficere, in petitionem principii nimis manifestam incidisset. Hoc potius videtur demonstrare voluisse, eam esse huius principii naturam, ut si p o n a t u r ipsum per se verum esse, inde consequatur, ut ab omnibus tamquam verum agnoscatur.

1005*b* 19 *τὸ γὰρ αὐτὸ* — 23 *ἀρχῶν*. Inclusis in parenthesi iis verbis, quae unice explicando et supplendo quaedam inserviunt cf. *b* 27, concinnitatem enunciati auxisse mihi videor; namque *τὸ γὰρ α. ἅ. ὑ. κ. μ. ὑ. ἀδύνατον* (int. *εἶναι*) *τ. α. κ. κ. τὸ αὐτό* subiectum est enunciati, quod deinde per pronomen *αὕτη* in animum legentis revocatur. Quae

autem sint praeterea adiicienda ad determinandum et accurate circumscribendum illud quasi punctum identitatis, ex locis cognatis perspici potest, qui sunt de contradictione et de deductione ad absurdum. Soph. el. 5. 167*a* 23: *ἔλεγχος μὲν γὰρ ἀντίφασις τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνός, μὴ ὀνόματος ἀλλὰ πράγματος, καὶ ὀνόματος μὴ συνωνύμου ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ, — κατὰ ταὐτὸ καὶ πρὸς ταὐτὸ καὶ ὡσαύτως καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ.* de interpr. 6. 17*a* 34: *λέγω δ' ἀντικεῖσθαι τὴν τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ μὴ ὁμωνύμως δέ, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν τοιούτων προσδιοριζόμεθα πρὸς τὰς σοφιστικὰς ἐνοχλήσεις*, quod hoc loco dicit *πρὸς τὰς λογικὰς δυσχερείας* h. e. ne sophistis, descripto parum accurate principio, occasionem praebeamus speciosae refutationis. Eas difficultates, quas facessunt principii contradictionis infitiatores, quod *λογικάς* appellat, conferenda sunt quae de vario huius vocabuli usu Aristotelico apte collegit et dilucide exposuit Waitz Org. II. p. 353 sqq. Ex locis ibi collectis apparet, non minus late patere usum adiectivi *λογικός* quam eius, unde manavit, substantivi *λόγος*, qua quidem comparatione vel ea poterunt conciliari, quae inter se repugnare videantur. Et hoc quidem loco *λογικαὶ δυσχέρειαι* eae erunt adversariorum argumentationes, quae non ex ipsa rei refutandae natura, sed unice *ἐκ τῶν λόγων* petitae sunt, i. e. inde, quod in formula principii identitas et rei et temporis et reliquorum, quae possunt in censum venire, non satis accuratis notionum finibus circumscripta est; cf. *λογικαὶ δυσχέρειαι* simili significatione *N* 1. 1087*b* 20. Nec vero abs re erit, si quis *λογικὰς δυσχερείας* hoc loco eas putaverit dici, quae *λόγου χάριν λέγονται* 5. 1009*a* 21. — Ceterum principium contradictionis quale Aristoteles proposuit, quid differat ab ea forma huius principii, quae in logica formali frequentatur, facile est videre; Aristoteles enim de rebus agit, logica formalis de notionibus (notio *A* est *A*, neque est eadem ac notio non—*A*). Neque hoc aliud est discrimen, quam quo omnino logica Aristotelica a logica vere formali seiungitur (Trend. El. log. §. 63. not.); in quo discrimine utrum virtus cernatur philosophiae Aristotelicae (Trendel. log. Unters. I. p. 18 sqq.) an vitium (Herbart Einl. in d. Philos. §. 391), non est huius loci quaerere.

1005*b* 23 *διορισμόν* cf. *Θ* 5. 1048*a* 2, 20. Top. V 3.

1311ᵇ 8. — ᵇ25 Ἡράκλειτον cf. 5. 1010ᵃ 10 sqq. — 33 δόξαν cf. ad B 2. 996ᵇ 26.

CAP. IV.

***Principium contradictionis sunt qui verum esse infitiantur,* 1005ᵇ 35 — 1006ᵃ 5; *et comprobari quidem, quod hi postulant, ratiocinando illud principium non potest,* ᵃ5 — 11, *refutari vero possunt principii infitiatores et ut principii veritatem agnoscant adigi, dummodo concedant, se dicendo certum quidpiam et definitum significare,* ᵃ11 — 1007ᵃ 20. *Sublato autem principio contradictionis tollitur omnis substantia, ut nihil nisi per accidens praedicetur, nec potest tamen fieri ut in infinitum accidens accidenti accidat,* ᵃ20 — ᵇ18; *deinde consequitur ut omnia sint idem,* ᵇ18 — 1008ᵃ 2, *aliaque id genus absurda concedere coguntur principii infitiatores,* ᵃ2 — ᵇ11. *Et quamquam dicendo tollunt principium, agendo tamen non possunt non eius veritatem agnoscere* ᵇ12 — 1009ᵃ 5.**

1005ᵇ 35 εἰσὶ δὲ — 1006ᵇ 13 σημαῖνον ἕν. Esse qui principium contradictionis tollere susciperent, iam antea facta Heracliti mentione significavit (καθάπερ εἴπομεν ᵇ 35, cf. ᵇ24), quorum quosdam naturae disquisitione in hanc sententiam delatos esse (χρῶνται δὲ — φύσεως 1006ᵃ 2, 3) proximo capite exponit 1009ᵃ 22 sqq. Qui quidem infitiatores principii quod illud principium demonstrari postulant, ipsi produnt, quam non cognitam habeant et principii naturam et universam demonstrandi rationem, δι' ἀπαιδευσίαν ᵃ6, int. τῶν ἀναλυτικῶν coll. 3. 1005ᵇ 3. Neque enim omnia possunt ratiocinando comprobari, cf. ad B 2. 997ᵃ 7. Et principium quidem demonstrari non potest, propter id ipsum quia est principium; at sane refutari possunt, qui illud infitiari susceperint, dummodo dicendo se significare aliquid (ἂν μόνον τι λέγῃ ᵃ13) neque inanes sonos edere confiteantur. Prorsus enim diversa est demonstrandi et refutandi ratio; demonstratio enim repetenda est ex propositionibus sua natura altioribus et ad cognoscendum aptioribus (An. post. I 2. 71ᵇ 17 sqq. An. pr. I 31. 46ᵇ 38); itaque si quis principium contradictionis demonstrare susceperit, quo-

niam non est alia propositio hac altior, fieri non potest quin id ipsum pro fundamento concludendi ponat et ab adversario concedi postulet, quod ab initio ad demonstrandum erat propositum (*αἰτεῖσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ* a17, int. *προκείμενον*, cf. Trendel. El. §. 42). Qui vero refutare alium suscipit, initium capit ab iis propositionibus, quae adversarius libens volens concedit, et vel inesse in his vel ex his consequi id, quod erat demonstrandum, comprobat; qua in argumentatione si tecte id ipsum pro fundamento ponit, quod est comprobandum, non ipsi potest obiici petitio principii, sed potius adversarius eius petitionis principii auctor est (*ἄλλου δὲ τοῦ τοιούτου αἰτίου ὄντος* a18, *τοῦ τοιούτου* i. e. *τοῦ δοκεῖν αἰτεῖσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ*, cf. a25). Atque ad refutandos infitiatores principii contradictionis nihil requiritur aliud, nisi id quod adversarius, quum disputat, eo ipso quod disputat (*ὑπομένει λόγον* a26) concedit, se dicendo aliquid significare. (Proxima verba a26 *ἔτι δὲ* — 28 *οὕτως ἔχοι* uncinis inclusi, quia et per auctoritatem librorum manuscriptorum et propter eorum sententiam gravis oritur dubitatio. Libri enim omnes omittunt haec verba praeter *Ab* et *Fb*, ex quibus ille quantam requirat cautionem in constituendo textu dixi in Vol. I. p. XV, huius autem auctoritas propterea dubia est, quod in ipso commentario Alexander haec verba non videtur respicere, licet pro lemmate posita. Deinde si sententiam verborum spectamus, offendimus in verbis *ὥστε οὐκ* — *ἔχοι* intra paucas lineas iteratis a28, 30; et ea quae antecedunt *ἔτι δὲ* — *ἀποδείξεως* interrumpunt potius, quam adiuvant sententiarum nexum; neque enim eo pertinent, ut appareat quomodo his concessis adigatur quispiam ad concedendum ipsum contradictionis principium, sed significant infitiatorem eum principii, qui illud, se dicendo significare aliquid, omnino sine demonstratione concesserit, non posse suo iure ipsius principii demonstrationem postulare.) Iam hoc, quod pro concesso sumit ab adversario, significare aliquid eum qui disputat, subtilius explicat, ac primum quidem illud verbum, quod pro copula subiecti et praedicati positum ipsam continet enunciationis vim, *εἶναι*, significare certum aliquid dicit, quo distinguatur ab opposito *μὴ εἶναι*, a28—31, *ὅτι σημαίνει τὸ ὄνομα τὸ*

εἶναι ἢ μὴ εἶναι τοδί i. e. *ὅτι τὰ ὀνόματα, τό τε εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι, σημαίνει ὡρισμένον τι.* (Cf. Alex. p. 231, 29: *ὀνόματα δὲ εἶπε καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι.* Quod ne miremur, quum potius, coll. de interpr. 2. 3, videantur *ῥήματα* appellanda esse, cf. ibid. 3. 16*b* 19: *αὐτὰ μὲν οὖν καθ' ἑαυτὰ λεγόμενα τὰ ῥήματα ὀνόματά ἐστι καὶ σημαίνει τι.* Ac praecipue quidem voc. *ὄνομα* ibi suum habet locum, ubi opponitur notioni ac significationi, *τῷ λόγῳ*, cf. opposita inter se *ὄνομα* et *λόγος* Top. V 2. 130*a* 2, 9. 9. 139*a* 11. VI 1. 139*a* 25. 7. 146*a* 34. al.) — Deinde transit ad vim significativam nominis, quod subiecti locum habet *a*31 *ἔτι εἰ* — *b*13 *σημαῖνον ἕν.* Si quod nomen significare quidpiam dicimus, veluti si nomen h o m o significare dicimus a n i m a l b i p e s, non hoc dicimus, praedicari posse de homine animal bipes, vel accidere homini ut sit bipes animal, sed ita in eo cerni notionem ac substantiam hominis, ut quidquid dicatur esse homo, idem dicendum sit suapte natura ac substantia esse animal bipes, *ἂν ᾖ τι ἄνθρωπος, τοῦτ'* (int. *τὸ εἶναι ζῷον δίπουν*) *ἔσται* (sc. *αὐτῷ*) *τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι* *a*33, cf. Top. VI 1. 139*a* 25: *καθ' οὗ τὸ ὄνομα, καὶ τὸν λόγον· δεῖ γὰρ τὸν τοῦ ἀνθρώπου ὁρισμὸν κατὰ παντὸς ἀνθρώπου ἀληθεύεσθαι.* In hoc vera vis cernitur significandi, utrum autem nomine aliquo unum dicamus significari an plura, modo finita numero, nihil ad rem differt; plures enim, sed eae finitae eiusdem nominis notiones diversis nominibus poterunt distingui; infinita autem qui idem nomen significare contenderit, is re vera nihil significat omnemque vel disputandi vel omnino cogitandi facultatem evertit. — *b*2 punctum post *ὄνομα* itemque *b*4 punctum post *δίπουν* delevi secutus similitudinem enunciationis antecedentis, cf. Obs. p. 10. — Optativus *εἶεν δὲ* pro *εἰσὶ δέ*, quem exhibet cod. *A*b, est sane cur placeat (cf. Breier Jen. Lit. Z. 1843. N. 219), sed haud scio an emendatori debeatur.

1006*b* 13 *οὐ δὴ* — 34 *ἄνθρωπον.* His igitur positis (*δή*) demonstrat fieri non posse ut idem vere dicatur et esse homo et non esse homo, *b*33. Quod ut appareat, religiose tenendum est quid sit quod dicimus *σημαίνειν ἕν*, neque permiscendum cum eo quod dicimus *σημαίνειν καθ' ἑνός* *b*14. Nimirum per *σημαίνειν ἕν* ipsam no-

tionem substantialem nominis alicuius significamus, *τὸ ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι* (cf. ad 2. 1003*b* 32), verum *καθ' ἑνὸς σημαίνει* quaecunque de eodem subiecto praedicantur, veluti *μουσικόν, λευκόν, ἄνθρωπος*, *b* 16. Quod si dicamus idem esse ac *σημαίνειν ἕν*, inde consequens erit, ut quaecunque de eodem praedicentur idem sint notione et substantia atque id de quo praedicentur, ac propterea etiam inter se notione substantiali, *κατὰ τὸν λόγον τῆς οὐσίας*, eadem sint, hoc est autem *συνώνυμα* (cf. ad *A* 6. 987*b* 10; falso hoc vocabulum interpretatur Alex. p. 236, 26), unde facile eo pervenimus ut omnia esse unum contendamus, quod pro manifesto summae absurditatis signo Aristoteles ponere solet, cf. 1007*b* 19. *Z* 11. 1036*b* 20. al. — Hanc igitur differentiam *τοῦ σημαίνειν ἕν* et *τοῦ σημαίνειν καθ' ἑνός* si tenemus, apparet non posse idem vere dici esse homo et non esse homo. Nam per *σημαίνειν ἕν* notionem substantialem denotamus; quare si idem esset et homo et non-homo, eadem esse notio substantialis hominis (*τὸ εἶναι ἀνθρώπῳ* *b* 24) et non-hominis (*τὸ μὴ εἶναι ἀνθρώπῳ*). Nam duo si dicimus unum idemque esse, hoc dicimus, eandem esse utriusque notionem. *τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ εἶναι ἕν* (cf. *b* 15 sqq.), *ὡς λώπιον καὶ ἱμάτιον, εἰ ὁ λόγος εἷς*, construe: *εἰ ὁ λόγος εἷς, ὡς λώπιον καὶ ἱμάτιον*. (Idem exemplum diversi nominis in eadem notione cf. Top. I 7. 103*a* 10. Phys. I 2. 185*b* 20.) Atqui concessum est, si nomen homo significare dicimus animal bipes, quidquid vere dici possit esse homo, id dicendum esse animal bipes esse. Inde consequitur ut non sit suapte natura ac notione non animal bipes. — In constituendo et distinguendo textu aliquoties a Bekkero discessi. Primum enim parenthesis signa adhibenda putavi in enunciatione *b* 15 *οὐ γὰρ* — 18 *συνώνυμα γάρ*; inseritur enim haec enunciatio ut explicentur verba *μὴ μόνον καθ' ἑνὸς ἀλλὰ καὶ ἕν*, ac proximis verbis *καὶ οὐκ ἔσται κτλ.* manifesto continuatur enunciatum superius *οὐ δὴ ἐνδέχεται*. Deinde *b* 29 comma non post *εἰπεῖν* sed post *ἄνθρωπος* ponendum esse comprobavi Obs. p. 11. Hoc enim dicit Aristoteles: si quid vere dicitur homo esse, idem necessario dicendum erit esse animal bipes, quoniam haec posita est significatio nominis homo; cf. An. post. I 4. 73*a* 29:

εἰ κατὰ παντὸς ἀνθρώπου ζῷον, εἰ ἀληθὲς τόνδ' εἰπεῖν ἄνθρωπον, ἀληθὲς καὶ ζῷον.

1006 b 34 *ὁ δ' αὐτὸς* — 1007 a 20 *διαλέγεται.* Quod hucusque demonstravit exorsus a notione hominis, idem nunc comprobat profectus a notione negativa non-homo; quam argumentationem cur distinguat a superiore non video; neque enim ipsa re diversa est ab illa, quoniam eadem est oppositio sive ab hoc sive ab illo initium feceris, neque rationibus utitur aliis atque antea. Nititur enim haec etiam argumentatio in eo, quod per *σημαίνειν ἕν* denotatur ipsa notio, non accidentia notioni. Atque hunc fere in modum Ar. argumentatur. Album diversum est ab homine, magis etiam diversum est non-homo ab homine, quoniam praeter diversitatem etiam oppositionem in se continet; quare si illa non esse idem conceditur, magis idem de his erit concedendum. Sin illa, *λευκὸν* dico et *ἄνθρωπος*, unum idemque esse quis dixerit, quoniam de eodem praedicantur, inde consequitur (*ἔσται* a 6, quod ex Alexandro repetii pro vulgato *ἔστι*, cf. ad 1006 b 17, tempore futuro factam ex opinione adversariorum consequentiam denotat, cf. Obs. p. 63), quo antea iam deduxerat adversarios, 1006 b 17, ut omnia sint idem, nec solum, id quod volunt principii infitiatores, ut opposita sint idem. Iam concedi potest, si quis interrogetur, utrum illud sit homo, vere quodammodo eum respondere posse, esse illud et hominem et non-hominem (est enim v. g. albus, musicus cet., quae omnia in ambitu notionis non-homo continentur), at is in eo vel fallitur vel fallit, quod interrogatus simpliciter, quid s i t illud, immiscet responsioni quid illi a c c i d a t; distinguenda autem sunt accidentia ab ipsa rei natura et notione ac iam propterea non immiscenda responsioni, quoniam vel omnia sunt enumeranda vel prorsus omittenda; enumerari autem omnia, utpote indefinita, non possunt. (a 18 *εἰ μὴ καὶ τἆλλα* — *προσαποκριτέον.* Coniectura Casauboni, *εἰ δὲ μή, καί* scribentis pro *εἰ μὴ καί*, est sane cur placeat; vulgata enim verba parum videntur apta, siquidem non erat dicendum: nisi praeterea r e s p o n d e n d u m e s t, sed potius: nisi praeterea r e s p o n d e r e v o l u e r i t. Potest tamen acquiesci in vulg. lectione, si eam sic interpretemur: nisi forte voluerint adversarii illi, respondenda esse praeterea omnia accidentia.)

Universam argumentationem, qua refutare Aristoteles studet principii contradictionis infitiatores, si uno quasi obtutu animi respexerimus, philosophum cognoscimus non proficisci solum a significatione et notione nominum, sed ipsum principium a rebus, de quibus ab initio propositum erat (τὸ αὐτὸ ἅμα εἶναι καὶ μὴ εἶναι) redigere ad notiones, οἷα ἔστι τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι ὅπερ μὴ εἶναι ἀνθρώπῳ. Quod quum facit, nihil concedit de severitate principii, sed coactus ipsa rei natura veram vim principii longe accuratius exprimit; spectat enim illud principium non res ipsas per se, sed notiones; cf. ad 3. 1005b 19.

1007a 20 ὅλως δ' — b18 ἀντιφάσεις. In comprobando principio contradictionis inde initium ceperat Aristoteles, ut postularet concedi ab adversariis nomen quodvis σημαίνειν ἕν, et ut illud ἕν, distinctum ab accidentibus, in natura ac notione substantiali cerni doceret; iam eandem rationem alio modo contra adversarios principii convertit, demonstrans sublato illo principio tolli substantiam et notionem substantialem (τὸ τί ἦν εἶναι). Argumentatur autem hunc in modum: qui idem esse volunt (εἰ ἔσται a27, cf. Obs. p. 66) τὸ ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι et τὸ ὅπερ μὴ ἀνθρώπῳ εἶναι vel ὅπερ ἀνθρώπῳ μὴ εἶναι, quoniam illud aliud significare quam hoc antea est positum, ἄλλο τι ἔσται a29, i. e. praedicabunt de homine id quod ab eius notione diversum est; ergo non substantiam significant sed accidens; nam eo differt substantia ab accidente, quod hoc inhaeret subiecto diversum et distinctum natura a subiecto, illa vero ipsa est natura et constituit essentiam rei, cuius est substantia. Unde apparet, sublato principio contradictionis tolli substantiam, et consequi ut omnia sint accidentia. Quod si ita est, non erit primum subiectum, de quo praedicentur accidentia (πρῶτον τὸ καθ' οὗ a34, ex coniectura Alexandri, quam commendavi Obs. p. 115), sed accidentia in infinitum procedent. At fieri non potest, ut in infinitum procedat accidentium praedicatio. Duplici enim modo aliquid dicitur accidens esse, aut accidens subiecti aut accidens accidentis. Iam hoc sensu, quo accidens accidenti dicitur accidere, non licet plus quam duo coniungere, veluti si quis τῷ μουσικῷ accidere dicat τὸ λευκόν, iterum τῷ λευκῷ ac-

cidere τὸ σιμόν et sic porro. Nam τῷ μουσικῷ, quod et ipsum accidens est, ita tantum dicitur accidere τὸ λευκόν, quod utrumque eiusdem subiecti est accidens, veluti Socratis, nec differt utrum τῷ μουσικῷ τὸ λευκόν an τῷ λευκῷ τὸ μουσικόν dicamus accidere. Itaque quoniam statim, ubi duo inter se accidentia coniunxerimus, ad ipsum subiectum recurritur et in eo causa quaeritur cur alterum accidat alteri, atque ea est horum accidentium vicissitudo, ut nihil differat, utrum dixeris alteri accidere, propterea non potest longior, nec vero infinita accidentia de accidentibus praedicandi series institui. Altero autem sensu, quum de subiecto praedicatur accidens, statim habemus finem praedicandi, nec cogitari omnino potest de infinitate accidentium. Neutro igitur sensu accidentia in infinitum possunt procedere, et tertius non datur. — Igitur ut brevi rem complectamur: qui principium contradictionis infitiantur, tollunt substantiam, substantia autem non potest tolli; ergo non debent infitiari illud principium.

1007^b 18 ἔτι εἰ — 1008^a 2 κατάφασις. Principium contradictionis qui recusant agnoscere, non possunt non concedere idem esse omnia, ac vel ea quae vulgo diversissima censentur, veluti homo murus navis, re vera esse idem. Quodsi Protagorae placita probant, quae quomodo idem principium tollant infra exponitur cap. 5, quum nihil sit quod non de re qualibet vel affirmandum vel negandum cuipiam videatur, ac verum esse contendant quod cuique videatur (εἰ γὰρ — δῆλον ὅτι οὐκ ἔστι τριήρης ^{b}24, sc. κατὰ τοὺς λέγοντας τὸν Πρωταγόρου λόγον), denique quidquid negatur idem affirmandum sit, quidquid affirmatur idem negandum: apparet de qualibet re quidvis esse praedicandum. Ita ἓν ἔσται ἅπαντα, nec distinguere quidpiam possunt, sed in confusam et indefinitam mistionem Anaxagorae incidunt, quae τὸ δυνάμει ὄν, utpote complexum in se contrariorum potentiam, significat, et non τὸ ἐνεργείᾳ ὄν. — Nec vero (ἀλλὰ μὴν κτλ. ^{b}29) evitare possunt hanc ratiocinationem, licet non ipsa probent Protagorae placita, dummodo principium contradictionis tollant. Etenim si de homine praedicanda est ex eorum sententia negatio eius quod est, est autem homo, igitur si praedicandus est non-homo, longe cer-

tius praedicanda est negatio eius quod non est, veluti non-navis; at si negatio, praedicanda de eodem subiecto ex eorum decreto etiam affirmatio, i. e. navis. Quae ratio quum ad quaelibet pariter pertineat, inde consequitur, ut omnia de eodem praedicanda sint. — In explicandis verbis *b* 29: ἀλλὰ μὴν λεκτέον γ' αὐτοῖς κατὰ παντὸς τὴν κατάφασιν ἢ τὴν ἀπόφασιν, coniecturam secutus sum, quam verba proxime sequentia videntur flagitare. Proximo enim enunciato, ut illorum verborum λεκτέον — ἀπόφασιν sententiam confirmet, absurdum fore Aristoteles dicit, si de qualibet re sua ipsius negatio nec vero aliarum rerum negationes praedicentur; haec argumentatio ita demum concinet cum superiore enunciato, si in illo non solum de qualibet re, sed etiam quamlibet affirmationem vel negationem praedicandam esse contenderit. Inde coniicio: κατὰ παντὸς παντὸς τὴν κατάφασιν κτλ., quocum consentit Alexander p. 248, 11: νῦν δείκνυσιν ὅτι ἀνάγκη αὐτοῖς λέγειν ἐπὶ παντὸς πᾶσαν ἀντίφασιν κατηγορεῖσθαι. — 1008*a* 1 μᾶλλον ἢ ἡ legendum esse, nec cum Brandisio et Bekkero μᾶλλον ἤ, demonstravi in Obs. p. 46.

1008*a* 2 ταῦτά τε — 30 ψεύδεται. Si quis principium contradictionis sustulerit, non potest in eo acquiescere ut de eadem re idem et affirmari et negari contendat; namque quod idem et affirmari et negari dicit, id ipsum attributionem quandam efficit, sive eam in unum coniunctam censueris sive distinctam in duas partes; ergo consequens est, ut haec attributio pariter neganda sint. Quae si complectimur, hoc habemus: homo et est homo et est non-homo, et non est homo et non est non-homo. Unde apparet nihil prorsus posse dicere, qui tollant principium contradictionis, *a* 2—7. Ad idem deducimur proxima argumentatione *a* 7—30, qua demonstrat, si quis universe tollat principium contradictionis et religiose omnibus de rebus non minus negationem valere contendat quam affirmationem, eum non posse alteram rem ab altera distinguere. Progreditur autem argumentatio per dilemmata. Qui tollunt principium contradictionis, ii aut omnibus in rebus simul contradictionem locum habere contendunt, aut non omnibus in rebus. Hoc si volunt, iam aliquid concedunt, quod fir-

mum sit et maneat; illud si tenent, aut cum affirmatione qualibet negationem coniungendam censent et vice versa, aut certe negationes quasdam esse concedunt, quas non sequatur necessario affirmatio. Hoc si concedunt, negationem dant certam ac firmam, unde, quoniam affirmans enunciatio natura et cognitione prior est negante (cf. An. post. I 25. 86ᵇ 34: *διὰ γὰρ τὴν κατάφασιν ἡ ἀπόφασις γνώριμος, καὶ προτέρα ἡ κατάφασις ὥσπερ καὶ τὸ εἶναι τοῦ μὴ εἶναι.* de interpr. 5. 17ᵃ 8 et Waitz ad h. l.), consequitur ut etiam affirmatio sit firma. Sin universe cum negatione affirmationem coniunctam contendunt et vicissim, aut distinctim negationem et affirmationem eidem rei tribui confitentur, aut non concedunt tribui nisi coniunctas. Iam qui coniunctas modo praedicari iubet affirmationem et negationem, is ne ea quidem dicit quae dicit (*οὐ λέγει τε ταῦτα* ᵃ21), quoniam simul negat quae dicit, neque esse quidquam permittit, *καὶ οὐκ ἔστιν οὐθέν.* At si ex hac sententia consequitur ut nihil omnino sit, quomodo quae omnino non sunt, veluti homines qui non sunt, tamen facere *quidquam* putemus, loqui procedere alia id genus (*τὰ δὲ μὴ ὄντα πῶς ἂν φθέγξαιτο ἢ βαδίσειεν* ᵃ22, *τὰ μὴ ὄντα* subiectum est enunciati). Item consequitur, quod antea iam dictum est 1006ᵇ 17, 1007ᵃ 6, ᵇ20, ut omnia sint idem. Sin distinctim tribui permittunt affirmationem et negationem, quoniam eas e i d e m rei tribui volunt, eadem inde efficiuntur, quae antea sunt exposita. Accedit quod ita infitiatores principii contradictionis et verum dicere omnes contendent et omnes, non reliquos modo, sed se quoque ipsos falli; quorum illud quidem per se manifestum est, siquidem de quavis re quidlibet et affirmari et negari iubent, hoc autem tum demum consequitur, si assumpserimus, verae affirmationis falsam esse negationem et vice versa, quam esse petitionem principii ipse paullo post in alia adversariorum refutatione confitetur, 1008ᵇ 1. Quod autem deinde obiicit adversariis, nulla de re cum iis posse disputari, nec petitionem principii continet et perquam manifestum est; quoniam enim definiunt nihil, ne praebent quidem quod vel probare vel impugnare alteri liceat. — In constituendo textu quod, ᵃ17 — 19, relicta Bekkeri recensione, quam subtili interpretatione Schw. ad

h. l. confirmare studet, codices praeter Ab omnes et Alexandrum secutus sum, ipsa sententiae ratione commendabitur, cf. Obs. p. 86; a22 lectio cod. Ab νοήσεως, ex qua Bk. coniecit νοήσειεν, manifesto emendationis prae se fert speciem; denique a25 εἰ γάρ, quod cum cod. Ab Bekkerus scripsit, aptius esse confiteor, sed nolui contra codd. omnium et praecipue Alexandri auctoritatem immutare eam particulam, quae ferri certe possit.

1008a 9, 34 φάσεις — ἀποφάσεις. Voc. φάσις distinguit quidem Aristoteles a κατάφασις cf. ad Θ 10. 1051b 24; saepe tamen, praecipue ubi opponitur ἀπόφασις, ita utitur voc. φάσις, ut idem significet ac κατάφασις, cf. praeter locos, quos Waitz ad Org. 32a 28 collegit, de int. 12. 21b 21. An. pr. I 17. 37a 12. 46. 51b 20, 33. 52b 22, 23. al.

1008a 34 ἔτι εἰ — b2 κείμενον. Veritatis in enunciatis oppositis distinctio, qua in hac argumentatione utitur, prope iisdem verbis legitur de int. 9. 18b 18. Contineri autem in ea id quod ab initio propositum erat ad demonstrandum, τὸ ἐξ ἀρχῆς κείμενον, verissime ipse monet; neque enim differt quidquam, utrum vera affirmatione negationem falsam esse, an non posse idem simul et affirmari et negari dixeris. Nec videtur, quae est Alexandri opinio p. 252, 5, consulto hanc petitionem principii posuisse Aristoteles, ut hanc rationem φυσικωτάτην καὶ φανερωτάτην esse significaret ac simul quid ei obiici posset concederet, sed quae est Aristotelis consuetudo, ut eiusdem rei plura argumenta alterum adnectat alteri, facile potuit vel invitus in eam incidere ratiocinationem, qua contineri petitionem principii ipse deinde cognosceret.

1008b 2 ἔτι ἄρα — 11 φυτῶν. Nec haec argumentatio novi quidquam affert, quod non iam in superioribus contineatur. Si eos demum verum dicere contendunt, qui cum affirmatione ubique coniunxerint negationem, qui fieri possit ut hae inter se coalescant explicandum est, nec provocari licet, quod Heraclitus fecit eiusque asseclae, ad rerum naturam, ita nimirum comparatam, ut haec sic fieri debeant; id enim fugientis est rationem, non reddentis. Sin verum dicere concedunt vel affirmantem vel negantem, definiti quidpiam concedunt nec sibi constant in impugnando principio

contradictionis. Denique si ex eorum sententia pariter omnes et falluntur et verum dicunt, omnis prorsus evanescit dicendi quidquam vel significandi facultas. Opinari aliquid ac simul non opinari eos, quibus haec placent, nihil impedit, at nihil vere statuunt apud animum (ὑπολαμβάνει cf. ad Α 1. 981a 7). Quod qui faciunt, nihil differunt a plantis, τῶν φυτῶν. Hoc enim vocabulum, φυτῶν, restituendum censui e coniectura pro lectione codicum absurda πεφυκότων, secutus et Alexandri commentarium p. 255, 17 et ipsa Aristotelis verba 1006a 14. cf. Obs. p. 87 sq.

1008b 13 ὅθεν — 31 ἀλήθειαν. Adversarii verbis quidem recusare possunt principium contradictionis, non re et agendo. Apparet enim eos cupere alia, alia fugere, unde consequitur ut hoc bonum illud malum, hoc hominem nec simul non-hominem, illud aquam nec simul non-aquam esse opinentur. Ergo de quibusdam rebus ἔχουσιν ἁπλῶς b 26, h. e. certi quidpiam vel affirmant vel negant, nec simul et affirmant et negant. Quod si hoc se opinari concedunt, scire infitiantur b 27, non incusanda est rerum natura, quae opinationem tantum permittat, sed enitendum ut a debilitate opinationis ad scientiae sanitatem evadant.

1008b 31 ἔτι εἰ — 1009a 5 ὁρίσαι. Licet quidlibet et sic et non sic se habere contendant, sunt tamen quae non pariter falsa esse non possint non concedere. Ergo si aliud alio minus est falsum, idem est magis verum, b 35: εἰ οὖν μὴ ὁμοίως (int. διέψευσται), δῆλον ὅτι ἅτερος ἧττον (int. διέψευσται), ὥστε μᾶλλον ἀληθεύει. At si quid propius ad veritatem accedere concedunt, esse aliquid verum per se, quo illud propius accedat, iidem necessario confitentur.

CAP. V.

Cum infitiatoribus principii contradictionis concinunt Protagoreae doctrinae asseclae, siquidem ab altera sententia necessario ad alteram devenitur, 1009a 6—16. *Sed in refutandis his adversariis probe distinguendum est, utrum dicis causa illud principium tollant, an ex animi sententia, dubitationibus quibusdam adacti*, a 16—22. *Duplex autem est in natura rerum sensibilium negandi prin-*

cipii contradictionis occasio. Alteri quod ex eadem re contraria progigni viderent, idem et esse et non esse censuerunt; quibus et opponenda est potentiae et actus distinctio, et persuadendum ut esse praeterea naturam immobilem statuant, a 22—38. *Alteri quod aliis alia de eadem re viderentur, neque esset cuius auctoritatem reliqui suspicerent, et quod in perceptione sensuum omnem contineri veritatem arbitrarentur, quae fere est veterum philosophorum sententia omnium, quod cuique videretur, id verum esse arbitrati sunt,* a 38—1010a 1. — *His igitur adversariis principii haec potissimum opponit: unice intentos rebus mutationi subiectis neglexisse eos et aeterna corpora coelestia et principium omnium rerum immobile,* a 1—7, 25—35; *deinde non distinxisse eos quantitatis mutationem a mutatione formae,* a 7—25, *ac negato quidem principio contradictionis tolli potius quam defendi mutationem,* a 35—b 1. *Tum quod verum esse censuerunt, quidquid cuique videretur, descripta subtilius sensuum vi et natura refellit,* b 1—1011a 2.

1009a 6 ἔστι δ' — 15 πάντες. Protagorae sententiam his verbis Aristoteles significat τὰ δοκοῦντα πάντα ἐστὶν ἀληθῆ καὶ τὰ φαινόμενα: distinctius fortasse dicere poterat τὸ δοκοῦντα καὶ τὰ φαινόμενα ἑκάστῳ ἀληθῆ ἐστιν αὐτῷ. cf. 6. 1011b 3. Plat. Theaet. p. 152a: οἷα μὲν ἕκαστα ἐμοὶ φαίνεται, τοιαῦτα μὲν ἔστιν ἐμοί· οἷα δὲ σοί, τοιαῦτα δὲ αὖ σοί. Quamquam hoc verborum magis est quam ipsius rei discrimen; utroque enim modo quidquam universe ac per se verum esse negatur, sed essentiae firmitas recidit in opinationis inconstantiam. Iam hanc doctrinam Protagoream concinere ait cum sublato principio contradictionis. Si enim cum Protagora verum esse statuimus quod cuique videtur, quoniam saepe de eadem re idem hic affirmat, ille negat, sequitur ut tollatur principium contradictionis. Sin principium contradictionis tollimus, incidimus in placita Protagorea. Verum enim et falsum ita fere distinguitur, ut ubi duo sunt inter se opposita, si alterum est verum, alterum sit falsum, τὰ ἀντικείμενα — ἀληθεύοντες a 13, 14. At si ea est rerum natura, ut opposita simul in eodem insint, εἰ οὖν ἔχει τὰ ὄντα οὕτως a 14, tollitur

veritatis et erroris discrimen, neque est cur alterum altero potius veritatem assecutum esse censeamus.

1009 a 15 ὅτι μὲν οὖν — 22 ὀνόμασιν. Protagoreis verbis utamur, an iis quae supra attulimus, in tollendo principio contradictionis nihil ad rem differt; illud autem, si quis refutare susceperit (τῆς ἐντεύξεως a 17, cf. ἀπάντησις a 20) illos principii infitiatores, probe est distinguendum, utrum ad negandum principium difficultatibus quibusdam adducti sint e rerum natura exortis an disputandi quadam petulantia (λόγου χάριν a 21, cf. 6. 1011 a 4. Phys. I 1. 185 a 6). Atque in his quidem adhibenda est vis et sanandus est sermo, illis removendae sunt et expediendae verae difficultates. Et in proxima quidem disputatione eos unice spectat, qui veris difficultatibus ut ita statuerent adducti sunt.

1009 a 22 ἐλήλυθε — 38 παράπαν. Ex natura mutationis hunc per syllogismum deveniat quispiam ad tollendum principium contradictionis. Ex eadem re diversa fieri per evidentiam sensuum constat; atqui quoniam ex eo, quod non est, non potest quidquam fieri (εἰ οὖν μὴ ἐνδέχεται γενέσθαι τὸ μὴ ὂν a 25, cf. K 6. 1062 b 24: τὸ γὰρ μηθὲν ἐκ μὴ ὄντος γίγνεσθαι πᾶν δ' ἐξ ὄντος, σχεδὸν ἁπάντων ἐστὶ κοινὸν δόγμα τῶν περὶ φύσεως. Phys. I 4. 187 a 33), quae ex aliqua re fiunt, ea fuisse in re oportet iam ante mutationem; ergo eidem rei contraria inesse putanda sunt. Contra hanc argumentationem, quacum videntur consentire Anaxagorae placita et Democriti, primum notionem δυνάμεως affert, qua quidem notione Aristoteles omnes superiorum philosophorum dubitationes e natura mutationis manantes, solvisse sibi videtur cf. Phys. I 8. 191 b 27—34; hac usus distinctione potentiae et actus ἔστιν ὃν τρόπον ἐνδέχεται (quod illi nimirum negaverant) γίγνεσθαι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος (nempe ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἐνεργείᾳ, ὄντος δὲ δυνάμει), ἔστι δ' ὃν οὔ (i. e. ἐκ τοῦ μὴ ὄντος μηδαμῶς), καὶ ἅμα τὸ αὐτὸ εἶναι καὶ ὂν (δυνάμει) καὶ μὴ ὂν (ἐνεργείᾳ), ἀλλ' οὐ κατὰ ταὐτὸ ὂν κτλ. Deinde, id quod infra pluribus exponit 1010 a 25—35, non omnes res mutationi esse obnoxias, sed esse etiam quae inde exemtae sint contendit, unde consequatur, licet illius argumentationis veritatem largiamur, non prorsus tamen et universe tolli posse principium contradictionis.

1009a 38 ὁμοίως — 1010a 1 ἀλήθειαν. Pariter etiam eos, qui quidquid cuique videatur id verum esse statuunt (ἡ περὶ τὰ φαινόμενα ἀλήθεια b 1), sensibilium rerum natura in hunc errorem deductos dicit. Nimirum de eadem re sensibili alii aliud statuunt, secuti illi pariter sensuum perceptiones; ex quibus quid sit verum, quum non possit maiore vel minore suffragantium quasi numero decerni, quilibet idem ius veritatis sibi vindicat, et quidquid cuique videtur, id verum esse statuendum est. (De Democriti sententia b 11 cf. Mullach Democr. p. 415.) Huic rationi a scepticis philosophis omni tempore multum frequentatae (cf. Sext. Emp. Pyrrh. hyp. I 40 sqq.) aliam addit Aristoteles magis universalem. Veteres philosophi, ait, idem esse censuerunt αἴσθησιν ac φρόνησιν: atqui φρόνησις, hoc enim tamquam notum ex aliis Aristotelis libris addendum est, veluti Eth. N. VI 3. 1139b 16, in iis est animi virtutibus, quae exemtae ab errore unice verum cognoscant; αἴσθησις autem conficitur ἀλλοιώσει (cf. de somniis 2. 459b 4, de motu an. 7. 701b 16. de an. II 5. 417b 34 et Trendel. ad h. l.) h. e. mutatione et rerum perceptarum et sensus percipientis et utriusque vario concursu. Inde efficitur, ut qui αἴσθησιν idem esse censeant ac φρόνησιν, ii, quaecunque in hac rerum ac sensuum mutatione offeruntur species, eas omnes pro veris habeant. Ac fuisse quidem in ea opinione, qua αἴσθησις et φρόνησις confundantur, Empedoclem Parmenidem Anaxagoram, illorum versibus, huius voce quadam confirmare studet. Cf. Emped. fragm. ed. Sturz v. 321 sqq. Parm. ed. Karsten v. 145 sqq. Empedoclis versus eosdem de eadem re adhibitos legimus de an. III 3. 427a 23, sed quomodo explicandi sint, iam a veteribus interpretibus dubitatum est, neque equidem eam difficultatem plane expedire posse mihi videor. Verba enim πρὸς παρεόν interpretes quod sciam omnes ad res sensibus oblatas referunt (cf. Alex. p. 293, 6. Philop. ad l. l. Sturz p. 497. Trendel. de anim. p. 450. Brandis Gesch. I. p. 220 k); eas res modum quasi esse et mensuram, ex qua augeri vel, ut apte Philoponus interpretatur, ἐνεργεῖν dicant cognitionem. Facilem illam et in promptu esse explicationem, fortasse etiam veram, non negaverim, sed Aristotelem certe aliter illum ver-

sum intellexisse persuasum habeo. Confirmare enim vult hoc versu, mutata animi conditione (μεταβάλλοντας τὴν ἕξιν) mutari simul sensuum perceptiones, et eadem vi postea affert ὅσσον ἀλλοῖοι μετέφυν: itaque quum eundem in modum intelligi velit μεταβάλλοντας τὴν ἕξιν et πρὸς παρεόν et ὅσσον ἀλλοῖοι μετέφυν, verba πρὸς παρεόν ita potius videtur accepisse: pro eo statu animi, qui cuique adest. Quae quidem explicatio Aristotelis utrum vera sit an praeferenda potius interpretum sententia, tum demum decerni liceret, si universum disputationis poeticae ordinem cognitum haberemus; sed ille versus non est traditus nisi ab ipso Aristotele eiusque interpretibus, et seiunctus quidem a reliquis. — Ad eandem sententiam pertinent versus Parmenidei 145—148 Kst. (de quorum textu cf. Brandis et Kst. ad h. v.), quibus e temperie corporis constitui dicit Parmenides cognitionis naturam; illud enim ipsum, quo compleatur et conficiatur corpus (τὸ πλέον i. e. τὸ ἔμπλεων cf. v. 79, 123 Kst., alii significari putant plus vel plurimum vel potentius, cf. Brandis Gesch. I. p. 392. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 57), esse cogitationem. — Quod autem Homerus in eadem fuisse opinione perhibetur, ea si qua est explicandi subtilitas non est tribuenda Aristoteli, qui et per verbum φασί manifesto alios huius explicationis auctores respicit, et alibi talia quaerere recusat *A* 3. 983*b* 33. In nostra autem Homerici textus recensione non legi illum versum ab Aristotele laudatum, et ubi eum lectum esse antiquitus verisimile sit, exponit Trendel. de anim. I 2. 404*b* 29, ubi idem versus Homericus adhibetur. cf. Polit. III 14. 1285*a* 13. VIII 3. 1338*a* 25 et interpr. ad h. l. — Ceterum quod Aristoteles Empedoclem Parmenidem Anaxagoram idem statuisse dicit αἴσθησιν et φρόνησιν, sensuum perceptionem et cognitionem rationalem, cavendum est ne eius auctoritati nimium fidei habeamus. Anaxagorae modo vocem quandam affert, quam licet largiamur id continere, quod inde vult colligere, id quod equidem non posse concedi arbitror, quam nihil ex tradita eiusmodi per famam voce concludi debeat manifestum est. Parmenidem, qui sensuum evidentiam tantopere contempserit, ut caecos et surdos existimaret qui sensibus potius quam rationi confisi mutari

quidquam opinarentur, hunc igitur Parmenidem αἴσθησιν et φρόνησιν inter se confudisse, credi plane nequit; nimirum illi versus ex ea sunt carminis parte, qua τὰ πρὸς δόξαν exponit philosophus et obtemperans vulgatis opinionibus veritatem assequi ne ipse quidem sibi videtur. Nec multum diversa Empedoclis ratio, qui quae manifestissima sunt sensibus et omni dubitatione vacua, generationem et interitum, ea agnoscere pro veris recusat, contra vero quae nullo possunt sensu percipi nihilo tamen secius esse contendit. Itaque parum considerate Aristoteles versus quosdam utriusque philosophi ad hanc detorsisse videtur sententiam; nimirum vocabulum φρονήσεως ipse, quo utitur in nominibus usurpandis iure, in eos descripserat angustiores fines, ut significaret genus quoddam rationis et cognitionis errore exemtum; iam ubi illud vocabulum legitur apud philosophos superiores, ex hac sua significatione, non ex vulgari Graecorum usu illorum sententiam explicat.

1010a 1 αἴτιον δὲ — 35 αὐτούς. Ut esse idem et simul non esse quidam statuerent, hoc in causa fuit, ait Aristoteles, quod, quum veritatem investigarent, unice sensibiles res vere esse iudicaverunt, in iis autem multum inest indefiniti, multa insunt, quae potentia tantum sunt, non actu (τοῦ ὄντος οὕτως ὥσπερ εἴπομεν a 4, cf. 1009a 32). Idcirco licet vera non dicant, tamen non ea opprobria in eos sunt coniicienda, quibus Epicharmus Xenophanem insecutus est (quae quidem qualia fuerint, incertae est coniecturae relinquendum. cf. M 9. 1086a 16. Stallb. ad Plat. Theaet. 152e. Hermann Plat. Syst. I. p. 305. Grysar Dor. com. p. 115), nam speciem certe veritatis eos assecutos esse confitendum est, εἰκότως λέγουσι a 5. Iam quum mutationis potissimum natura in causa fuerit, ut quidam principium contradictionis et omnem prorsus veritatis constantiam tollerent, de mutatione paullo subtilius disputat. Alibi Aristoteles difficultates, quae veteribus philosophis vel invitis subortae erant e mutatione, expedire omnes sibi videtur illatis potentiae et actus, materiae et formae distinctionibus, cf. Phys. I 8 et ad 1009a 32, hoc autem loco ubi id agitur, ut ne per mutationem definita sibique ipsa constans veritatis natura tolli videatur, alia ratione utitur; ipsam enim mutationem redi-

gere studet in certos ac firmos essentiae fines. Id quod mutatur, ait, tum quum maxime mutatur, rationem sane praebet (ἔχει λόγον a 16, cf. B 2. 996b 9), cur de eo quidquam vere praedicari negetur, quamquam inest dubitatio haud negligenda. Nam quum maxime mutatur quidpiam, oportet et esse aliquid reliqui ex iis, quae mutando abiicit, et esse iam aliquid ex iis, quae nova suscipit. Ac si quid interit, oportebit esse etiamtum id quod interit (ὑπάρξει τι ὄν a 20), alioquin interiisset iam, non interiret; sin generatur, esse oportet et id unde oritur et id quo spectat generandi mutatio. Mutationis igitur varietate minime tollitur essentiae constantia. Deinde licet quantitatem mutari continuo largiamur, forma tamen ac species manet, et ex ea quidem res omnes cognoscimus. Tum etiamsi non alias nisi sensibiles res vere esse agnoscunt, καὶ αὐτῶν τῶν αἰσθητῶν a 26, non negligendae erant res sensibiles aeternae et immutabiles, cf. ad A 9. 991a 9, quae ipso numero tantum superant mutabilium rerum numerum, ut eas plus in ferendo iudicio valere oporteat; at non esse solas res sensibiles, sed esse etiam substantiam aeternam et incorpoream, adversarii ut concedant convincendi sunt (ταὐτὰ τοῖς πάλαι λεχθεῖσιν ἐροῦμεν a 33, cf. 1009a 36). — His igitur rationibus Aristoteles removisse sibi videtur eas causas, quae quosdam ad recusandum principium contradictionis impellerent; quae quam non sufficiant in promptu est intelligere. Ac primo quidem argumento quod mutationem ad essentiam redigere studet, facile est videre eum, dissecta in partes quasdam mutatione, ea spectare, in quibus vel coepta nondum sit vel iam absoluta mutatio, nec vero ipsum illud, quod mutatur, quatenus mutatur. Altero argumento quod speciem ac formam rerum ac per eam certum cognitionis fundamentum manere contendit, confitendum quidem est, in nullo mutationis genere ex Aristotelis decretis ipsam formam vel fieri vel mutari, sed ita non sublata est, verum translata in alium locum dubitatio de mutatione. Reliquis argumentis quod in angustiores fines mutationis ambitum studet includere, nihil videtur ad refutandos adversarios efficere; sive enim latius patet mutatio sive minus late, quatenus invenitur, eatenus principium contradictionis tamquam

universale principium tollit; propositio enim universalis unius propositionis singularis instantia tollitur. His scopulis hoc loco, ubi mutationis mentio necessaria non erat, propterea illidit Aristoteles, quia principium contradictionis non de notionibus, sed de rebus valere posuit, cf. ad 3. 1005b 19 sqq. — a 14 *δίς — ἐμβῆναι*. Cf. locos laudatos a Brandisio Gesch. I. p. 155. — a 12 *Κράτυλος*. Cf. lepidam Heracliteorum descriptionem apud Plat. Theaet. p. 179. — a 22 *εἶναι εἰς ἄπειρον*. Lectionem quam et libri manuscripti omnes exhibent et Alexander confirmat p. 266, 12 retinere malui, quam Bekkeri coniecturam *ἰέναι* recipere. Frequentissimum sane apud Aristotelem est *εἰς ἄπειρον ἰέναι, βαδίζειν, προϊέναι*, sed legitur tamen *εἰς ἄπειρον εἶναι* Polit. I 9. 1258a 1: *εἰς ἄπειρον οὖν ἐκείνης τῆς ἐπιθυμίας οὔσης* (cf. v. l. ad α 2. 994a 3), et Λ 8. 1074a 29, ubi *εἰς ἄπειρον* elliptice usurpatur, vix aliud quidquam nisi v. *εἶναι* suppleveris.

1010a 35 *καίτοι συμβαίνει* — b 1 *πᾶσιν*. Mutationem ut possint explicare, sunt qui principium contradictionis tollant. Sed ipso hoc principio sublato inviti eo adiguntur, *καίτοι συμβαίνει* a 35, cf. ad Α 8. 989a 22, ut mutationem nullam esse confiteantur; quoniam enim ex eorum placitis omnibus rebus omnes inesse censentur qualitates, non est in quam per mutationem transire possint.

1010b 1 *περὶ δὲ* — 30 *οὕτως*. Quod Protagorei contendunt verum esse quod cuique de qualibet re videatur (*περὶ δὲ τῆς ἀληθείας* b 1), hoc placitum in fines longe artiores est restringendum; illud enim vere contendi licet, sensum quemlibet non falli in percipiendis rebus ipsi proprie subiectis, at phantasia, quam Protagorei, quum *τὸ φαινόμενον* dicunt verum esse, veritatis faciunt iudicem ac testem, differt a sensu. (Hunc in modum accipienda arbitror verba *πρῶτον μὲν — αἰσθήσει*, quae propterea aliquam habent obscuritatem, quia refutationi interposita est argumentatio adversariorum. Plenius videtur ita fere dicendum fuisse: *πρῶτον μὲν εἰ τοῦτο λέγουσι τεκμήριον, ὅτι καὶ ἡ αἴσθησις τοῦ ἰδίου οὐκ ἔστι ψευδής, ἀλλ' ἀπαντητέον ὅτι ἡ φαντασία οὐ ταὐτόν ἐστι τῇ αἰσθήσει*. Alexander p. 268, 30 dubito an paullo diversum ab hoc habuerit textum, fortasse

ὅτι οὐδ' εἰ ἡ αἴσθησις μὴ ψευδὴς τοῦ ἰδίου ἐστίν, ἀλλ' ἡ φαντασία οὐ ταὐτὸν τῇ αἰσθήσει, unde longe dilucidior exsisteret argumentandi ratio.) Sensus quomodo dicendus sit non falli ἐν τοῖς ἰδίοις, et haec ἴδια quid differant a τοῖς κοινοῖς, Aristoteles exponit de anim. II 6. cf. Trend. ad h. l. et III 3. 427b 12. de sens. 4. 442b 8; de phantasia cf. de an. III 3 et ad Α 1. 980b 26. Itaque tantum abest, ut phantasia pro teste veritatis possit haberi, ut ne sensui quidem universe ac per se haec possit auctoritas tribui, sed unice in rebus proprie cuique subiectis. Neque aliud quidquam quam hariolantur, quum ex diversitate eorum, qui quid sensibus percipiunt, dubitationem repetere videntur, et quoniam de eadem re aliud percipiunt dormientes aliud vigilantes, aliud aegroti aliud sani, propterea diversa pariter vera esse autumant; hanc enim dubitationem dicendo quidem exornare, cogitando autem et agendo probare nemo potest; nemo enim dormientis somnia praefert vigilantium perceptioni, nec ignari hominis opinioni de morbi alicuius exitu (περὶ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι ὑγιοῦς b 13, i. e. num quis sit sanitatem recuperaturus) tantum tribuit, quantum sententiae medici b 3—14. Cf., quem Aristoteles manifesto respicit b 12, Plat. Theaet. 178 c. 171 e. — Item altera dubitatio, quam ex diversitate ipsorum sensuum repetunt, simulata modo et in speciem quandam exornata est, non vera; nemo enim dubitat, quin de qualibet re plus tribuendum sit ei sensui, in cuius illa est ditione et imperio, quam alii, vel quin verius res percipiatur modico interiecto intervallo inter ipsam et sensum, quam nimio. (Verba ἢ τοῦ πλησίον καὶ τοῦ αὐτῆς b 16 iam Alexandri aetate eadem apparet corruptela inquinata fuisse, quae adhuc textui inhaeret; scriptum fuisse ab Aristotele eiusmodi quidpiam: ἢ τοῦ πλησίον καὶ τοῦ ἄποθεν ex sententiae ratione manifestum est, sed de ipso vocabulo in textum reponendo nihil ausim affirmare.) Iam vero sensus quilibet intra eos fines, intra quos unice veritatis iudicium ei potest tribui, h. e. ἐν τοῖς ἰδίοις, nunquam de eadem re idem simul affirmat et negat: itaque ex sensuum perceptionibus, in quibus haerent Protagorei, illud non potest confici re diligentius excussa, ut principium contradictionis tollendum videatur. Quid quod

vel illud simul omittere licet, nam nec diverso tempore sensus de ipsa affectione, quam percipit, veluti de natura dulcis amari similium, diversa profert, sed tantummodo de rebus, quibus inhaerent illae affectiones. Vinum sane idem modo dulce potest esse modo amarum; sed ipsa dulcedinis natura eadem semper est, et vere semper ac constanter sensus praecipit, quale necessario id debeat esse, quod dulce videatur, *ἀεὶ ἀληθεύει περὶ αὐτοῦ* (int. *ὅτι τοιοῦτόν ἐστι τὸ γλυκύ, οἷόν περ ἐστί*), *καὶ ἔστιν ἐξ ἀνάγκης τὸ ἐσόμενον γλυκὺ τοιοῦτον.* At illi Protagorei, ut substantiam eximunt e natura rerum, cf. ad 4. 1007a 29 sqq., ita omnem tollunt cogitandi necessitatem. — Atque hac quidem argumentatione b19—30 Aristoteles ad veram principii contradictionis formulam accedit, in quo nimirum non rei ac temporis, sed notionis ponenda est identitas.

1010b 30 *ὅλως τ'* — **1011a 2** *ἧττον.* Ex Protagorae placitis, *εἴπερ ἔστι τὸ αἰσθητὸν μόνον* b30, consequens est, ut nihil sit, nisi exstiterit qui illud percipiat. Atque illud quidem verum est, sensuum perceptiones et res sensibiles, quatenus sunt sensibiles, non esse nisi fuerint qui eas sentiant, ipsas vero res subiectas sensui manere oportet etiam sublato sensu; cf. Cat. 7. 7b 35. 8a 8. Argumentum idem fere est ac quod supra exposuit, substantiam tollere eos qui principium contradictionis agnoscere recusent, 4. 1007a 20 sqq. 5. 1010b 27.

CAP. VI.

Qui in diversitate perceptionum sensuum quaerunt, quis sit de veritate et errore iudicaturus, ii quidem ipsum demonstrandi principium volunt demonstrari, 1011a 3—16. *Quod cuique videtur, id non est simpliciter, sed est illi cui videtur et quando et quatenus videtur,* a17—b7, *ita vero quum ad relativam naturam detrudunt omnia, ne eam quidem constanter possunt tueri,* b7—12. *Ex principio contradictionis sequitur, ut nec contraria eidem rei tribui possint,* b13—22.

Hucusque in confirmando principio contradictionis Aristoteles vel potissimum vel unice eos respexerat principii

adversarios, qui veris dubitationibus ad negandum principium adducti essent neque tantum dicis causa ei obsisterent; hac autem in parte 6. 1011 a 3—b 12, quae quasi cumulus quidam ad universam disputationem accedit, liberiore usus ratiocinandi ordine et ab emendanda et stabilienda adversariorum sententia (a 21—b 3) ad impugnandam rursus transgressus, et eos qui serio rem agunt, et eos qui dicis causa in ea versantur et ut argumentorum vi convincantur postulant (ἐν τῷ λόγῳ τὴν βίαν μόνον ζητοῦντες a 15, 21), pariter utrosque respicit.

1011 a 3 εἰσὶ — 16 λέγοντες. Eandem fere dubitandi causam supra attigit 5. 1009 b 2—6. Talia autem qui dubitant, quoniam in quaestionem ea vocant quae per se sunt certissima et omni exemta dubitatione, eos id agere apparet, ut nihil admittant, quin rationibus et argumentis demonstratum sit. At nimirum si quid omnino volumus demonstrari, esse quaedam oportet, quae nulla demonstratione egeant, sed per se certa sint, cf. ad *B* 2. 997 a 7. Quare qui re vera dubitando et quaerendo in hunc errorem delati sunt, facile intelligent (ἔστι γὰρ οὐ χαλεπὸν λαβεῖν a 14) ipsa demonstrandi principia sine demonstratione certa esse. Qui autem dicis causa ea proferunt et ut convincantur postulant, ii quidem ἀδύνατον ζητοῦσιν, ἐναντία γὰρ εἰπεῖν ἀξιοῦσιν (i. e. ἀξιοῦσι τὸν ἐλέγχοντα δεῖξαι ὅτι ἐναντία εἶπον, vel ut ait Alex. p. 276, 2: ἀξιοῦσιν εἰς ἀντίφασιν περιαχθῆναι), εὐθὺς ἐναντία λέγοντες: nimirum qui absurdissimum pro principio (εὐθύς) ponunt, ii profecto cavent, ne deduci possint ad absurdum.

1011 a 17 εἰ δὲ — b 7 δόξαν. Qui principium contradictionis tollunt, ii ut sublata substantia omnia accidentium loco habenda sint efficiunt, cf. 4. 1007 a 20 sqq. Similiter qui, quaecunque cuique videntur, ea vera esse volunt, quoniam, quae videntur, necessario alicui videntur, substantiam tollunt et omnia ad relationem detrudunt. Quare si non omnia sunt relativa, probari non potest quod Protagorei contendunt, verum esse quod cuique videatur. Quodsi Protagorei sententiae suae rationem reddere suscipiunt et provocare alios ut sese argumentis redarguant, ne statim sibi repugnent ipsi, relativam veritatis, quam contendunt, natu-

ram subtilius debent definire. Neque enim possunt dicere τὸ φαινόμενον ἔστιν, sed τὸ φαινόμενον ἔστιν, ᾧ φαίνεται καὶ ὅτε φαίνεται καὶ ᾗ φαίνεται καὶ ὡς φαίνεται. — Extremis duobus adverbiis ᾗ et ὡς a 24 Aristotelem idem significare in hac formula diligenter et subtiliter descripta non crediderim; quomodo eorum vim distinxerit, quamquam pro certo contendi vix potest, probabile tamen videtur adverbio ᾗ sensuum diversitatem significari, et adverbio ὡς alias res quae in rebus percipiendis discriminis quidpiam afferunt, veluti intervallum loci ac similia. — His igitur additamentis, ᾧ, ὅτε, ᾗ, ὡς, opus est, si Protagoreae doctrinae fautores suae velint sententiae rationem reddere; etenim (ἐπεὶ a 28) ea si addiderint, contra eos certe, qui propter causas antea expositas (cf. 5. 1009 b 1 sqq.) quod videatur cuique verum esse ideoque omnia iuxta vera et falsa esse contendunt, facile possunt suam defendere sententiam; licet enim de eadem re aliis alia videantur, at certe non eidem sensui, eodem tempore, eadem ratione de eadem re diversa videntur. — Addidi in explicandis his verbis ad πρός γε τοὺς κτλ. eiusmodi aliquid ut ῥᾳδία ἡ ἀπάντησις, cf. Alex. p. 278, 20—22, non quod vere aliquid omissum putarem, sed ut facilius verba interpretari possem; frequens enim est et apud Graecos et apud Latinos ea loquendi brevitas, ut omittant id quod exspectes «dici potest» vel «dicendum est», et continuo id ipsum subiiciant, quod est dicendum. Cf. Naegelsbach lat. Stil. §. 151, 1. Hac ratione cum verbis πρός γε τοὺς κτλ. coniungenda sunt ἀλλ' οὔτε τῇ αὐτῇ γε κτλ. Seiungenda ab his et, quo facilius verborum conformatio perspiciatur, parenthesi includenda ea sunt, quae in medio sunt posita οὔτε γὰρ ἅπασι — ἡ δ' ὄψις ἕν. Etenim his verbis non exponi, quid responderi possit illis viris, πρός γε τοὺς — φάσκοντας, sed eorum ipsorum explicari et confirmari iudicium, et ex forma enunciati apparet, siquidem infinitivo φαίνεσθαι explicat τὰς πάλαι εἰρημένας αἰτίας, et ex ipsa verborum sententia facile cognoscitur. — Quodsi illis additamentis, ᾧ, ὅτε κτλ. diligentius suae sententiae fines circumscripserint, aperte confitentur, se substantiam agnoscere nullam sed omnia ad relativum genus deprimere. Non posse autem hoc vere statui, comprobat

per eam consequentiam quam inde repetit b5 ὥστ' οὔτε γέγονεν — 7 δόξαν: fiunt multa praeter opinionem; sed id fieri non posset, si omnia eatenus modo essent, quatenus quispiam ea esse opinaretur.

1011a 33 ἐν τῇ ἐπαλλάξει τῶν δακτύλων. Eandem sentiendi fraudem significat de insomn. 2. 460b 20: καὶ τῇ ἐπαλλάξει τῶν δακτύλων τὸ ἓν δύο φαίνεται, ἀλλ' ὅμως οὔ φαμεν δύο· κυριωτέρα γὰρ τῆς ἁφῆς ἡ ὄψις. Quae quidem fraus qualis sit facillime cognoscitur ex Probl. 35, 10. 965a 36: διὰ τί τὸ περιαγόμενον ἐναλλὰξ τοῖς δακτύλοις δύο φαίνεται; ἢ διότι δυσὶν αἰσθητηρίοις ἁπτόμεθα; 31, 11. 958b 11: διὰ τί τοῖς διϊσταμένοις δύο φαίνεται; ἢ διότι οὐκ ἀφικνεῖται ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον ἑκατέρου τῶν ὀμμάτων ἡ κίνησις; ὥσπερ οὖν δύο ὁρᾶν τὸ δὶς ὁρᾶν οἴεται ἡ ψυχή, ὅμοιον καὶ ἐπὶ τῶν δακτύλων τῆς ἐπαλλάξεως· δύο γὰρ τὸ ἓν δοκεῖ ὡς δὶς ἁπτομένῃ ἑνί. cf. 31, 17. Nimirum si quis implicatis inter se duobus digitis globulum inter extremos digitos circumagit, duo sibi videtur globulos circumagere quum unum circumagit; etenim contrariam per utrumque digitum rotationem percipit.

1011a 34 ἀλλ' οὔτε κτλ. Particula οὔτε quo referatur non video, siquidem quum saepius deinde καί legatur, cum nullo tamen οὔτε recte posse coniungi apparet. Exspectes potius eiusmodi particulam negativam, quae simul asseverationem quandam contineat. Itaque quum in cod. Ab exhibeatur οὔ τι et apud Alex. p. 279, 22 in cod. M legatur οὔτοι, non improbabile videtur scriptum fuisse ab Aristotele οὔτοι.

1011b 7 ἔτι — 12 δοξάζον. Quid sequatur absurdi exponit, si sublata substantia omnia πρός τι esse dicantur, inde profectus, quod relativum relationem habet non ad quidlibet aliud, sed ad certum quoddam unum vel ad certa quaedam determinata numero. Hoc nisus fundamento, quod quidem e natura relationis per se certum est, duplici utitur ratiocinatione. Primum hac: opponuntur et distinguuntur inter se tamquam relativa τὸ δοξάζον et τὸ δοξαζόμενον: atqui homo ex opinione eorum, qui omnia πρός τι esse volunt, eatenus est quatenus δοξάζεται, vel τὸ εἶναι ἐν τῷ δοξάζεσθαι habet; ergo homo non esse potest τὸ δοξάζον. Hanc

argumentationem facile evitant, qui et relinquunt et ab accidentibus et relationibus distinguunt substantiam, non possunt effugere, quibus ipsa rei essentia in relatione continetur. Huic instantiae argumentationem addit magis universalem: quoniam omnia ita demum sunt et id sunt, quod putantur esse, vice versa opinio ad res non modo numero infinitas, sed item specie inter se diversas referenda erit; id vero repugnat naturae relationis antea expositae. — b 12 πρὸς ἄπειρα ἔσται, quod ex Alexandro et cod. Ab recepi pro vulgato ἄπειρα ἔσται, ita confirmatur coll. b 7 εἰ ἕν, πρὸς ἓν ἢ πρὸς ὡρισμένον, ut vel invitis codd. de coniectura restituendum fuerit.

1011b 13 ὅτι μὲν — 22 ἁπλῶς. Si ea, quae contradictorie opposita sunt (τὰς ἀντικειμένας φάσεις cf. Waitz Org. I. 11b 16), non possunt de eadem re vere praedicari, id quod antea pluribus comprobatum est, inde apparet, nec contraria vere posse praedicari de eadem re. Quae enim tamquam contraria sibi opponuntur, eorum alterum formae sive substantiae locum obtinet, alterum, natura deterius et inferius, privationis habet naturam: θάτερον στέρησίς ἐστιν οὐχ ἧττον (int. ἢ ἐναντίον), οὐσίας δὲ στέρησις, ac privatio quidem substantiae sive τοῦ εἴδους, privatio autem negatio est certa quadam ratione determinata, nimirum negatio certi cuiusdam generis (cf. ad Δ. 1004a 12 sqq.); ergo si negatio omnino non potest simul cum affirmatione praedicari, ne hoc quidem genus negationis, quod privationis nomine significatur, simul cum contrario potest praedicari. — Quod ἡ δὲ στέρησις recepi sensu flagitante, eosdem sum auctores secutus Alexandrum et cod. Ab.

CAP. VII.

Principium exclusi medii variis rationibus confirmatur, 1011b 23—1012a 17. *Quibus rebus ad neganda principia quidam inducti sint explicatur*, a 17—28.

Principium exclusi medii ut Aristoteles non una ac simplice argumentatione comprobaret, repetita nimirum ex ipsa natura negationis, sed compluribus rationibus confirmare studeret et aliena quaedam his argumentis immisceret, eo vi-

detur effectum esse, quod principio exclusi medii perinde ac principio contradictionis non tam notionum coniungendarum legem, quam ipsarum rerum naturam contineri arbitratur, cf. ad 3. 1005b 19.

1011b 25 δῆλον — 29 μὴ ὄν. Demonstratio petitur ex ea quam ponit notione veritatis. Verum is dicit, qui ens esse et non-ens non esse dicit, fallitur qui secus statuit. Iam si quis medium statuit inter contradictoria, h. e. aliquid quod nec ens est nec non-ens, sive hoc esse dicit sive non esse, nec verum dicit nec fallitur; quod manifestum est ex posita veritatis notione. Ergo concedi non potest esse aliquid, quod nec ens sit nec non-ens. — τοῦτο b 28, quod ex Alexandri auctoritate p. 287, 1 in textu posui, ad sententiam necessario requiritur. Nam si omiseris illud τοῦτο, supplendum est pronomen indefinitum τι, et verba ὥστε — ψεύσεται nihil aliud significant, nisi verum dicere vel falli, qui quid vel affirmet vel neget; at si addideris τοῦτο i. e. τὸ μήτε ὂν μήτε μὴ ὄν, veritatis notio adhibetur ad illud quod ponitur medium esse inter contradictoria. Adhibenda esset (ἀληθεύσει ἢ ψεύσεται, futurum conditionale cf. Obs. p. 62), ait Aristoteles, illa lex veritatis etiam in eos, qui medium quid esse volunt inter contradictoria; at non potest adhiberi (ἀλλ' οὔτε κτλ.), quia nec ens nec non-ens subiectum est propositionis, quod requiritur in notione veritatis. — Admodum dilucide Alexander hoc argumentum exposuit p. 287, 6 sqq.

1011b 29 ἔτι — 1012a 1 ὁρᾶται. Quaeritur quale sit illud μεταξὺ τῆς ἀντιφάσεως, et per dilemma omnino non esse demonstratur. Illud medium, ait, quod inter contradictoria esse volunt, aut ex eodem genere est petitum, quod fit in mediis inter contraria, veluti fuscum medium est inter nigrum et album, aut ex alio genere, veluti si canis medius esse dicatur hominis et equi, quia nec homo est nec equus. Hoc si ponimus, eiusmodi medium, genere diversum, non mutari in alterutrum e contradictorie oppositis apparet; at manifestum est (φαίνεται cf. ad A 6. 988a 3) omnem mutationem in iis cerni rebus, quae vel oppositae inter se sunt vel mediae inter oppositas. Sin autem ponunt illud medium esse eiusdem generis, esse igitur τὸ κυρίως μεταξύ

(hoc enim dicit verbis εἰ δ' ἔστι μεταξύ a35), et hanc esse volunt rationem contradictionis, tale quidem medium per mutationem abiret in ea opposita, quorum est medium. At si medium inter album et non album, h. e. id quod nec album est nec non album, mutaretur in album, consequens inde esset, fieri aliquid album non ex non albo, quod notioni mutationis repugnat. Ergo quoniam neutro modo cogitari potest illud medium, omnino non esse statuendum est. — Secutus sum in explicando hoc loco lectionem ab Alexandro traditam p. 288, 10—14: εἰ δ' ἔστι μεταξὺ καὶ οὕτως ἡ ἀντίφασις, εἴη ἄν τις κτλ. Videtur enim ex hac pleniore scriptura propter similitudinem verborum ἡ ἀντίφασις et εἴη ἄν τις pariter et cod. A^b et reliquorum librorum lectio facile explicari posse. Accedit quod in vulgata scriptura, ubi καὶ οὕτως ad apodosin trahendum est, parum apte dictum videtur «sic etiam fiat album non ex non albo»; neque enim, quod ex his verbis iure colligas, ex altero dilemmatis membro idem concluserat Aristoteles. Quamquam hoc quidem confitendum est, etiamsi Alexandri lectionem receperimus, alterum τοῦ μεταξύ genus ita describi, ut divinari magis quam cognosci possit. — Universa autem argumentatio admodum est artificiosa. Primum enim nihil refert quaerere, quale sit illud, quod omnino non esse demonstrari potest. Deinde mutationis notio huc adhibetur parum apte, quoniam ad perspiciendam ipsam vim ac naturam illius principii haec notio minime requiritur. Denique, in quo videtur fallacia inesse argumenti, illa lex mutationis: πᾶσα μεταβολὴ ἢ εἰς τὰ ἀντικείμενα ἢ εἰς τὰ μεταξύ, quum pertineat ad τὰ ἐναντίως ἀντικείμενα et ad τὰ μεταξὺ τῶν ἐναντίων, hic refertur ad τὰ μεταξὺ τῶν ἀντιφατικῶς ἀντικειμένων, quasi nullum intercedat discrimen.

1012a 2 ἔτι — 5 ψεύδεται. Quidquid mente percipimus, non alia actione vel verum assequimur vel in errorem incidimus, nisi affirmando et negando. Ergo tertium quidpiam, diversum ab utroque, quod medium intercedat inter affirmationem et negationem, omnino non datur. Ratiocinatio, et ipsa ducta e notione veritatis, vix differt ab argumento primo et simillima est argumento septimo. Alexander ad h. l. sententiam huius argumentationis subtilius

constituit et artificiosius, quam verius; ea enim suppleri iubet, quae dubito num vel Aristotelis breviloquentiae concedantur. — τὸ διανοητὸν et τὸ νοητόν coniunxit Aristoteles, ut universum cognoscendi et cogitandi ambitum complecteretur; illud enim discursivum, hoc contemplativum, quod nostrates nunc dicunt, cognoscendi genus significat, cf. Θ 10. Ita horum verborum discrimen recte explicat Alex ad h. l. Trendel. de an. p. 272. Waitz Org. II. 71a 1.

1012a 5 ἔτι — 9 ἔσται. Ad absurdum deducimur, si, quod facere a defensoribus illius sententiae iubemur, inter quaelibet contradictoria medium quidpiam intercedere censemus. Consequitur enim ut medium quoddam intercedat inter verum et falsum, item inter ens et non-ens, unde rursus fit ut, quum generatio sit mutatio ex non-ente in ens, interitus contra ex ente in non-ens, tertia esse debeat mutatio substantiae; hoc enim mutationis genus dicit, quamquam communi μεταβολῆς nomine utitur. Utrumque absurdum esse tamquam suapte natura manifestum sumit.

1012a 9 ἔτι — 11 δῆλον. Sunt quaedam genera rerum, in quibus ipsa iam contradictio conficit contrarietatem, veluti in numeris quicunque non est par, is necessario est impar. In his generibus si paremus defensoribus medii illius quod inter contradictoria intercedat, numerus erit statuendus, qui nec par sit nec impar; id vero absurdum esse, e notione dicit apparere, ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ δὲ δῆλον a 11. Quem ὁρισμόν utrum dicat numeri, qui pro exemplo erat positus, quod Alexander voluit, an, quod equidem praetulerim, notionem eius contrarietatis quae ipsa contradictione efficiatur (est autem illud τὸ ἄμεσον ἐναντίον), non videtur certo decerni posse, nec multum differt. Profecto enim huic argumento illud est vitio dandum, quod contrarietatis, quae sua natura omnino potest medium admittere, singulare quoddam genus adhibet, quum agatur de contradictione, quae sua natura medium admittere nunquam potest.

1012a 12 ἔτι — 15 ἄλλη. Si inter affirmationem et negationem medium ponimus tamquam diversam ab utraque substantiam, non solum hoc tertium (ἡμιόλια — τὰ ὄντα) accedit genus, quod nec ens est nec non-ens; eodem enim iure inter hoc medium et vel affirmationem vel negatio-

nem, negantes utrumque, quartum et quintum ponere cogimur, quorum alterum nec affirmatio sit nec medium, alterum nec medium neo negatio, et sic porro. Ita in infinitum cumulabimus rerum numerum, qui quidem in infinitum progressus certissimus est Aristoteli erroris index.

1012^a 15 ἔτι — 17 εἶναι. Hac argumentatione, significata potius quam exposita, nihil aliud quam provocare videtur ad id quod cuivis est manifestum. Nimirum num sit quidpiam, veluti color albus, si in quaestione ponitur, non aliter potest res decerni, nisi ut vel ponamus esse vel negemus, tertium non datur. — ἀποπέφυκεν ^{a}16 non possum adduci ut genuinum esse putem, sed num ex Alexandro simpliciter assumendum sit ἀποφάσκει, an ex interpretatione Bess. adhibita lectione cod. *S* edd. Ald. Sylb. (cf. v. l.) scribendum sit ἀπέφησεν, an denique ponenda sit ignota etiamtum forma perfecti v. ἀπόφημι, quae ad literas traditas propius accedat, in medio relinquam.

1012^a 17 ἐλήλυθε — 28 ἀληθές. Sicuti adversarii principii contradictionis supra explicuit cap. 5, 6 unde in eum errorem essent delati, ita iam exponit qui factum sit, ut principium exclusi medii quidam agnoscere recusarent. Alios ex iis dicit sophisticam quandam ratiocinationem quum diluere non possent, veram esse concessisse; eam ratiocinationem quam dicat Aristoteles equidem dubito. Quod enim Alexander dicit, ex eodem fieri contradictoria, ergo quum nihil fiat ex non-ente, esse oportere quiddam medium inter contradictoria, ex quo utrumque fiat, id aptum quidem est, ex quo error iste deducatur, sed vereor ut ab Aristotele sophisticae argumentationis nomine notetur, quum eandem rationem supra 5. 1009^a 23 sqq. ex natura sensibilium rerum repetitam dixerit. Alios autem dicit omnium rerum demonstrationem postulasse, quum tamen principii non esse demonstrationem ex ipsa principii natura appareat. Refelluntur autem omnes ita, ut concedere cogantur, significari aliquid iis vocabulis, quae usurpant, veluti, quae hic usurpantur, veri et falsi vocabulis; ex his enim significationibus definitio exsistit veritatis, quacum conciliari non potest, ut demonstratum est hoc ipso capite, principii exclusi medii negatio, cf. 8. 1012^b 7. — Heraclitus autem et Anaxagoras

quum suis placitis haec principia tollant, diversa tamen eorum est ratio; ille enim principium contradictionis, hic potius principium exclusi medii videtur evertere.

CAP. VIII.

Falluntur et qui vera et qui falsa omnia esse contendunt, 1012a 29—b22, *item et qui moveri et qui quiescere omnia dicunt*, b22—31.

Refutata sententia eorum, qui vel principium contradictionis vel principium exclusi medii negent, aliam tangit eiusdem sententiae formam superioribus adeo confinem, ut re nihil prorsus, verbis non multum differat; quare nihil fere aliud quam provocat ad ea, quae antea sunt demonstrata. Falluntur, ait, qui omnia vera esse contendunt, falluntur item qui omnia censent falsa esse. Haec enim sunt illa *μοναχῶς λεγόμενα* et *κατὰ πάντων* a29, 30; quod autem dicit *ὥσπερ τὸ τὴν διάμετρον σύμμετρον εἶναι*, solenne est Aristoteli exemplum eius quod necessario et suapte natura falsum est, cf. ad *A* 2. 983a 16. Harum sententiarum qui alterutram tueantur, eos refutatos iam esse censet explosis Heracliti placitis (1012a 33—b2); Heraclitum enim quod omnia et vera et falsa esse contendat, seorsim etiam omnia vera itemque omnia falsa dicere. Quae quidem argumentatio manifesto falsa est, siquidem illud est proprium Heraclitеae doctrinae, quod idem s i m u l et esse et non esse, vel idem s i m u l et verum esse et falsum statuit, quare non licet seiungere, quae ille coniungi voluit. — Sed iidem refelli praeterea possunt adhibitis contradictionis et exclusi medii principiis, b2—13. Quod enim omnia simul vera esse contendunt, insunt profecto in illis omnibus, quae contradictorie inter se opponantur (*φανερῶς ἀντιφάσεις εἰσίν* b2), quae non posse simul esse vera constat ex principio contradictionis; nec vero falsa simul esse omnia concedent, si eos perinde ac supra, *ἐν τοῖς ἐπάνω λόγοις* 4. 1006a 18 sqq., iusseris definire, quid verum dicant quid falsum, b5—11, vel adhibueris principium exclusi medii, b11—13. (Veri et falsi notionem b9 *εἰ δὲ μηθὲν — ψεῦ-*

δός ἐστιν iis verbis describit, quae quid debeant significare apertum est conferenti cap. 7 init., quomodo id significent difficile est dictu. Quid suspicandum videatur de emendandis his verbis significavi in annot. crit. et exposui in Obs. p. 116 sqq.). Ita quum absurda proferant et qui vera omnia esse et qui omnia esse falsa contendunt, mirum non est, quod eo statim deferuntur, ut sua ipsi placita evertant, quod dilucide exponit Aristoteles *b* 13—18. Nec profecerit quidquam, si, qui vera omnia esse contendat, adversarii exceperit sententiam, qui falsa omnia esse iudicet, suum ipse ex hac lege secluserit iudicium; hic enim cum suo iudicio simul eorum debebit excipere sententias, qui sibi assentiantur vel his assentientibus assentiantur idque in infinitum. Idem in eos cadit, qui falsa omnia esse volunt. Itaque quum universe statuere sibi videantur omnia esse vera vel omnia esse falsa, tamen infinita ex hac lege excipienda erunt *b* 18—22. — Denique cum his *μοναχῶς λεγομένοις* physica comparat placita eorum, qui moveri omnia et qui omnia quiescere existimant *b* 22—31, quae quidem placita licet non prorsus sint eadem ac quae proxime sunt pertractata, magna tamen inter ea intercedit similitudo. Qui enim omnia quiescere volunt, eadem semper vera esse debebunt contendere, id quod manifesto falsum est; qui moveri omnia autumant, eo iam redarguuntur, quod inde consequitur, ut omnia falsa sint; accedit quod ipsa motus natura substantiam et ens requirit (*ἔτι τὸ ὂν ἀνάγκη μεταβάλλειν* *b* 28, i. e. *ἔτι ἀνάγκη ὄν τι εἶναι εἴ τι μεταβάλλει*); ut enim exsistat motus vel mutatio, esse oportet et id unde et id quo quid mutetur, cf. ad 5. 1010*a* 19. Nec vero, quod ex hac refutatione facile collegeris, ita sunt omnia comparata, ut aliquamdiu moveantur, aliquamdiu quiescant (*οὐδὲ πάντα ἠρεμεῖ ἢ κινεῖταί ποτε*), sed est quiddam quod continuo moveat immotum ipsum, cf. *Λ* 7. — Extrema haec verba *b* 22 *φανερὸν* — 31 *αὐτό* quod Alexandri aetate in aliquot codicibus defuerunt, non potest eorum fidem imminuere, quum ex ipsis Alexandri verbis intelligatur cur fuerint omissa; videbantur nimirum ad physicam potius disciplinam pertinere quam ad metaphysicam. At idem dici potest contra capita gravissima et omni dubitatione exemta libri *Λ*; nec respe-

xisse videntur qui in hac fuerunt opinione, quantopere et in superioribus ipsius huius libri capitibus res physicas philosophus attingat.

Δ.

CAP. I.

Ἀρχή quot modis dicatur expositurus sex distinguit huius nominis significationes. Primum enim hoc nomine significatur viae vel omnino earum rerum, quae lineae referunt speciem, ab alterutra parte initium 1012b 34—1013a 1, deinde illud unde quid optime et facillime potest fieri, a 1—4. Illud principium positum est in ipsa rei natura, hoc suspensum a natura eorum qui aliquid agunt, veluti in discendo saepe aliud est rei discendae principium, aliud aptissimum tradendae disciplinae initium cf. Z 4. 1029b 4 sqq. — Reliquae significationes omnes notionem causae in se continent. Significat enim ἀρχή illud *ὅθεν πρῶτον γίνεται ἐνυπάρχοντος* a 4. (De vv. *ὅθεν πρῶτον* cf. ad B 3. 998a 23.) His verbis Aristoteles plerumque notionem elementi, *τοῦ στοιχείου*, circumscribit, cf. ad Δ 3; hoc tamen loco eum non tam elementi naturam cogitasse, quam principem illam rei alicuius partem, in qua primum continetur et destinata est ipsa rei natura, ex exemplis allatis facile cognoscas. Veluti de cordis et cerebri, quae hic attulit, natura cf. Z 10. 1035b 25: *ἔνια δὲ* (int. *μέρη*) *ἅμα* (int. *ἐστὶ τῷ συνόλῳ*), *ὅσα κύρια καὶ ἐν ᾧ πρώτῳ ὁ λόγος καὶ ἡ οὐσία, οἷον εἰ τοῦτο καρδία ἢ ἐγκέφαλος.* Trendel. ad Ar. de an. p. 154. — Huic principio ipsi rei insito opponitur causa externa, *ἡ δὲ ὅθεν γίγνεται μὴ ἐνυπάρχοντος* a 7, id est causa movens, *καὶ* (sensu explicativo cf. Waitz Org. II. p. 397 sq.) *ὅθεν πρῶτον ἡ κίνησις πέφυκεν ἄρχεσθαι κτλ.* Exempla causae moventis eadem habemus 2. 1013a 29. 24. 1023a 29; et alterum quidem, *ἡ μάχη ἐκ λοιδορίας*, petitum esse ex carmine Epicharmi cognoscitur coll. de gen. an. I 18. 724a 28; ipsa Epicharmi verba de coniectura restituit Meineke exercit. crit. in Athen. Deipn. I. p. 4. — Hoc principium movens si est

rationis particeps, ex voluntate sua movet ea quae movet. Itaque cum quarta significatione principii coniungi debebat ea, quam distinctim quinto loco ponit *a* 10 ἡ δὲ — 10 μάλιστα. Rectius eadem res exponitur proximo capite, assumpto e physica auscultatione, quum quidem in eadem notione causae moventis coniunguntur οἷον ὁ βουλεύσας αἴτιος καὶ ὁ πατὴρ τοῦ τέκνου 1013*a* 30. Ad hanc significationem principii et imperia referuntur regum et magistratuum, et artium administrationes; utrobique enim ex voluntate et consilio alicuius moventur ea quae moventur. Hanc quum appareat esse sententiae rationem, probabitur quod deleto eo puncto, quod post τυραννίδες *a* 13 omnes habent editiones, secutus Alexandrum et Bessarionem eandem enunciationem usque ad αἱ ἀρχιτεκτονικαὶ μάλιστα continuavi; etenim ex Bekkeriana distinctione a verbis ἀρχαὶ λέγονται καὶ αἱ τέχναι novum significari videretur principii genus. Cur autem ἀρχιτεκτονικαὶ artes potissimum pro principiis sint habendae, apparebit ex iis quae diximus ad *A* 1. 981*a* 30. — Ultimo denique loco adiicitur principium cognoscendi, veluti propositiones, ex quibus conficitur conclusio, principia sunt ipsius conclusionis, οἷον τῶν ἀποδείξεων αἱ ὑποθέσεις. Hac enim vi hoc loco et infra 2. 1013*b* 20 usurpatum esse vocabulum ὑπόθεσις, quod plerumque apud Aristotelem angustiorem habet significandi ambitum, exponit Waitz Org. I. p. 428.

Quot sunt notiones principii, totidem etiam sunt genera causarum *a* 16, 17, quoniam causa quaelibet eius rei, quae inde efficitur, quatenus efficitur, dici potest principium; nec vero vice versa quot causae, totidem principii notationes; principium enim etiam ita usurpatur, ut causae notio non insit. Contra vero causa, licet rei inde effectae sit principium, quoniam ipsa pendere potest ex alia causa, latius patere potest quam principium, cf. τὰ ἐξ ἀρχῆς αἴτια ad *A* 3. 983*a* 24. Ex hac notionum ratione utrumque explicatur, et quod saepissime αἴτιον et ἀρχή tamquam synonyma coniunguntur, veluti *A* 2. 982*b* 9. 3. 983*a* 29. *b* 4. 5. 986*b* 33. 8. 989*b* 23. 990*a* 22. al., et quod interdum distinguuntur cf. Waitz Org. I. p. 458.

Extremis verbis quae sit universe notio principii com-

plectitur, simulque quae inde exsistant in usu huius nominis diversitates significat. Commune enim omni principio illud est, ut primum sit in aliqua serie inde orsa (*K* 1. 1060a 1: *ἀρχὴ τὸ συναναιροῦν*. Phys. I 5. 188a 27: *δεῖ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα*. An. post. I 2. 72a 6. Poet. 7. 1450b 27), diversitas autem inde exsistit, quod illa series esse potest vel essentiae vel generationis vel cognitionis, et quod principium vel inesse potest rebus inde deductis vel esse extra eas. Inde facile explicantur nova principiorum exempla, quae iam promiscue affert a 20; namque *φύσις* et *στοιχεῖον* principia sunt tamquam *ἐνυπάρχοντα*, sive *φύσιν* intellexeris internum rei principium movens, sive, quod et Alexander voluit p. 306, 9 et propter additum *καὶ τὸ στοιχεῖον* probabile est, materiam rei; cf. ad *Δ* 4. Deinde *διάνοια* et *προαίρεσις* ad quintam referenda sunt principii significationem, tamquam externa principia movendi. Quae deinde nominatur *οὐσία*, ea Aristoteli est *ἡ κατ' εἶδος ἀρχή*, cf. ad *A* 6. 987b 21; id principii genus, alibi saepissime commemoratum, cf. ad *A* 3. 983a 27, hic in enumerandis principii notionibus omiserat; quod enim sexto loco positum est cognoscendi principium conferri quidem cum eo potest, sed nequaquam tamen idem est. Denique *τὸ οὗ ἕνεκα* qui dicatur principium, ipse exponit; multis enim rebus vel ut cognoscantur vel ut moveantur causam esse *τἀγαθὸν καὶ τὸ καλόν*. Recte Brand. et Bk. ex Alexandro restituerunt *καλόν*, licet enim lectionem *κακόν* reliqui libri mscr. omnes tueantur, eamque scripturae discrepantiam satis antiquam esse Alexander testetur p. 306, 16, tamen malum per se nunquam nec potest dici nec dicitur ab Aristotele causa finalis. Cur autem ad *τἀγαθόν* addiderit *τὸ καλόν*, nisi abundantiam quandam dicendi esse putaveris, rationem repetas ex *M* 3. 1078a 32.

Universam huius capitis disputationem si contemplamur, facile apparet quantum desideretur, ut vel notionis ipsius fines satis accurate descriptos, vel varium eius usum via ac ratione expositum putemus. Nam primum quidem varias nominis significationes congerit, prouti vel in vulgari sermone vel in philosophica disputatione offerebantur, pa-

rum curans, num apto ordine ea disposuerit, et num, quae distinguit, ea vere distincta sint. Quae enim secundo loco posita est notio *ὅθεν ἂν κάλλιστα ἕκαστον γένοιτο*, quum redeat ad discrimen frequentissime commemoratum ab Aristotele *τοῦ πρότερον φύσει* et *πρότερον πρὸς ἡμᾶς*, cf. ad Z 4. 1029b 4, non debebat antea afferri, quam causalis principii notio exposita erat; et quam quintam affert notionem *οὗ κατὰ προαίρεσιν κτλ.*, eam a quarta non fuisse seiungendam supra iam exposuimus. Ipsam autem notionem ut certissime suis includeret finibus, componere debebat et cum iis, quibus tamquam universalibus subiecta est, et cum iis, quibuscum aliquam habet partem ambitus communem, quamquam neutra alteri est subiecta; ita demum accurata confici poterat definitio nominalis, h. e. cognosci poterat, id quod in hoc libro est propositum, quid nomine quoque significemus et cogitemus; quae quaestio longe est diversa ab illa altera, qua constituitur, num illud re vera sit, quod hoc nomine cogitamus, veluti num sit *ἀρχή*. Iam tractantur quidem hoc eodem libro et notiones aliquot, quibus *ἀρχή* est subiecta, veluti *πέρας, πρότερον, ἔκ τινος* cap. 17, 11, 24, et quibuscum partem ambitus communem habet, veluti *αἴτιον, στοιχεῖον, φύσις, οὐσία* cap. 2, 3, 4, 8, sed in singulas has expositiones eadem cadit reprehensio.

CAP. II.

Αἴτιον quot modis dicatur exponitur. Haec disputatio quum ad verbum congruat cum Phys. II 3, et illic quidem cohaereat cum universo quaestionis contextu, hic vero seorsim posita sit, dubium non est quin illinc huc sit translata; id unum quaeri potest, utrum ab ipso Aristotele huc translata sit an a posterioribus. Asclepius quod dicit Sch. 689b 17: *τὰ ῥητὰ ταῦτα μετενήνεκται ἐνταῦθα ἐκ τῆς Φυσικῆς Ἀκροάσεως· ἔλεγον γὰρ ὅτι τινὰ παραπώλοντο, καὶ μὴ δυνηθέντες μιμήσασθαι ἐκ τῶν αὐτοῦ ἐφήρμοσαν*, cf. p. 8, id ipsa rei natura confirmari videtur. Nam primum quidem, nisi ea fallunt indicia, quae e disputandi ratione magis minusve subtili repetuntur, physica auscultatio, quae inprimis est elaborata inter omnes Aristotelis libros, non est scripta ante

hunc librum περὶ τῶν ποσαχῶς. Quodsi iam confectum fuisset illud opus physicum tum quum hoc libro varias nominum quorundam significationes congerere susciperet, profecto de compluribus notionibus, diligentius in disputatione physica pertractatis, lectorem illuc delegasset, veluti de notionibus φύσις, δύναμις al. Accedit quod primo capite expositis significationibus principii addit ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται· πάντα γὰρ τὰ αἴτια ἀρχαί. Talia vero qui dicit, is non promittit se deinceps expositurum notionem causae, sed superfluum id esse exposita notione principii significat, cf. 6. 1017*b* 3, vel certe, si nihilo secius disserat de causa, facere non potest quin ad superiorem principii expositionem respiciat, qualia frustra hoc in capite quaeras. — Quae quum ita sint, eo minus dubitavi illud caput physicae auscultationis tamquam lectionis varietatem adhibere; cf. Obs. ad Met. p. 69—74, ubi quae in vulgato textu mutavi comprobata sunt.

Primum quatuor illa causarum genera enumerat, extra quae neque inventum a quoquam esse neque *inveniri posse* aliud saepe commemorat (cf. *A* 10), causam materialem formalem moventem finalem, 1013*a* 24—*b* 3. Materialem causam ubi illustravit exemplo aeris et argenti, addit καὶ τὰ τούτων γένη, quoniam pro aere vel argento etiam genus eorum, metallum, statuae et phialae materia dici potest. Formalem causam quod εἶδος καὶ παράδειγμα dicit, non significat ex sententia Platonis ideas, quae tamquam exemplaria rerum sensibilium per se exsistant, sed naturam generantem cum artifice comparat, qui speciem rei conficiendae animo habeat propositam. Formam rei si notione comprehenderis, notionem habebis substantialem sive τοῦ τί ἦν εἶναι cf. ad *Z* 7. 1032*b* 1. Nec solum ipsa notio substantialis formam rei constituit, sed etiam ea genera, quibus illa notio subiecta est (propterea τὰ τούτου γένη scripsi h. e. τὰ γένη τοῦ λόγου τοῦ τί ἦν εἶναι, non τὰ τούτων γένη), et eae partes sive notae, ex quibus notio substantialis conficitur. Veluti τοῦ διὰ πασῶν forma constituitur notione substantiali δύο πρὸς ἕν, quae rationem chordarum in hoc intervallo musico significat, et universe genere huius notione, ἀριθμός, et partibus illius notionis, δύο et ἕν. — Fi-

nalem causam eodem valetudinis exemplo illustratam legimus An. post. II 11. 94b 9. Neque ambulationis solum, quam pro exemplò posuit, causa finalis valetudo est, sed quaecunque valetudini operam dans quispiam vel efficit (ἰσχνασία, κάθαρσις) vel adhibet (φάρμακα, ὄργανα), ea omnia si quaesiverit quis cur vel fiant vel adhibeantur, eadem causa finalis erit nominanda. Hunc enim in modum supplenda sunt verba per brevitatem et negligentiam scribendi obscura καὶ ὅσα δὴ — τὰ ὄργανα a35—b2, quae nihil nisi subiectum plenae enunciationis continent; praedicatum universe petendum est e superioribus verbis διὰ τί —, φαμέν, ἵνα ὑγιαίνῃ κτλ.

Hoc diversarum causarum discrimine explicatur, qui fiat, ut et diversae possint esse eiusdem rei causae, eaeque per se, non per accidens; nimirum petitae illae e diversis causarum generibus, et duae res invicem sint altera alterius causa, nempe et ipsae diverso causae sensu, b3—11. Praeterea eadem res, prouti vel adest vel abest, contrariorum potest esse causa movens b11—16. — In extremis his verbis addidi τοῦ πλοίου e textu Physicorum, quoniam ad sensum necessarium videtur.

Ad haec quatuor genera omnes reduci causas, exemplis illustrat 1013b 16—28. Ac primum quidem materialis causae varia exempla enumerat his verbis: τὰ μὲν γὰρ στοιχεῖα — τοῦ συμπεράσματος, in quibus quoniam materiam nunquam absolute et per se potuit nominare, sed addita ea forma cui effingendae locum praebeat, deinde monet, in singulis his exemplis alterum esse ὑποκείμενον sive materiam, nimirum syllabas ligna lapides elementa partes propositiones (αἱ ὑποθέσεις τοῦ συμπέρασματος, de v. ὑπόθεσις cf. ad I. 1013a 16, de v. συμπέρασμα Trend. El. log. §. 63), alterum notionem substantialem τό τε ὅλον καὶ ἡ σύνθεσις καὶ τὸ εἶδος. Quo loco voc. ὅλον non significat τὸ σὺν τοῖς μέρεσιν —, ἀλλὰ τὸ ἐπὶ τοῖς μέρεσιν ἐπιγιγνόμενον, τὴν ὁλότητά τε καὶ τελειότητα Alex. p. 310, 3. — Alia deinde enumerat, quae ad motricem causam referantur b23—25, alia pertinent ad causam finalem, τὰ δ' (ἄλλα, quod vulgo hic additur, cum Alexandro et textu Physicorum omittendum videtur) ὡς τὸ τέλος καὶ τἀγαθὸν τῶν ἄλλων b25.

Quibus quidem in verbis non videtur opus esse eo hyperbato, quod Alexander statuit p. 310, 14: *τὰ δ' ὡς τέλος τῶν ἄλλων καὶ τἀγαθόν*, rectius *τὸ τέλος* et *τἀγαθόν* statuerimus ita in unitatem notionis coaluisse, ut ab ea notione quasi una suspensus sit genitivus *τῶν ἄλλων*. — De discrimine *τοῦ ἀγαθοῦ* et *τοῦ φαινομένου ἀγαθοῦ* b 27 cf. Top. VI 8. 146b 36.

Quae hucusque exposuit causarum genera, ea quidem ipsius causae diversitatem continent; sed potest praeterea in eodem genere causae, veluti in causa movente, aliud accedere discrimen, prouti aliquid vel propius vel remotius causa est. Ac primum quidem si eas causas contemplamur, quae per se causae sunt (de his enim primum agi 1013b 31—34 et ex rei natura consentaneum est, et confirmatur ex eo quod paullo infra 1014a 7 dicit: *καὶ τὰ οἰκείως λεγόμενα καὶ τὰ κατὰ συμβεβηκός*), valetudinis causam effectricem proprie dicimus medicum, minus proprie et remotius artificem, siquidem notio artificis genus est notionis medici, ut quidquid a medico confectum est, id artifici tribui possit. Hoc discrimen iam initio capitis in enumerandis generibus causarum significavit, ubi genera simul commemoravit 1013a 26, 28. Accedit aliud discrimen: etenim si quid ipsi causae accidit, hoc etiam accidens et eae notiones, quibus accidens subiectum est, pro causa rei haberi possunt, veluti si statuae causam effectricem non statuarium, sed Polycletum dixeris, quia accidit, ut huius potissimum statuae auctor sit Polycletus, vel notionem universalem, cui subiectus est Polycletus, hominem. Atque in ipsa hac causa, quae per accidens causa est, differt, utrum ipsum accidens, an accidentis genus, an accidentis accidens pro causa habeas, veluti propius Polycletum, remotius hominem, hoc etiam remotius musicum vel album auctorem dixeris statuae, 1013b 34—1014a 6. — Denique quod est omnium entium discrimen, ut alia sint actu, alia potentia, id etiam ad causas pertinet, alia enim *δυνάμει*, alia *ἐνεργείᾳ* causa est, a 7—10. — Quae in singulis causarum generibus monstrata sunt discrimina, eadem in effectu reperiuntur (a 10 *ὁμοίως τοῖς εἰρημένοις λεχθήσεται καὶ ἐφ' ὧν αἴτια τὰ αἴτια* i. e. *τὰ αἰτιατά*), etenim vel ipsum hoc singulare opus (*ὅδε ὁ ἀνδριάς*) vel eius

genus (ἀνδριὰς ἢ ὅλως εἰκών) vel accidens accidentisque genus pro effectu causae alicuius potest haberi, itemque potentiae et actus discrimen in effectu cernitur, 1014a 10—13. Ad illustrandam diversam effectus rationem praeter exemplum statuae aliud etiam affert a 11: *οἷον τοῦδε τοῦ ἀνδριάντος ἢ ἀνδριάντος ἢ ὅλως εἰκόνος, καὶ χαλκοῦ τοῦδε ἢ χαλκοῦ ἢ ὅλως ὕλης*. Alexander in medio relinquit, utrum *χαλκός* effectus an causae exemplum sit p. 311, 25. Grammaticam si spectaveris verborum constructionem, probabile videatur *χαλκοῦ* perinde atque *ἀνδριάντος* pro exemplo effectus habendum esse; sin autem ipsius exempli naturam reputaveris, et consentaneum est, si coniungatur *χαλκός* cum *ἀνδριάς*, hoc operis illud causae materialis esse exemplum, et quoniam ad *χαλκοῦ* adiicitur *ἢ ὅλως ὕλης*, fieri non potest quin causae sit exemplum. Equidem facilius statuendum existimaverim in grammatica verborum conformatione parum diligentem fuisse Aristotelem, quam adeo aperte lapsum esse in eligendo exemplo, ac proinde particulam *καί* ante *χαλκοῦ τοῦδε* ita coniungam cum *ὁμοίως*, ut haec fere exsistat sententia: vel haec singularis statua vel statua universe vel omnino effigies pro effectu potest haberi, perinde ac vel hoc singulare aes vel aes universe vel omnino materia eius causa esse dicitur.

Denique 1014a 13—25 varia haec causarum et effectuum discrimina quomodo inter se coniungantur exponit, et, quod e notionibus *δυνάμεως* et *ἐνεργείας* manifestum est, *τὴν ἐνεργείᾳ αἰτίαν* simul et esse et non esse docet cum *τῷ ἐνεργείᾳ αἰτιατῷ*, non item *τὴν δυνάμει αἰτίαν*. Coniungit autem *τὰ ἐνεργοῦντα αἴτια καὶ τὰ καθ' ἕκαστον*, quia non aliae possunt esse actu causae, nisi *τὰ καθ' ἕκαστον*.

CAP. III.

Στοιχεῖον sive **elementi** notionem brevissime Aristoteles describit *I* 1. 1062b 12: *τὸ στοιχείῳ εἶναι — σημαίνει — ὅτι ἔστι τι ἐκ τούτου ὡς πρώτου ἐνυπάρχοντος*, ubi quod dicit *πρώτου*, id hoc ex loco et de coelo III 3. 302a 18 accuratius definias *ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος*. Iam quoniam *στοιχεῖον* est primum quidpiam et ex

eo alia procedunt, notionem habet affinem notionibus ἀρχή et αἴτιον ideoque saepissime cum iis coniunctum legitur, veluti ἀρχὴ καὶ στοιχεῖον Α 3. 983b 11. 8. 989b 30. Β 1. 995b 27. 3. 998a 22. al., αἴτια καὶ στοιχεῖα Δ 5. 1071a 25, ἀρχαὶ καὶ στοιχεῖα καὶ αἴτια Ε 1. 1025b 5. Η 1. 1042a 5. Λ 1. 1069a 26. Μ 9. 1086a 21. Sed angustioribus tamen finibus στοιχείου notio circumscripta est, quam vel ἀρχῆς vel αἰτίας, quia τὸ στοιχεῖον est ἐνυπάρχον, principium vero et causa etiam extra rem effectam potest posita esse. Ita Λ 4. 1070b 22—26 εἶδος στέρησις ὕλη, quia insunt rei inde prognatae, στοιχεῖα dicuntur esse, τὸ κινοῦν vero ad principia quidem et causas et ipsum refertur, non item ad στοιχεῖα. Eandem vim nominis στοιχεῖον cognoscas, ubi Aristoteles de Platonica disputans doctrina et materiale principium (τὸ μέγα καὶ μικρόν) et formale (τὸ ἕν) eodem στοιχείων nomine significat Ν 1. 1087b 13—15. Sed quum propter notam τοῦ ἐνυπάρχειν utrumque et forma et materia nomine στοιχεῖον significari possit, praecipue tamen eius usus et vulgaris et Aristotelicus vergit ad denotandam materiam, Ζ 17. 1041b 31: στοιχεῖον δ' ἐστὶν εἰς ὃ διαιρεῖται ἐνυπάρχον ὡς ὕλην cf. Δ 3. 983b 8—10. Verum licet ad significanda materialia elementa voc. στοιχεῖον potissimum usurpetur, tamen ne tum quidem plane eadem est utriusque natura; ὕλης enim in notione id inest, ut referatur ad notionem potentiae et δυνάμει tantum insit iis, quorum est materia, στοιχεῖον vero est ἐνυπάρχον δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ, de coelo III 3. 302a 16. Inde cognoscitur, qui fiat ut στοιχεῖον maxime propria ac peculiari vi de iis usurpetur corporibus, quae reliquis insunt omnibus, sed ipsa iam simplicissimis distincta formae differentiis, qualia sunt calidum frigidum, humidum siccum; quae quidem στοιχεῖα sive ἁπλᾶ σώματα (cf. ad Δ 3. 984a 6) quantum distent a prima materia, perspicitur ex loco de gen. II 1. 329a 32: ὥστε πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ' αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ' οἷον θερμότης καὶ ψυχρότης, τρίτον δ' ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα. Cf. de notione στοιχείου Waitz Org. 14a 39. 84b 21.

1014a 26—b3 notio elementi exemplis illustratur. Est autem elementum ἀδιαίρετον τῷ εἴδει κτλ. a27, quia non

omnem divisionem necessario respuit, sed si potest dividi, partes quantitate differunt, veluti partes aquae terrae al., non specie. Propterea linguae elementa non sunt syllabae *a* 31, sed singulae literae, cf. *Z* 17. 1041*b* 12. Poet. 20. 1456*b* 20. Eandem elementi notionem veteres cogitarunt physiologi, sive unum sive plura posuerunt rerum omnium elementa. Similiter demonstrationum vel mathematicarum (*τῶν διαγραμμάτων* *a* 35, cf. ad *B* 3. 998*a* 25) vel aliarum elementa dicuntur esse simplicissimae demonstrationes, id est autem simplices (*οἱ πρῶτοι* *b* 2) syllogismi, qui nihil continent amplius nisi quod ad concludendum requiratur, très terminos quorum unus sit medius. De voc. *πρῶτος* ad significandos simplices syllogismos cf. Waitz Org. 44*b* 6.

1014*b* 3—6. Inde translatum dicit elementi nomen ad ea, quae quum simplicia sint et parva ad multa possint adhiberi. Huc fortasse referri potest, quod eas demonstrandi rationes, quas in promptu habere dialecticum oporteat ad quamlibet rem cum specie veritatis vel comprobandam vel refellendam, quas alio nomine *τόπους* appellat, easdem saepe *στοιχεῖα* nominat, cf. Top. IV 1. 120*b* 13. 121*b* 11. al. Waitz Org. 84*b* 21. — Sed ad eandem translationem (*ὅθεν ἐλήλυθε* *b* 6) minus recte refert *b* 6—14, quod notiones maxime universales, *τὰ μάλιστα καθόλου, τὰ καλούμενα γένη*, elementi nomine significantur; nimirum ipsam elementi notionem referunt notiones universales, siquidem ut partes simplicissimae nec amplius divisibiles insunt notionibus inferioribus. Atque eae quidem notiones universales vel in multis inveniuntur notionibus singularum specierum, *ἐν πολλοῖς — ἢ ὅτι πλείστοις* *b* 7, vel in omnibus, *ἐν πᾶσιν* *b* 8, veluti essentiae et unitatis notio, cf. ad *B* 3. 998*b* 20; esse autem propterea in principiis habenda unum et monadem, non ex sua sed ex aliorum, veluti Pythagoreorum et Platonis dicit sententia. Individuam autem summarum notionum ut comprobet naturam, addit *εἷς γάρ ἐστι λόγος αὐτῶν* *b* 10. Quibus verbis si hoc voluit dicere, unam tantum esse summorum generum definitionem, id quidem omnibus commune est definitionibus, quae substantiam describant, cf. ad *B* 3. 998*b* 12; sin autem simplicem dicere voluit eorum definitionem, non videtur omitti potuisse articulus, *εἷς γάρ ἐστιν ὁ λόγος αὐ-*

τῶν. Quare haud scio an praeferenda sit ea lectio, quam ex cod. *Ab* et Alex. recepit Brand., *οὐ γάρ ἐστι λόγος αὐτῶν*: non est omnino definitio summorum generum, siquidem definitio quaelibet genus et differentiam specificam requirit, quasi materiam et formam, cf. *H* 3. 1043*b* 28. — Quod dicit genus latius patere quam differentiam cf. Top. IV 2. 122*b* 15: *τὸ γένος ἐπὶ πλέον δεῖ λέγεσθαι τῆς διαφορᾶς*. Waitz Org. I*b* 17.

CAP. IV.

Nominis *φύσις* varium usum persequitur. Primum quidem *φύσις* appellatur rerum naturalium generatio; hunc in modum si usurpatur vocabulum, servata propria ac primamaria vi nominis verbalis per terminationem —*σις* formati, ipsam actionem *τοῦ φῦναι* significat. Et hanc quidem nominis verbalis indolem Aristoteles indicare videtur, quod scribit *οἷον εἴ τις ἐπεκτείνας λέγοι τὸ υ* *b* 17; exspectes enim ex communi horum nominum analogia (*φρονήσω* — *φρόνησις*, *ποιήσω* — *ποίησις*), quum futurum *φύσω* productam habeat vocalem, eandem etiam in nomine verbali *φύσις* produci; re vera productam fuisse priorem nominis *φύσις* vocalem ubi hac vi usurpatur, Aristotelicis verbis *οἷον εἰ κτλ.* temere abusus contendere non dubitat Schwegl. — Deinde *φύσις* nascentis alicuius rei principium significat ipsi rei insitum *b* 17, cf. ad *b* 26—35. — *ἐξ οὗ πρώτου* cf. ad *B* 3. 998*a* 23. — Tum *φύσις* est principium movendi, quod rebus naturalibus ipsis per se insitum est, non per accidens *b* 18. — In his notionibus voc. *φύσις* describendis quoniam verbum *φύεσθαι* adhibuit, iam ipsum hoc *φύεσθαι* quid significet explicat *b* 20—26, sed parum illud quidem accurate; namque ad definiendam hanc notionem eas adsciscit, quae et ipsae v. *φύεσθαι* in se contineant, veluti *συμπεφυκέναι* et *προσπεφυκέναι*, quae quomodo differant a simplice tactione non potest videri satis descripsisse, quum dicit *b* 25 quantitatis continuam exsistere unitatem, non qualitatis. — Quarto deinde loco *b* 26—35 *φύσις* illud significat *ἐξ οὗ πρώτου ἢ ἔστιν ἢ γίγνεταί τι τῶν φύσει ὄντων, ἀρυθμίστου ὄντος καὶ ἀμεταβλήτου ἐκ τῆς δυνάμεως τῆς αὐτοῦ*. Ex-

trema verba quid significent apparet conferenti Phys. II 1. 193*a* 9: *δοκεῖ δ' ἡ φύσις καὶ ἡ οὐσία τῶν φύσει ὄντων ἐνίοις εἶναι τὸ πρῶτον ἐνυπάρχον ἑκάστῳ ἀρρύθμιστον καθ' ἑαυτό, οἷον κλίνης φύσις τὸ ξύλον κτλ.* et 193*a* 26: *καὶ τούτων μὲν* (int. *τῶν στοιχείων, γῆς, πυρός κτλ.*) *ὁτιοῦν εἶναι ἀΐδιον (οὐ γὰρ εἶναι μεταβολὴν αὐτοῖς ἐξ αὐτῶν), τὰ δ' ἄλλα γίγνεσθαι καὶ φθείρεσθαι ἀπειράκις.* Prima igitur, ait, rerum naturalium elementa non ex sua potentia ac facultate formantur vel mutantur. Quum autem rerum naturalium, *τῶν φύσει ὄντων*, elementa *φύσιν* appellari dicat, res per artem effectas *ἀνδριάντα, σκεύη* etc. modo comparationis loco ad notionem illustrandam adhibet, ipsa vero huius notionis exempla finita demum comparatione affert *b*32: *τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον κτλ.* Ab ea autem notione *φύσεως*, quam secundo loco attulit *b* 17, haec quarta non ita videtur distinguenda esse, ut illic primam per se et a re remotissimam, hic proximam rei materiam putetur significasse, quae est Alexandri interpretatio p. 316, 7. 317, 29; quod si voluisset Aristoteles, admodum obscure esset locutus, siquidem verbis *ἐξ οὗ πρώτου* pariter utramque orditur definitionem. Rectius videtur discrimen cognosci posse, si primas tres significationes inter se comparaverimus; quae quum omnes pertineant ad res naturali vi nascentes, verisimillimum est, verbis *ἐξ οὗ πρώτου φύεται ἐνυπάρχοντος* illud significari principium materiale alicuius rei, quod immanet quidem rei nec tamen exemtum est a generandi mutatione, veluti si semen plantae dicatur *φύσις* esse. Eiusdem igitur plantae *φύσις* altero huius vocabuli significatu dici potest semen, quarto autem elementa, aqua terra cet. — Quam quinto loco posuit significationem *b*35—*a*5, ut *φύσις* sit rerum naturalium forma ac substantia, ea saepissime v. *φύσις* ab Aristotele usurpatum legimus praecipue in libris naturalibus, veluti *ἡ τῶν βραγχίων φύσις, ἡ τῶν ὀδόντων φύσις* al. de resp. 11. 476*a* 25. de part. an. III 1. 661*a* 34, 36. 662*a* 16. 6. 669*a* 31. IV 2. 676*b* 22. *λεπτὴ φύσις* al. de resp. 15. 478*a* 19. *A* 3. 983*b* 27 (Waitz Org. I. p. 283). Hoc autem loco eam illustrat eorum philosophorum usu, qui quum compositione vel mistione ac secretione res naturales fieri ac perfici statuerent, eam mistionem ac secretionem *φύσις* dixerint. (Pro

v. ὥσπερ b38 praeter codd. EA^b etiam Alex. p. 318, 9—12 habuisse videtur ἢ ὥσπερ, quae lectio non minus apta esset quam vulgata, dummodo divinari possit, qui dicantur alii praeter Empedoclem σύνθεσιν elementorum statuisse. Ipsos autem Empedocleos versus, 105—108 St., quos eosdem praeterea laudat de gen. I 1. 314b 7. II 6. 333b 14. de Xen. 2. 975b 7, per falsam interpretationem huc referre videtur. Empedoclem enim hoc dicere: generationem, id est autem generationem ex non-ente, omnino non esse, sed quae vulgo appelletur generatio, eam nihil esse aliud quam elementorum modo mistionem modo secretionem, et ex universa eius doctinae indole consentaneum est et comprobatur ex iis versibus, qui continuo illos videntur secuti esse:

νήπιοι· οὐ γάρ σφιν δολιχόφρονές εἰσι μέριμναι,
οἳ δὴ γίγνεσθαι πάρος οὐκ ἐὸν ἐλπίζουσιν κτλ.

Cf. Panzerbieter Kr. u. Erkl. d. Emp. p. 14). Inde φύσει εἶναι dicuntur τὰ συναμφότερα ἐξ ὕλης τε καὶ εἴδους, φύσις vero alterum utrum, et materia, sive prima sive proxima, et forma 1015a 6—11. Quoniam autem formam ac substantiam rerum naturalium φύσις significat, inde idem nomen etiam ad alias transfertur substantias, quae non sunt rerum naturalium a 11—13. — Denique varias φύσεως significationes ita complectitur, ut ad unam eamque primariam (ἡ πρώτη φύσις a 13, cf. ad 5. 1015b 11) et propriam nominis significationem referri reliquas dicat, quae quidem est ἡ οὐσία ἡ τῶν ἐχόντων ἀρχὴν κινήσεως ἐν αὑτοῖς ᾗ αὐτά (cf. Phys. II 1. 192b 20: ὡς οὔσης τῆς φύσεως ἀρχῆς τινὸς καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός); inde et materia tamquam excipiendo tali principio apta, et generatio, i. e. via ab illo principio exorsa, φύσις appellatur. Et illud quidem, ait, principium movendi rei insitum, in quo cernitur φύσεως primaria vis ac notio, vel potentia rebus inest, quum possunt ex se ipsae mutari, vel actu, quum re vera mutantur et nascuntur.

De eadem naturae notione Aristoteles disputat Phys. II 1. Quae si cum his contuleris, ipsius quidem rei vix ullam inveneris diversitatem, siquidem variae significationes pariter et prope iisdem interdum verbis et hic et illic explicantur,

sed in omni via ac ratione disputandi magna cognoscitur diversitas. Namque in hoc Metaphysicorum capite satis leviter nec de aptissimo ordine sollicitus varias significationes prouti in vulgari dicendi usu offeruntur congerit, et singularum eas proponit definitiones, quae ne nominalium quidem definitionum iustam habeant formam; namque ipsum, quod definitur, nomen *φύσις* ad singulas adhibetur definitiones. Longe vero aliter in Physicis. Ibi enim a primaria proficiscitur naturae definitione, accurate descripta 192b 10, quae verba supra adscripsimus, atque inde reliquas repetit significationes. Ac singula quidem in quibus utraque disputatio consentit si comparaveris, hanc metaphysicam disputationem obiter adumbratam, illam physicam diligenter elaboratam cognosces. His perpensis vix persuadere sibi quisquam poterit, si physicam auscultationem iam scripsisset, habuisse Aristotelem cur de eadem notione illic subtiliter pertractata hic iterum strictim et parum subtiliter dissereret; cf. p. 20.

CAP. V.

Necessitatis, *τοῦ ἀναγκαίου*, quatuor potissimum distinguit significationes a 20—26, 26—33, 33—b 6, 6—9, et sicuti per universam hanc disputationem in explicando et distinguendo singulorum nominum usu versatur, non ab ea orditur significatione, quae universalis maxime reliquas a se habet suspensas, sed quae vulgari usu praecipue frequentatur. Quum igitur vulgo *ἀναγκαῖα* dicantur, quae ad vivendum requiruntur, veluti cibaria exercitui comparanda, primum *ἀναγκαῖα* ea dici monet, sine quibus vel vivere vel finem quendam propositum assequi non possimus a 20—26. Sed eiusmodi *ἀναγκαῖα* non *αἴτια τοῦ ζῆν*, sed *συναίτια* b 3 dicit, *οὗ ἄνευ οὐκ ἐνδέχεται ζῆν ὡς συναιτίου* a 20; nimirum respiratio cibus similia non sunt ipsae causae vivendi, *τὸ αἴτιον αὐτὸ καθ' αὑτό*, quod in anima continetur, sed adsciscuntur et in societatem adhibentur tamquam eae conditiones, sine quibus ad illum vivendi finem non possit perveniri, cf. de anim. II 4. 416a 13 et Trend. ad h. l. de part. an. I 1. 642a 7. — Iste autem finis, ad quem requiruntur quaedam necessario, ubi neque a natura neque a nostra est

voluntate positus, sed ex aliena pendet voluntate et ex imperio alterius, ea exsistit *τοῦ ἀναγκαίου* notio ut significet *τὸ βίαιον* a26—33; cf. An. post. II 11. 94b 37: *ἡ δ' ἀνάγκη διττή· ἡ μὲν γὰρ κατὰ φύσιν καὶ τὴν ὁρμήν, ἡ δὲ βίᾳ καὶ παρὰ τὴν ὁρμήν κτλ.* — Tertio loco ea dicit appellari *ἀναγκαῖα*, quae non possint aliter se habere a33—b6 (cf. *Λ* 7. 1072b 11: *τὸ γὰρ ἀναγκαῖον τοσαυταχῶς, τὸ μὲν βίᾳ ὅτι παρὰ τὴν ὁρμήν, τὸ δὲ οὗ οὐκ ἄνευ τὸ εὖ, τὸ δὲ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἀλλ' ἁπλῶς. E* 2. 1026b 28), quam quidem ad notionem quomodo redigantur superiores duae significationes, et facile apparet et paucis Aristoteles explicat. — Ab hac notione distinguit quam quarto loco affert demonstrandi necessitatem b6—9 (cf. *K* 8. 1064b 33), ea enim est syllogismi natura, ut sit *λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι*, An. pr. I 1. 24b 18.

Sed ad has notionis distinctiones aliud accedit discrimen b9—15; quae enim necessaria sunt, ea vel ex aliis ita pendent, ut nequeant se aliter habere, quod in ea fere cadit quae antea sunt exposita necessitatis genera, vel suapte natura eam habent necessitatem. Ad hoc primarium *τῶν ἀναγκαίων* genus referendae sunt et eae cognitiones, quae non aliunde pendent sed per se ipsae sunt certae, *αἱ ἄμεσοι ἀρχαί*, et eae res, quae aeternae et immutabiles omnem excludunt naturae varietatem; cf. de part. an. I 1. 639b 23: *ὑπάρχει δὲ τὸ μὲν* (int. *ἀναγκαῖον*) *ἁπλῶς τοῖς ἀϊδίοις, τὸ δ' ἐξ ὑποθέσεως καὶ τοῖς ἐν γενέσει πᾶσιν κτλ.*, et coniunctas inter se notiones *ἀνάγκη* et *ἀεί E* 2. 1026b 28 sqq. *K* 8. 1064b 33—1065a 5. *Δ* 30. 1025a 15, 18, 20. de gen. II 11. 337b 35.

De notione Aristotelica necessitatis cf. Waitz ad Org. 83b 38. Qui autem error in eo cernatur, quod necessitas vel ipsis rebus tribuitur, nec cogitandi finibus includitur, vel simplex quaedam et absoluta esse necessitas statuitur, quoniam ad iudicandam Aristotelis philosophiam, non ad explicandos hos eius libros pertinet, ab hoc loco alienum est exponere.

1015a 29 *Εὔηνος*. Cf. Plat. Apol. 20a et Stallb. ad h. l. Idem versus laudatur Rhet. I 11. 1370a 10. Eth. Eud. II 7.

1223a 31. — a30 *Σοφοκλῆς*. Memoriter et paullo immutatum versum affert; ipsa Sophoclis verba El. 256 haec sunt: *ἀλλ' ἡ βία γὰρ ταῦτ' ἀναγκάζει με δρᾶν*. — b8 *εἰ ἀποδέδεικται ἁπλῶς*. Quid sit *ἁπλῶς*, explicatum legimus Top. II 11. 115b 33: *ὃ ἂν μηδενὸς προστιθεμένου δοκῇ εἶναι καλὸν ἢ αἰσχρὸν ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ἁπλῶς ῥηθήσεται*, cf. ad Α 5. 987a 21, Waitz Org. I. p. 354. — b11 *τὸ πρῶτον καὶ κυρίως ἀναγκαῖον*, i. e. primaria necessitatis notio. Significat enim *πρῶτος* ea, quae ita iam a principio cum natura rei coniuncta sunt, ut ipsam eius notionem constituant, cf. *ἡ πρώτη φύσις* 4. 1015a 13, *πρώτη οὐσία* Ζ 7. 1032a 2, cf. 1. 1028a 30, *πρώτη δύναμις* Θ 1. 1046a 16, *πρώτως δυνατόν* Θ 8. 1049b 13, *πρώτως λεγόμενα ἕν* sim. Δ 6. 1016b 8. 10. 1018b 4. 16. 1022a 3. 18. 1022a 17. al. Ea significatione *πρῶτος* saepe coniungitur cum v. *κύριος*, de cuius vi cf. ad Α 1. 981b 10, veluti *ὁ κύριος ὅρος τῆς πρώτης δυνάμεως* Δ 12. 1020b 5, *κυριώτατος τρόπος τῆς ποιότητος* — *πρώτη ποιότης* 14. 1020b 14. al. cf. Waitz Org. I. p. 325.

CAP. VI.

De unitate Aristoteles ita disputat, ut primum exponat quid sit *ἓν κατὰ συμβεβηκός* 1015b 16—36, deinde quot modis dicatur *ἓν καθ' αὑτό* 1015b 36—1016b 17, tum quid sit *τὸ ἑνὶ εἶναι* 1016b 17—31, denique varium usum *τοῦ ἓν καθ' αὑτό*, quem in secunda parte explicuerat, alio modo recenseat.

A. 1015b 16—36. *Ἓν κατὰ συμβεβηκός* ea dicitur coniunctio, quae inter substantiam intercedit eiusque accidentia, quae quidem, ubi de rebus individuis agitur, quadrifaria potest esse. Etenim unum dicitur aut substantia eiusque accidens (*Κορίσκος καὶ τὸ μουσικὸν ἕν* a18, cf. Phys. V 4. 227b 33), aut duo accidentia quae eidem substantiae insunt (*τὸ μουσικὸν καὶ τὸ δίκαιον* a19, siquidem eidem substantiae, Corisco, inhaerent), aut substantia coniuncta cum suo accidente et substantia simpliciter per se (*ὁ μουσικὸς Κορίσκος τῷ Κορίσκῳ ἕν* a24, quoniam altera pars, *μουσικόν*, alteri notionis parti, *θατέρῳ τῶν ἐν τῷ λόγῳ*, tamquam accidens substantiae inhaeret), aut denique substantia coniun-

cta cum uno accidente et substantia eadem coniuncta cum altero accidente (*ὁ μουσικὸς Κορίσκος δικαίῳ Κορίσκῳ a* 26, quia utriusque notionis altèra pars eidem parti alteri inhaeret). Neque alia ratio est, si *τὸ ἓν κατὰ συμβεβηκός* tribuitur notionibus universalibus; nam si unum esse dicitur *ἄνθρωπος* et *τὸ μουσικόν*, id vel propterea fit, quod alteri alterum tamquam accidens inhaeret, *τῷ ἀνθρώπῳ τὸ μουσικόν*, vel quod utrumque inest rei cuidam individuae, veluti Corisco, alterum ut genus, *ἄνθρωπος*, alterum ut accidens (*ἕξις ἢ πάθος a* 34, quibus vocabulis significatur accidens, quatenus vel inhaeret firmiter substantiae vel eam afficit, cf. *Δ* 20, 21) *τὸ μουσικόν*. Quod ipsum genus *συμβῆναι* dicitur ei rei, quae generi est subiecta, cf. quae de diversa notione huius verbi Trendelenburgius disseruit de an. p. 188 sqq. Ceterum quae hic ad *τὸ ἓν κατὰ συμβεβηκός* referuntur, eadem enumerata legimus cap. 7 et 9, ubi exponuntur notiones *τοῦ ὄντος* et *ταὐτοῦ*. — *b* 25 *οἷον*, cf. ad *A* 4. 985*b* 6.

Ad textum constituendum quod attinet 1015*b* 18: *ταὐτὸν γὰρ εἰπεῖν Κορίσκος καὶ τὸ μουσικόν, καὶ Κορίσκος μουσικός*, post *μουσικόν* e commentario Alexandri p. 321, 17 addendum est *ἕν*, quod ad sententiam necessario requiritur et ex superioribus verbis vix potest repeti. Sed idem *ἓν* deinde facile suppletur ad verba proxima *καὶ τὸ μουσικὸν καὶ τὸ δίκαιον*. Ex eodem commentario Alexandri deinde ante *δίκαιος* addidi *καί*. Hoc enim dicit Aristoteles: nihil differt, utrum dicas Coriscum et eruditionem idem esse, an Coriscum esse eruditum, et utrum eruditionem et iustitiam unum esse dixeris, an Coriscum dixeris eruditum esse et eundem iustum. Nimirum *τὸ ἓν κατὰ συμβεβηκός* nihil aliud significat, nisi accidens praedicari de subiecto.

B. 1015*b* 36—1016*b* 17 *ἓν καθ' αὐτό*.

a) 1015*b* 36—1016*a* 17 *ἓν καθ' αὐτό* primum dicitur id quod est continuum, *συνεχές*. Continuum hoc loco et pariter *I* 1. 1052*a* 20 id esse dicit, cuius motus per se ac necessario unus sit, h. e. quod ita coaluit, ut non possit altera pars moveri et eodem tempore altera pars extensa (*μόριον ἔχον μέγεθος a* 16, ne cogitetur de linea recta circa unum punctum consistens in orbem lata) quiescere. Ita

quae per se sunt continua distinguuntur ab iis, quae tactione quidem inter se cohaerent nec tamen unum efficiunt. — Notionem continui subtilius exponit Phys. V 3, notione motus, quae non necessario cogitatur in notione continuitatis, non adscita, sed per determinationem a notionibus τοῦ ἅπτεσθαι, ἐφεξῆς, ἔχεσθαι progressus ad ipsum συνεχές. Eiusdem libri proximo capite V 4 subtilius definit qui motus sit unus, nimirum is, in quo unum sit et ὅ et ἐν ᾧ et ὅτε κινεῖται: hoc loco, ubi unitatem motus non ipsam explicat, sed ad definiendam continuitatem adhibet, in definitione minus accurata acquiescit. — Lineam si pro exemplo continuitatis sumpseris, magis proprie et primarie recta linea quam inflexa, κεκαμμένη, continua esse censebitur. Linea κεκαμμένη qualis esse censenda sit, cognoscitur ex libro de inc. an. 9. 708*b* 22: ἔστι γὰρ κάμψις μὲν ἡ ἐξ εὐθέος ἢ εἰς περιφερὲς ἢ εἰς γωνίαν μεταβολή. Inde et curva et in angulum infracta linea potest dici κεκαμμένη, hoc autem loco Aristotelem dixisse lineam in angulum infractam, intelligitur et ex exemplo cum illa comparato σκέλος καὶ βραχίων, et ex eo quod ad κεκαμμένην *a* 13 explicandi causa addit καὶ ἔχουσαν γωνίαν, cf. κεκλάσθαι An. post. I 10. 76*b* 9. — Alius continuitatis gradus inde exsistit, quod quae natura sunt continua magis proprie hoc sibi praedicatum vindicant, quam quae arte vel vi ad continuitatem sunt redacta; cf. *I* 1. 1052*a* 19.

b) 1016*a* 17—24. Unitas per se iis tribuitur rebus, quarum una eademque specie, τῷ εἴδει, non numero est materia sensibilis, κατὰ τὴν αἴσθησιν, sive materia rei proxima, veluti aes statuarum aenearum, sive remotissima a re et prima in generando, ut terra aeris auri reliquorum. Hoc significari materiae discrimen, quum dicit *a* 19: τὸ δ' ὑποκείμενον ἢ τὸ πρῶτον ἢ τὸ τελευταῖον πρὸς τὸ τέλος, manifestum est, sed utro vocabulo proxima rei generatae materia, utro remotissima et sua ipsius natura primaria denotetur, propterea dubium est, quia ambigua est voc. πρῶτος notio, prouti a principiis ad effectum progredimur vel ab hoc ad illa redimus, cf. 4. 1015*a* 7: πρώτη ὕλη, καὶ αὕτη διχῶς, ἢ ἡ πρὸς αὐτὸ πρώτη ἢ ἡ ὅλως πρώτη, eademque ambiguitas pertinet etiam ad voc. τελευταῖος vel ἔσχατος.

Unde fit ut primaria suapte natura materia modo simpliciter πρώτη dicatur Θ 7. 1049a 25, modo eadem τελευταία vel ἐσχάτη Λ 3. 1069b 35. 1070a 20. Hoc quidem de quo agimus loco πρώτην ὕλην dici proximam, πρώτην πρὸς αὐτό, inde cognoscitur quod remotissimam ab ipsa re materiam deinde, ubi exemplo rem illustrat a 23 τὸ ἔσχατον ὑποκείμενον dicit, unde consentaneum est, antea etiam eandem vocabulo τελευταῖον significatam esse, proximam autem voc. πρῶτον. Cf. de notione πρῶτος Waitz ad Org. 71b 16. 16a 6. 66b 20.

c) 1016a 24—32. Sicuti rebus unitas tribuitur ex unitate materiae ad diversas formas effictae, ita etiam ex unitate generis oppositis inter se differentiis specificis determinati. Haec unitas ei quae proxime antecedit eo magis potest comparari, quia genus quasi materia esse videtur differentiis quibus determinatur, cf. 28. 1024b 3—9. Ι 8. 1058a 23. Δ 24. 1023b 2. Ζ 7. 1033a 2—4. 12. 1038a 5. Ita homo equus canis unitate continentur, quia idem genus, animal, omnes complectitur. Sed in his discrimen quoddam animadvertisse sibi videtur Aristoteles, si quae sint extremae generum species, quibus non aliae iterum species subiiciantur; veluti triangulum aequicrurum et scalenum, quae sunt extremae figurarum species, non dicuntur esse ἓν τρίγωνον sed ἓν σχῆμα, quia trianguli, sed non item figurae differentiis inter se distinguuntur. (Eodem exemplo hanc rem illustrat Aristoteles Phys. IV 14. 224a 4.) Quamquam illud dictionis potius est quam rei discrimen, nam aequicrurum et scalenum triangulum ἓν esse censentur, quatenus sunt triangula, sed non ἓν τρίγωνον, nec vero sunt ἓν σχῆμα, sed propter id ipsum, quod sunt ambo triangula, eadem sunt ἓν εἶδος σχήματος. — Ea verba, quibus haec peculiaris ratio specierum extremarum significatur, ὅτε δὲ τὸ ἄνω — ἀνωτέρω τούτων, manifesto depravata sunt. Nam τὰ τελευταῖα τοῦ γένους εἴδη, veluti triangulum aequicrurum et scalenum, non possunt ipsa dici τὰ ἀνωτέρω τούτων, quum per pron. τούτων ipsae significentur species ultimae. Itaque necesse est cum Alexandro p. 327, 7 τὸ ἀνωτέρω scribatur. Praeterea si omiseris ὅ ante ταὐτόν, et τὸ ἀνωτέρω per appositionem explicativam coniunxeris cum τὸ ἄνω γένος, omnia satis erunt plana.

d) 1016*a* 32—*b* 11. Porro unitas iis tribuitur rebus, quarum eadem est notio substantialis, licet accidentibus, veluti magnitudine (*τὸ ηὐξημένον καὶ φθῖνον*), inter se differant. Notio substantialis quoniam definitione continetur, habebit quidem, ut quaelibet definitio, partes h. e. notas, sed si duarum rerum eadem est notio substantialis, haec notio substantialis comparata cum eadem alterius rei notione individua esse videbitur *a* 32—35. — Huic significationi unitatis adiungit et quid proprie ac potissimum unum dicatur, nimirum substantia singularis, cuius cogitatio nulla omnino ratione divisionem vel distinctionem admittat, et quid universe dicatur unum per se. Quidquid enim est individuum, quatenus est individuum, eatenus dicitur unum, *ἢ συνεχείᾳ*, inquit, *ἢ εἴδει ἢ λόγῳ*, respiciens ad genera *τοῦ ἑνὸς καθ' αὑτό* ante exposita. Omisit unitatem materiae, verbis autem *ἢ εἴδει ἢ λόγῳ* generis et notionis substantialis unitatem videtur distinguere. Alexander quidem, quum infra in textu non haberet *ἢ ὧν ὁ λόγος μὴ εἷς* *b* 11, eam etiam admisit interpretationem, ut *ἐκ παραλλήλου* dicta viderentur *εἴδει* et *λόγῳ*, p. 327, 22—29, quae interpretatio inde potest commendari, quod infra dicit *b* 33: *εἴδει δ' ὧν ὁ λόγος εἷς*. Sed cum vi particulae disiunctivae *ἢ εἴδει ἢ λόγῳ* ea explicatio non videtur conciliari posse.

e) 1016*b* 11—17. Quae quinto loco ponitur unitatis significatio, continuum tum demum proprie unum dici si sit plenum et in se perfectum, coniungenda statim erat cum prima significatione 1016*a* 1—17, quemadmodum aptius haec ordinata legimus *I* 1. 1052*a* 22. — *b* 11 *ἔτι* scripsi pro vulgata lectione *ἐπεί*, cf. Obs. p. 110, secutus unum librum haud ita magnae auctoritatis *T* et coniecturam Alexandri; nam ad protasin a particula *ἐπεί* orsam qui fieri potuerit ut omitteretur apodosis, non potest intelligi. Ceterum mutatio adeo lenis est et cum Aristotelico dicendi usu convenit, ut vix egeat commendatione. Schweglerus ad h. l. quae opponit huic coniecturae, dubito num vere sint disputata.

C. 1016*b* 17—31 *τὸ ἑνὶ εἶναι*.

Hucusque singulas res enumeravit, quibus unitas tribuitur, iam vero quae sit ipsa notio unitatis, *τὸ ἑνὶ εἶναι*, disserit. Quae quaestio quamquam diversa est a superiore disputatione, tamen iam et mota et soluta est, ubi quaesi-

vit, quid sit illud unde omnino rebus praedicatum unitatis exsistat, *καθόλου γὰρ ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ᾗ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται* *b* 3. His enim verbis manifesto significatur *τὸ ἑνὶ εἶναι* esse *τὸ ἀδιαιρέτῳ εἶναι*. Itaque ut via ac ratione dissereret, ab hac notione proficisci debebat; inde deduci poterat *τὸ ἑνὶ εἶναι* mensuram significare, qua primum ac proprie magnitudines metimur, deinde vero etiam quidquid cognoscendo quasi metiri videmur. Atque hac quidem ratione perspicue ac distincte notionem *τοῦ ἑνὶ εἶναι* exposuit *I* 1. 1052*b* 15—1053*b* 8, sed hoc loco quod dicit *τὸ ἑνὶ εἶναι ἀρχή τινί ἐστιν ἀριθμοῦ εἶναι* (cf. *τὸ ἓν τοῦ ἀριθμοῦ ἀρχὴ καὶ μέτρον* 15. 1021*a* 13. *I* 1. 1052*b* 18. *N* 1. 1087*b* 33. — *οὐκ ἔστι τὸ ἓν ἀριθμός* *N* 1. 1088*a* 6), id non coniunxit cum notione *τοῦ ἑνὶ εἶναι* antea exposita, nec deinde, quum *τὸ ἓν* principium numeri esse ait et omnino primum omnium generum, quae cognoscantur, elementum, aptum et dilucidum instituit sententiarum ordinem. — Iam quod dicit *πανταχοῦ δὲ τὸ ἓν ἢ τῷ ποσῷ ἢ τῷ εἴδει ἀδιαίρετον*, id occasionem praebet ut exponat, quot modis dividi magnitudines possint et quot inde oriantur rerum mathematicarum genera. Connexa haec esse cum superioribus non me fugit, sed quid huc pertineant, quid ad explicandam unitatis notionem conferant, non assequor. — *b* 30 *ἄθετος, θετός*, cf. *M* 8. 1084*b* 27, 33. 3. 1077*b* 20.

D. 1016*b* 31—1017*a* 3. Alia dividendi ratione usus genera unitatis ita distinguit, ut proxima quaeque latius extendantur quam quae antecedunt. Proprie et plenissimo sensu una dicitur esse res ea, quae numero est una, *τὸ κατ' ἀριθμὸν ἓν* h. e. *τὸ καθ' ἕκαστον* (cf. *B* 4. 999*b* 33: *τὸ γὰρ ἀριθμῷ ἓν ἢ τὸ καθ' ἕκαστον λέγειν διαφέρει οὐθέν*. Waitz Org. I. p. 276). Latius patet earum rerum unitas, quae eiusdem sunt species et notionis (*τὸ εἴδει ἕν*), atque his etiam latius quae eidem generi sunt subiecta. Generis autem unitatem quum his verbis describit *γένει δ' ὧν τὸ αὐτὸ σχῆμα τῆς κατηγορίας* *b* 33, ea Alexander quidem ita videtur interpretari p. 329, 12, ut categorias intelligi velit summa illa omnium rerum genera, quae Aristoteles decem enumeravit et *κατηγορίας* vel *σχήματα τῆς κατηγορίας* (cf. ad 7. 1017*a* 23) appellavit; sed universali magis et primario sensu

accipiendum esse *κατηγορίας* vocabulum ut significet: genere una dicuntur ea, quibus idem tribuitur praedicatum, consentaneum videbitur conferentibus *I* 3. 1055a 1. 8. 1058a 13, 14 et quae exposuimus ad *I* 3. 1054b 29. — Latius etiam quam generis unitas patet analogia, ut quae inter eas etiam res possit intercedere, quae ex diversis plane et distinctis summis generibus petitae sint, cf. *N* 6. 1093b 18. Quibus quidem de unitatibus quod dicit *ἀεὶ δὲ τὰ ὕστερα τοῖς ἔμπροσθεν ἀκολουθεῖ* b 35, id ad numeri quidem et speciei et generis unitatem recte refertur; parum accurate autem idem ad analogiae unitatem extendit, ductus fortasse reliquarum unitatum similitudine, nec sufficere videtur ad hoc explicandum Alexandri ratio p. 329, 18—22.

1017a 2 *φανερὸν δὲ — 6 λέγοντας*. *Τὰ πολλά* quum opposita sint *τῷ ἑνί*, apparet tot modis ea dici, quot modis *τὸ ἓν* usurpatur, ex quibus aliquot exempli causa Aristoteles affert. — a 5 *ὕλην πρώτην, τελευταίαν*, cf. ad 1016a 20, Waitz Org. II. p. 306. — a 6 *λέγοντας* vel invitis codicibus scribendum esse pro vulgata lectione *λέγονται* demonstravi Obs. p. 60. Ad confirmandam emendationem cf. praeter locos illic laudatos An. post. I 4. 73a 36, 38. b 2. Top. V 2. 130b 26. VII 3. 153a 15. Phys. III 3. 202b 12. Eth. Nic. II 6. 1107a 6.

In libro *I* Metaphysicorum, ubi de notione unitatis et de aliis quae cum ea cohaerent accurate disputat, commemorat quidem ab initio *τὸ ἓν ὅτι μὲν λέγεται πολλαχῶς, ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς εἴρηται πρότερον* 1052a 15, quae verba non alio nisi ad hoc caput possunt referri, sed ea ipsa, quae hoc in capite congesta sunt, minime respicit. Inter eas res, quibus tribuitur unitas, illic *τὸ ἓν κατὰ τὴν ὕλην* omittit, et quas enumerat eo persequitur ordine, qui cum neutra huius capitis distinguendi ratione consentiat. Ceterum ad universum hoc caput cf. quae exposuimus ad subtiliorem illam libri *I* disputationem et Waitz Org. 1b 6.

CAP. VII.

Philosophiae theoreticae quum illud sit potissimum propositum, ut quid re vera s i t cognoscat, diversa philosophia-

rum natura et indoles in eo maxime cognoscetur, quid quaeque esse comprobet; quod quidem praedicatum τοῦ εἶναι, si philosophiam inde ab ultimis primordiis persequimur, a rebus primum sensibus oblatis ad abditissimos cogitandi recessus quasi migrare videmus. Atque Aristoteles quidem ubi entis et substantiae nomina usurpat, ne diversissima quaeque miscere nec ulla ratione constare sibi ipse videatur, illud probe est distinguendum, utrum usum dicendi vel vulgarem vel aliorum philosophorum sequatur, an quid sibi potissimum videatur exponat, quamquam in hac etiam ipsius sententia inesse ambiguitatem quandam non potest negari. Hoc quidem capite, quae est universi huius libri ratio, nihil curans quid ipse potissimum esse censeat, unice quot modis τὸ ὄν usurpetur disserit. Quos autem enumerat quatuor entis modos τὸ ὂν κατὰ συμβεβηκός 1017 a 7—22, τὸ ὂν κατὰ τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας a 22—30, τὸ ὂν ὡς ἀληθές a 31—35, τὸ ὂν δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ a 35—b 9, eosdem pariter omnes distinctos videmus *E* 2. 1026 a 33—b 2, reliquos praeter τὸ ὂν κατὰ συμβεβηκός Θ 10. 1051 a 34—b 2. *N* 3. 1089 a 26.

a) 1017 a 8—22. *Τὸ ὂν κατὰ συμβεβηκός* eundem fere in modum exponit, atque in superiore capite τὸ ἓν κατὰ συμβεβηκός: significat enim hoc etiam universe eam rationem, quae inter substantiam eiusque accidentia intercedit. Sed in iis enunciationibus, quibus τὸ ὂν κατὰ συμβεβηκός praedicatur, inest quaedam diversitas; tribuitur enim aut accidens substantiae ei, cuius est accidens, ὁ ἄνθρωπος μουσικός ἐστι, aut accidens accidenti, quod eidem inhaeret substantiae, τὸ μουσικὸν λευκόν ἐστι, aut denique substantia suo accidenti, τὸ μουσικὸν ἄνθρωπός ἐστι. Extremam enunciandi rationem his verbis Aristoteles explicat a 21: ὅτι αὐτὸ ἔστιν, ᾧ ὑπάρχει οὗ αὐτὸ κατηγορεῖται, h. e. ὅτι αὐτὸ τὸ κατηγορούμενον, οἷον ὁ ἄνθρωπος, ἔστιν, ᾧ κατὰ συμβεβηκὸς ὑπάρχει τὸ μουσικόν, οὗ αὐτό, ἤτοι ὁ ἄνθρωπος, κατηγορεῖται. (Falso hunc locum interpretati sunt Schw. ad h. l. Waitz Org. 4 a 12.) Verbum ἔστιν scripsi παροξυτόνως quia essentiae significatio in hoc enunciationum genere non minus requiritur, quam in duobus superioribus ὅτι τῷ αὐτῷ ὄντι — ὑπάρχει, ὅτι ὄντι ἐκείνῳ ὑπάρχει. (Eadem ra-

tione ductus a 19 ἔστιν scripsi pro ἐστιν.) Quum autem in hoc enunciationum genere id quod sua natura subiectum est, ὁ ἄνθρωπος, praedicati in locum descendat, Alexander non inepte has propositiones παρὰ φύσιν προτάσεις appellat p. 331, 19. Aristoteles vero in eodem propositionum genere vel nihil omnino vel per accidens aliquid praedicari censet An. post. I 4. 83a 4: ὅταν μὲν γὰρ τὸ λευκὸν εἶναι φῶ ξύλον, τότε λέγω ὅτι ᾧ συμβέβηκε λευκῷ εἶναι ξύλον ἐστίν, ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ ὑποκείμενον τῷ ξύλῳ τὸ λευκόν ἐστι. — ἔστω —, τὸ δ' ἐκείνως ἤτοι μηδαμῶς κατηγορεῖν, ἢ κατηγορεῖν μὲν μὴ ἁπλῶς, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ κατηγορεῖν. cf. An. pr. I 27. 43a 34. — Cum his inversis et παρὰ φύσιν προτάσεσι Aristoteles comparat, quod dicitur τὸ μὴ λευκὸν εἶναι, ὅτι ᾧ συμβέβηκεν, ἐκεῖνο ἔστιν, a 18. Quod quomodo possit comparari magis apparet, si τὸ μὴ λευκὸν ἔστιν plenius ita dixeris: τὸ μὴ λευκόν ἐστιν ὄν. Nimirum quod subiectum est colori non albo, τὸ ὄν, in enunciando abiit in locum praedicati, pariter atque in enunciatione τὸ μουσικὸν ἄνθρωπός ἐστι praedicati locum id obtinet, quod re ipsa subiectum est. — τὸ μὴ λευκόν, quod Bekkerus e cod. Ab recepit, et Alexandri auctoritate confirmatur et praecipue similitudine loci Λ 1. 1069a 24.

b) 1017a 22—30. Quoniam praedicata omnia, quaecunque alicui rei tribui possunt, ad decem illa summa genera rediguntur, quae saepius Aristoteles et distinxit et enumeravit, atque quodvis praedicatum cum subiecto vel coniungitur per verbum ἐστι vel potest coniungi (ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστίν idem significat atque ἄνθρωπος ὑγιαίνει, a 28), quasi ipsa copula adsciscat praedicatorum, quibus adhibetur, vim et discrimina, totidem modis τὸ εἶναι enunciari dicit, quot sint summa praedicatorum genera, cf. An. pr. I 37. In iis enumerandis h. l. τὸ κεῖσθαι et τὸ ἔχειν omittit, quae eadem alibi omissa videmus, E 2. 1026a 36. K 12. 1068a 8. Categorias autem quod dicit σχήματα τῆς κατηγορίας cf. quae de voc. σχῆμα exposuit Trendel. Kat. p. 7 sq.

c) 1017a 31—35. Tertiam τοῦ εἶναι notionem, ex qua τὸ εἶναι veritatem, τὸ μὴ εἶναι falsum significat, uberius expositam legimus E 4. Θ 10. cf. K 8. 1065a 21—26. Quod autem dicit: τὸ εἶναι σημαίνει καὶ τὸ ἔστιν ὅτι ἀληθές, τὸ

δὲ μὴ εἶναι ὅτι οὐκ ἀληθὲς ἀλλὰ ψεῦδος, ὁμοίως ἐπὶ καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως, apparet κατάφασιν et ἀπόφασιν ad utrumque referri et ad τὸ εἶναι et ad τὸ μὴ εἶναι. Itaque his vocabulis, κατάφασις, ἀπόφασις, non illud significat propositionum discrimen, quod ex copula ἐστι vel affirmative vel negative adhibita exsistit, sed id quod ex praedicatorum natura affirmativa aut negativa oritur. Veluti enunciatio: ἔστι Σωκράτης οὐ λευκός propter praedicatum negativum ad ἀποφάσεις referenda erit, copula autem affirmativa eam habet vim, ut illam enunciationem veram esse affirmet. Eiusmodi enunciationes Aristoteles propter indefinitam praedicati naturam ἀορίστους dixisse perhibetur (Ammon. ad Herm. Schol. 121a 13), quod nomen parum intellectum ad nostram aetatem obtinuit (Trendel. El. §. 5), Theophrastus vero ἐκ μεταθέσεως. — a35 σύμμετρος scribendum esse, non ἀσύμμετρος, ostendi Obs. p. 89.

d) 1017a 35—b9. Quarta significatio τοῦ ὄντος, quod vel τὸ δυνάμει ὄν vel τὸ ἐντελεχείᾳ significat, superiores omnes complectitur (τῶν εἰρημένων τούτων b2); quidquid enim esse aliquid dicitur, id vel potentia illud est vel actu. Hoc discrimen, saepissime in omnibus quaestionibus adhibitum, uberius exponit libro Θ, cuius libri caput septimum respicit b9: ἐν ἄλλοις διοριστέον. — Sententia Aristotelis nihil habet obscuri, sed de ipsis verbis plus una oritur dubitatio. Primum ῥητόν et ῥητῶς antiquitus iam in textum irrepsisse testis est Alexander p. 332, 22, non genuinum illud esse facile sibi persuadebit, qui omnes Aristotelis de potentia locos contulerit; sed qui potuerit inferri in textum non video. Articulum deinde duobus locis excludendum censui, quia nulla ibi ratione explicari potest, cur praedicatum articulum adsciverit. — Exemplum Mercurii qui in rudi materia, dimidii quod in toto insit frequens in hac re, cf. *B* 5. 1002a 22. Θ 6. 1048a 3. Phys. I 7. 190a 7.

CAP. VIII.

De οὐσίᾳ subtiliter et accurate Aristoteles disputat per universos libros *Z* et *H*, quibus comparatis apparebit, quae in hac significationum enumeratione vel omissa sint vel distincta quum non debeant distingui.

a) 1017*b* 10—14. Ac primum quidem substantiae naturam in eo cerni dicit, quod *οὐ καθ' ὑποκειμένου λέγεται, ἀλλὰ κατὰ τούτων τὰ ἄλλα*, quam eandem definitionem legimus *Z* 3. 1029*a* 8. 13. 1038*b* 15; discernitur ita substantia ab accidentibus vel affectionibus, quae necessario alicui substantiae inhaerent, *Γ* 4. 1007*a* 31 sqq. *B* 5. 1002*a* 3. *A* 3. 983*b* 10. Haec autem substantiae natura, quod per se ipsam est neque aliud quid requirit cui inhaereat, quum apertissime et omnium consensu (*οὐσίαι — ὁμολογούμεναι μὲν αἱ φυσικαί κτλ. H* 1. 1042*a* 7) cernatur in rebus naturalibus et sensibilibus, has primum tamquam exempla enumerat substantiae, ita quidem ut et prima elementa et quae ex iis compositis exsistunt substantiarum loco habeat, cf. de coelo III 1. 298*b* 29: *λέγω δ' οὐσίας μὲν τά τε ἁπλᾶ σώματα, οἷον πῦρ καὶ γῆν καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, καὶ ὅσα ἐκ τούτων, οἷον τόν τε σύνολον οὐρανὸν καὶ τὰ μόρια αὐτοῦ, καὶ πάλιν τά τε ζῷα καὶ τὰ φυτὰ καὶ τὰ μόρια τούτων. Z* 2. 1028*b* 8. *Λ* 3. 1070*a* 5. *M* 2. 1077*a* 31. Quae e libris de coelo attulimus, ea demonstrant, quae hic dicit *δαιμόνια*, *b* 12, coelestia corpora sive sidera significare, cf. Alex. p. 333, 19; eadem alibi saepius *θεῖα* appellat, *Λ* 8. 1074*a* 30. *E* 1. 1026*a* 18. Phys. II 4. 196*a* 33. de coelo I 3. 270*b* 4—25. Meteor. I 3; cf. Eth. Nic. VI 7. 1141*b* 1.

b) 1017*b* 14—16. Deinde substantia id dicitur, quod quum insit et contineatur in re sensibili, causam continet ut illa talis sit qualis est; cf. *H* 2. 1043*a* 2: *ἡ οὐσία αἰτία τοῦ εἶναι ἕκαστον.* 1043*b* 11—18. *Z* 17. 1041*a* 9 sqq.

c) 1017*b* 17—21. Tum substantiae nomine, nimirum ex sententia Platonicorum et Pythagoreorum, *ὥς φασί τινες b* 19, eae sive partes sive notae corporis significantur, quae cogitanti (cf. *M* 2. 1077*a* 31—*b* 14) ita sunt priores, ut illis sublatis corpus cogitari nequeat, veluti plana lineae numeri, quibus definitur corpus.

d) 1017*b* 21—22. Denique substantia cuiusvis rei dicitur *τὸ τί ἦν εἶναι*, cuius notio est *ὁρισμός* rei, cf. ad *Z* 4. 1030*a* 7. Cohaerere hanc substantiae significationem cum duabus proximis, praecipue cum ea, qua substantiam esse dicit *ὃ ἂν ᾖ αἴτιον κτλ.*, et per se apertum est, et eo confirmatur, quod animam, quam illic causam dicit esse animali

ut tale sit quale est, eandem alibi τὸ τί ἦν εἶναι appellat, *Z* 10. 1035*b* 15: ἡ τῶν ζῴων ψυχὴ — ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῷδε σώματι. Aliquod tamen discrimen in eo videtur inesse, quod altera substantiae notio unice refertur ad formalem causam sensibilium rerum, haec autem quarta ad omnium rerum notionem substantialem; nec mirum si in hoc significationum recensu, vulgarem usum potius quam notionis rationem secutus, ea distinctim affert, quae melius ad idem referebantur.

1017*b* 23—26. Propterea denique complexus quae antea enumeravit (συμβαίνει δή, inde consequitur, cf. ad *A* 8. 989*a* 22) ad duas notiones omnes substantiae significationes redigit, quarum prior, τὸ ὑποκείμενον ἔσχατον, ὃ μηκέτι κατ' ἄλλου λέγεται, manifesto eadem est, quam antea primo loco posuerat, ὅτι οὐ καθ' ὑποκειμένου λέγεται κτλ. Et quum ὑποκείμενον ἔσχατον sive πρῶτον vel res singulas et per se exsistentes, affectionibus subiectas significet, vel materiam cuiuslibet formae expertem, cf. ad *A* 2. 982*a* 23, priore illa notione hic τὸ ὑποκείμενον usurpari ex exemplis supra ad rem illustrandam adhibitis cognoscitur. Altera autem substantiae notio, ut significet formae definitionem, tres reliquas complectitur substantiae significationes. Quam quidem quod dicit ὃ ἂν τόδε τι ὂν καὶ χωριστὸν ᾖ, vocabulis τόδε τι singularum rerum forma definita describitur (cf. Waitz Org. 3*b* 10), χωριστόν autem non dici h. l. quod re, sed quod notione seiunctum est, cognoscitur coll. *H* 1. 1042*a* 26: ἔστι δ' οὐσία —, ἄλλως δ' ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή, ὃ τόδε τι ὂν τῷ λόγῳ χωριστόν ἐστιν. cf. *Z* 3. 1029*a* 38. 14. 1039*a* 30 sqq. *Λ* 3. 1070*a* 13. Phys. II 1. 193*b* 4.

CAP. IX.

Ταὐτό, idem, quot modis dicatur expositurus perinde atque in superioribus capitibus ab accidentali notionis vi orditur, 1017*b* 24—1018*a* 4, quae plane concinit cum accidentali vi essentiae et unitatis, c. 6, 7. Cuius quidem triplicem usum ubi explicuit, haec addit *b* 30: ἑκατέρῳ δὲ τοῦτο καὶ τούτῳ ἑκάτερον ἐκείνων int. ταὐτόν ἐστιν, i. e. non solum vel accidentia inter se vel accidens et substantia idem

esse censentur, sed etiam utrique et substantiae et accidenti seorsim positis τὸ συναμφότερον, substantia coniuncta cum accidente, veluti Σωκράτης μουσικός, idem esse dicitur, et rursus τῷ συναμφοτέρῳ utrumque et substantia et accidens. Hae autem praedicationes omnes, πάντα ταῦτα *b* 33, quae fiunt κατὰ συμβεβηκός, non habent vim universalem, καθόλου οὐ λέγεται, propter id ipsum quia universe tribui alicui rei non possunt, nisi quae per se ei tribuuntur (cf. An. post. I 4. 73*b* 26: καθόλου δὲ λέγω ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ καὶ καθ᾽ αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτό.), ἀλλ᾽ ἐπὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστα ἁπλῶς λέγεται *a* 1, h. e. si accidentalis identitatis praedicatio adhibetur in notione universali, restrictio quaedam addenda est, veluti ἄνθρωπός τις καὶ τὸ μουσικὸν ταὐτόν ἐστι, sin adhibetur in una quadam re, simpliciter (ἁπλῶς, cf. ad 5. 1015*b* 8) sine tali pronunciatur limitatione, Σωκράτης καὶ τὸ μουσικὸν ταὐτόν ἐστιν.

Idem per se, 1018*a* 5—9, quum eandem habeat notionem atque unum per se, Aristoteles omissis quas antea exposuit distinctionibus satis habet praecipuas eius notionis significationes memorasse. Namque identitas quoniam est rerum, vel quae sunt plures numero, vel quae cogitantur ac si sint plures, essentiae unitas, hoc essentiae nomine vel materia vel notio significari potest; ad has duas significationes modo amplificatas modo artius restrictas facile ceterae referentur.

De notione τοῦ ταὐτοῦ itemque de iis quas deinde perstringit τοῦ ἑτέρου, τοῦ διαφόρου, τοῦ ὁμοίου, τοῦ ἀντικειμένου subtilius disputat *I* 3, 4. Veluti ἕτερον hoc loco nihil aliud quam ἀντικειμένως λέγεσθαι τῷ ταὐτῷ dicit, illic vero quomodo sit oppositum, num contradictorie an alio quodam modo distinguit. Maior etiam negligentia cernitur in describenda notione τοῦ διαφόρου 1018*a* 12—15. Nam primum illud quidem recte docet, in τῷ διαφόρῳ ad notionem τοῦ ἑτέρου, quae eius est genus, unitatem quandam accedere, modo ne cogites (μὴ μόνον *a* 12, quasi dicat μόνον μή, Alex. p. 340, 4, cf. *E* 1. 1025*b* 28) unitatem numeri, sed vel speciei vel generis vel analogiae unitatem. Haec notionis descriptio fere concinit cum disputatione libri *I*. Sed his ita expositis non erat cur adiiceret ὧν ἕτερον τὸ γένος

et ὅσα ἔχει ἐν τῇ οὐσίᾳ τὴν ἑτερότητα, illa enim referenda erunt ad unitatem analogiae, haec ad unitatem generis; multo denique minus addenda erant τὰ ἐναντία, ea enim speciem efficiunt τοῦ διαφόρου, ut luculenter explicat *I* 4, neque eam quidem coordinatam reliquis, quas attulit, speciebus τοῦ διαφόρου.

In describenda notione τοῦ ὁμοίου 1018a 15—19 (de qua cf. Top. I 17) quatuor quidem enumerat significationes, sed eas si quis paullo diligentius excusserit, vereor ut quidquam certi discriminis sit inventurus. Nam quod ab initio similia ea dicit nominari quae affectiones omnes communes habeant, idem continetur tertia significatione, similia esse ea quorum eadem sit qualitas, siquidem ad qualitatem etiam referuntur παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη, Cat. 8. 9a 28. Et quod extremo loco dicit: καὶ καθ' ὅσα ἀλλοιοῦσθαι ἐνδέχεται τῶν ἐναντίων — τούτῳ vix distinguas a primis duabus significationibus, si adhibueris definitionem τοῦ πάθους 21. 1022b 15: πάθος λέγεται ἕνα μὲν τρόπον ποιότης καθ' ἣν ἀλλοιοῦσθαι ἐνδέχεται. Ab eiusmodi definiendi vitiis libera est disputatio libri *I* 3.

CAP. X.

Oppositionis postquam quatuor illa notissima genera enumeravit, contradictionem, contrarietatem, relationem, privationem et habitum, quinto loco addit: καὶ ἐξ ὧν καὶ εἰς ἃ ἔσχατα [, οἷον] αἱ γενέσεις καὶ αἱ φθοραί. In his vocabulum οἷον a textu secludendum censui, quod spurium esse ex ipsa sententiae ratione apparet; neque enim in generationem vel corruptionem, neque ex generatione vel corruptione quidquam mutatur, ut hi extremi sint fines ac termini mutationis, sed generatio et corruptio ipsam potius mutandi viam significant. Accedit Alexandri auctoritas, cuius in commentario nusquam illius vocabuli οἷον vestigium reperias, cf. p. 341, 26: καὶ τὰ ἐξ ὧν αἱ γενέσεις καὶ φθοραί et p. 341, 30: λέγοι δ' ἂν μᾶλλον τὰ ἐξ ὧν αἱ γενέσεις καὶ αἱ φθοραὶ κτλ. Cuius auctoritati opponi quodammodo possit Asclepius, qui quod scribit Cod. Mon. f. 224a: καὶ ἐξ ὧν καὶ εἰς ἃ ἔσχατα τουτέστιν αἱ γενέσεις καὶ αἱ φθο-

ϱαί, videtur in textu habuisse οἷον (cf. ad Δ 4. 985b 6), si omnino liceret Asclepii vel certissimo testimonio contra Alexandri auctoritatem quidquam tribuere. Ceterum extremos terminos a quibus ordiatur et in quos desinat generatio et interitus utrum ens et non-ens intelligi velit an formam et materiam, nec certo decernere ausim nec multum ad rem differt. — Quam sexto loco affert oppositionis significationem, eam ipse exemplo allato luculenter illustrat. Corpus ad colores accipiendos idoneum non potest idem simul et fuscum esse et album; inde vel hi ipsi colores oppositi inter se dicuntur esse, vel extremi illi, ex quibus compositi sunt, album dico et nigrum colorem. Aristoteles licet ab initio optionem det, utrum praeferre malis, deinde tamen ubi dicit: διὸ ἐξ ὧν ἐστὶν ἀντίκειται, eo potius inclinat, ut extremos, quam ut medios colores oppositos inter se esse dicat.

Oppositionis genera Aristoteles saepe alibi commemorat, sed ubicunque eorum mentionem facit, quatuor enumerat genera, ἀντίφασιν, τἀναντία, τὰ πρός τι, στέρησιν καὶ ἕξιν, ac tot esse genera tamquam certum et exploratum ponit pariter ac causarum vel categoriarum numerum, cf. Cat. 10. 11b 17. Top. II 2. 109b 17. 8. 113b 15 sqq. V 6. Met. I 4. 1055a 38. Per duo illa genera, quae hoc loco addit, re vera nihil novi adiici facile apparet; quintum enim genus vel ad ἀντίφασιν vel ad στέρησιν καὶ ἕξιν, sextum ad στέρησιν καὶ ἕξιν vel ad τἀναντία revocari potest. Itaque quaeritur, qui factum sit ut Aristoteles a solenni et constanti oppositorum numero hic discederet. Quodsi quis dicat, constitisse quidem Aristoteli quum haec scriberet haud secus de quadripartita oppositionis distinctione, sed secutum eum, quae huius libri ratio est, dicendi potius usum quam notionum naturam, addidisse quae vulgari in usu distingui viderentur: profecto et debebat adiicere et vero etiam adiecisset, quomodo haec genera ad superiora revocentur. Quod autem Waitzius dicit Org. I. p. 308: «Quae ultimo loco nominavit non duo sunt oppositorum genera a quattuor generibus, quae antea commemoravit, diversa, sed signa sunt vel notae, ex quibus cognosci possint quae sint opposita,» acute ille quidem hanc discrepantiam explicare studuit, sed neque in verbis ipsis

ullum est vestigium ex quo has notionis descriptiones a superioribus distingui cognoscas, et, si rem accurate expenderis, haec signa vel notae certe ad *τὰ πρός τι* non poterunt recte trahi. Equidem quum multa in hoc libro eo nos ducant, ut satis mature haec collectanea conscripta esse putemus, facere non possum quin hac etiam discrepantia eam coniecturam confirmari censeam.

Ἐναντία. 1018*a* 25—38. De prima significatione: *τὰ μὴ δυνατὰ ἅμα τῷ αὐτῷ παρεῖναι τῶν διαφερόντων κατὰ γένος* cf. Cat. 11. 13*b* 36: *ἐναντίον δέ ἐστιν ἐξ ἀνάγκης ἀγαθῷ μὲν κακόν*, et ibid. 14*a* 19: *ἀνάγκη δὲ πάντα τὰ ἐναντία ἢ ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι ἢ ἐν τοῖς ἐναντίοις γένεσιν, ἢ αὐτὰ γένη εἶναι*. (cf. Top. IV 3. 123*b* 1 sqq.) Ex his quae ultimo loco indicantur *ἢ αὐτὰ γένη εἶναι* idem definiunt contrarietatis genus ac significatio notionis supra posita. Ad proxima verba *a*27 *καὶ τὰ πλεῖστον* — 30 *δύναμιν* et *a*31 *τὰ δ' ἄλλα* — 35 *τοιούτων* cf. *I* 4. 1055*a* 24—38 et quae ibi adnotavimus. Quod autem dicit *a*30: *καὶ ὧν ἡ διαφορὰ μεγίστη ἢ ἁπλῶς ἢ κατὰ γένος ἢ κατ' εἶδος*, latissimo sensu omnes *τοῦ ἐναντίου* significationes complectitur. — Ad has tamquam primarias contrarietatis notiones reliqua eius genera referuntur omnia, *a*31—35. Et quum ens pluribus dicatur modis (cf. 9. 1017*a* 22) pariter atque unitas (cf. *Γ* 2. 1003*b* 33), eandem diversitatem quae in ente cernitur pertinere etiam (*ἀκολουθεῖν*, cf. ad *A* 1. 981*a* 27) oportet ad notiones identitatis diversitatis contrarietatis, *Γ* 2. 1003*b* 35—1004*a* 31.

Ἕτερα et *ταὐτὰ τῷ εἴδει*, 1018*a* 38—*b*8, qualia dicantur non erat cur seorsim exponeret; nam in explicandis notionibus *τοῦ ἑνός*, *τοῦ ταὐτοῦ*, *τοῦ ἑτέρου* ea commemoraverat, quae sunt *τῷ εἴδει ἕν* vel *ταὐτά* vel *ἕτερα*. Quodsi nihilo minus varietatem usus in hac notione conspicuam explicare sibi proposuerat, profecto aliquis ordo in iis enumerandis erat observandus, sed eum equidem, utut rem considero, non possum reperire, quum modo latior modo angustior eiusdem notionis ambitus promiscue deinceps ponantur, id quod Alexander etiam videtur animadvertisse p. 346, 23. Nominantur enim primo species eiusdem generis non subordinatae, igitur *τὰ ἀντιδιῃρημένα εἴδη*, sed extenditur deinde

nomen ad omnes eiusdem generis species, quaecunque aliqua inter se differentia distinguuntur. Quae deinde afferuntur: *ὅσα ἐν τῇ οὐσίᾳ ἐναντίωσιν ἔχει*, vel latius possunt patere quam superiora, si genus non esse idem sumpseris, vel minus late, si genus idem posueris et differentiam ita restrinxeris ut in contrarietate cernatur. Ab his non procul abest quod deinde omnino *τὰ ἐναντία* adnumerantur *τοῖς ἑτέροις τῷ εἴδει*, et maxime quidem *τὰ πρώτως λεγόμενα ἐναντία*, h. e. ea quae *τῷ εἶναι ἐναντία*, non *τῷ ποιεῖν* vel *παθεῖν ἐναντία* et similibus de causis contraria dicuntur. Quae proxime recensentur *b* 4 *ὅσων ἐν τῷ τελευταίῳ — ἕτεροι αὐτῶν*, ea subiecta sunt vel primae vel secundae significationi notionis, siquidem a genere ad ultimas descendit species, quae dividi non possunt amplius in species, sed in res singulas et individuas. Denique quod dicit *b* 7: *ὅσα ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ ὄντα ἔχει διαφοράν*, equidem et in dictione offendo nec sententiam ipsam satis assequor; nam quae hic dicit *ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ ὄντα*, ea alias ubique opinor dixerit *τὰ αὐτὰ ὄντα τῇ οὐσίᾳ*, et si qua substantia ac notione eadem sunt, non possunt differre nisi quatenus sunt individua, veluti Simon et Socrates; at ea Aristoteles, et recte ille quidem, non *εἴδει* sed *ἀριθμῷ ἕτερα* dicit. Alexander quod scribit p. 346, 21: *καὶ ὅσα ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ ὄντα μὴ ἔχει μηδεμίαν διαφοράν· οὕτως ἂν ταὐτὸν εἴη τὸ κατ' ἀριθμὸν ταὐτὸν αὐτὸ αὑτῷ, καὶ τὰ πολυώνυμα ἀλλήλοις*, negationem ante verbum *ἔχει* in textu videtur habuisse; sed tum vel minus haec possunt referri ad *τὰ ἕτερα τῷ εἴδει*.

CAP. XI.

Notiones *τοῦ προτέρου* et *ὑστέρου* quum saepissime adhibeat Aristoteles, plerumque non omnes quibus possunt usurpari significationes enumerat, sed pro rei, de qua agitur, natura modo *πρότερον οὐσίᾳ* et *γενέσει* (cf. ad *A* 8. 989*a* 15), modo *πρότερον οὐσίᾳ* et *λόγῳ* (cf. ad *M* 2. 1077*b* 1—14), modo *πρότερον οὐσίᾳ λόγῳ χρόνῳ* (cf. *Θ* 8. 1049*b* 11 sqq.) distinguit. Quibus autem duobus locis id ipsum agit ut varias *προτέρου* et *ὑστέρου* notiones omnes persequatur, hoc dico Metaphysicorum caput et Cat. 12, utrobi-

que magis vulgarem usum sequitur et eius explicat varietatem, quam ipsam rei naturam investigat; quare quod non plane eadem in utraque disputatione distinguit notionis genera, non est cur miremur. cf. Waitz Org. 12a 26. 71b 21. Trendel. Kat. p. 38. 72 sqq. Et hoc quidem in capite quatuor potissimum distinguit τοῦ προτέρου καὶ ὑστέρου significationes.

a) 1018b 9—29. Primum si quod est principium vel a natura constitutum vel ex arbitrio alicuius positum, ex quo continua series orditur, priora et posteriora nuncupantur, quae vel propius vel longius ab illo principio absunt. Huc pertinent quae sunt priora vel posteriora κατὰ τόπον b 12 —14. Phys. IV 11. 219a 14—b 2, κατὰ χρόνον b 14—19. Phys. IV 14. 223a 4—13, κατὰ κίνησιν b 19—21, κατὰ δύναμιν — 26, κατὰ τάξιν — 29.

1018b 10 τῷ ἐγγύτερον scripsi pro vulgato τὸ ἐγγύτερον, secutus et Alexandri auctoritatem p. 347, 5 et similitudinem proximorum verborum b 12: τῷ εἶναι ἐγγύτερον, quibus illa ipsa explicantur; cf. 6. 1016a 17. 13. 1020a 30. al. — b 15, 17 οἷον non exemplo afferendo, sed rei explicandae inservit, de quo usu dixi ad Α 4. 985b 6. — b 21 ἀρχὴ δὲ καὶ αὕτη τις ἁπλῶς, cf. b 11: ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει. Recte Alex. p. 348, 9: ἔοικε δηλοῦν ὅτι καὶ ἡ ἐπὶ τοῦ χρόνου λαμβανομένη ἁπλῶς καὶ αὐτὴ ἦν ἀρχή· τοιοῦτον γὰρ τὸ νῦν.

b) 1018b 30—37. Deinde priora ea appellantur, quae cognitione alia antecedunt, quasi et ipsa simpliciter et suapte natura, ἁπλῶς, priora sint. Sed in ipsa hac notione τοῦ προτέρου insunt quaedam discrimina. Etenim si naturam notionis respicimus universale prius est quam singulare; contra si sensum respicimus singulare prius est quam universale, cf. Phys. I 5. 189a 5. Heyder krit. Darst. I 1. p. 164 sqq.; denique si unice singulas notas spectamus, ex quibus tamquam partibus definitio composita est, ipsum accidens prius est substantia cum accidente coniuncta, cf. Μ 2. 1077b 2 sqq.

c) 1018b 37—1019a 1. Quam deinde tertio loco ponit τοῦ προτέρου significationem, πρότερα λέγεται τὰ τῶν προτέρων πάθη, eam non debebat cum reliquis in eodem collocare ordine; pendet enim a reliquis, quae suapte natura sunt priora, tamquam accidens a subiecto cui inhaeret.

Lineam autem quod plano esse priorem sumit, unde rectitudinem priorem esse colligit laevitate, ad quartam referendum est *τοῦ προτέρου* notionem.

d) 1019*a* 2—14. Quarta *τοῦ προτέρου* significatio, quum quidem natura et essentia priora ea esse dicit, quae possunt esse sine aliis, alia non perinde sine iis, prorsus concinit cum definitione *ἀρχῆς*, *K* 1. 1060*a* 1: *ἀρχὴ γὰρ τὸ συναναιροῦν*. Hac distinctione quod Platonem dicit usum esse, frustra in eius libris, qui exstant, ubi id fecerit quaeras; respicere Aristotelem illud prius et posterius, quod idealibus numeris saepissime tribuitur, cf. ad *B* 3. 999*a* 7. *M* 6, speciosa est coniectura Trendelenburgii de id. p. 81 et Zelleri Gesch. II. p. 213, sed ea num sit vera dubito. — Iam quum ad notionem *τοῦ προτέρου* explicandam essentiae notio adscita sit, huius etiam discrimina ad illam pertinebunt. Itaque primum ubi categorias distinguimus, subiectum accidentibus (Phys. I 6. 189*a* 31), substantia reliquis categoriis est prior, *Z* 1. 1028*a* 32. Deinde quoniam distinguitur actu esse et potentia esse, alia ratione quaedam actu, alia potentia dicenda erunt priora esse. Veluti totum, quoniam formae adeptum est perfectionem et consummationem, ad quam omnis tendit generatio (cf. quod exemplum affert Pol. I 2. 1253*a* 19), prius est natura et actu suis partibus, quae potentia tantum insunt et soluto demum toto corpore per se et absolute (quamvis *ὁμωνύμως* modo, cf. *Z* 10. 1035*b* 25) exsistunt. De toto et partibus, utrum sit prius, cf. *M* 8. 1084*b* 2 sqq. *Z* 10, de actu et potentia, utrum prius sit utrum posterius, subtilius disputat *Θ* 8. — Denique addit: *τρόπον δή τινα πάντα τὰ πρότερον καὶ ὕστερον λεγόμενα κατὰ ταῦτα λέγεται*, *a* 11. Quae dicantur *ταῦτα*, quorum ad similitudinem reliqua omnia vel priora dicantur vel posteriora, dubitari potest. Quum enim proximis quae antecedunt verbis de potentia et actu disputetur, et eadem exempla, quae ad hanc significationem illustrandam allata erant, iam iterentur, nimirum totum et pars, Alexandri explicatio, qui *τὸν τοῦ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ τρόπον* intelligendum esse statuit p. 350, 17, habet sane, cur probabilis videatur. Sed frustra quaesiveris, quomodo vel cum levissima specie veritatis ad hunc modum *τοῦ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ* reliqua referas omnia, quae-

cunque priora et posteriora esse dicuntur; facillime vero et aptissime et quae per primam et quae per secundam notionem τοῦ προτέρου significata sunt ad eam redegeris τοῦ προτέρου notionem universalem, ut priora dicantur esse, quae ut sint non requirunt alia sed ipsa requiruntur ab aliis; tertia autem significatio, quia est τὸ κατὰ συμβεβηκὸς πρότερον, in censum omnino non venit. Hoc autem modo ut explicare liceat verba κατὰ ταῦτα, non opus est transpositione verborum a Schweglero ad h. l. proposita, admodum illa quidem, si rem diligentius perpenderis, improbabili, ut extrema capitis verba τρόπον δή τινα — τἆλλα ponantur post *a*4 Πλάτων. Nimirum quartus τρόπος τοῦ προτέρου his describitur verbis: ὅσα ἐνδέχεται ἄνευ ἄλλων, ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή, quem autem Alexander dicit τρόπον τοῦ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ, eum non esse novum τρόπον, sed exemplum modo vel speciem quandam illius τρόπου, ex ipsis Aristotelis verbis manifesto apparet. Itaque quum dicit: κατὰ ταῦτα λέγεται, respicere putandus est non ad singularem hanc speciem quartae notionis, sed universe ad ipsam hanc notionem; id quod liquido inde apparet quod ἄνευ τῶν ἑτέρων εἶναι *a*13 id est signum, unde prius quidpiam esse cognoscatur. Veluti, ait, totum parte dicitur prius, potest enim totum esse κατὰ γένεσιν licet partes non sint effectae omnes; pars dicitur esse prior toto, potest enim esse pars sine toto, κατὰ φθοράν, h. e. διαλυθέντος τοῦ ὅλου, cf. Top. VI 13. 150*a* 34. Similiter quidquid loco, tempore, ordine, potentia prius dicitur, potest esse sine illis, quae eadem ratione dicuntur posteriora, ideoque ad hanc notionem τοῦ ἐνδέχεσθαι εἶναι ἄνευ ἐκείνων, ut quae maxime sit universalis, rediguntur.

CAP. XII.

De notione δυνάμεως quoniam subtilius et plenius disputavit Aristoteles in libro Θ Metaphysicorum, illic quae ad intelligendam philosophi sententiam necessaria videntur explicuimus. Quam illic exposuimus potentiae et possibilitatis (*Vermögen* et *Möglichkeit*) diversitatem, eodem δυνάμεως nomine comprehensam, ea hac quoque in disputatione significatur magis quam explicatur, siquidem ab initio, 1019*a*

15—*b*21, illam notionem potentiae et in ipso vocabulo δυνάμεως et in iis quae inde ducta sunt conspicuam persequitur; deinde, *b*22—33, ad notionem possibilitatis transit; denique sub finem disputationis metaphoricum vocabuli usum addit et potentiae varias significationes ad primariam eius notionem refert, *b*33—1020*a* 6.

A. De potentia. 1019*a* 15—*b*21.

1) *δύναμις*. 1019*a* 15—32. Potentia vel est activa, *a*15—20, vel passiva, *a*20 sq., ac vel quidvis patiendi facultas potentia dicitur, vel potentiae nomen ad facultatem meliora patiendi restringitur, *a*21—23. Deinde et activam et passivam potentiam non omnibus tribuimus, qui quid vel agere possunt vel pati, sed qui id facile ac bene possunt, *a*23—26. Denique potentiam iis tribuimus rebus, quae ad deteriorem statum immutari vel omnino nequeunt vel non facile possunt, *a*26—32. — Tria his verbis proposuit potentiae discrimina, unum petitum e natura vel activa vel passiva potentiae, alterum e natura vel meliore vel deteriore eius status, ad quem quid mutando transit, tertium e ratione vel facili vel difficili, qua ipsa mutatio et actio perficitur: sed ea quidem discrimina nec distinxit satis apte nec coniunxit. Quod enim dicit *a*21: ὁτὲ μὲν —, ὁτὲ δ' οὐ κατὰ πᾶν πάθος ἀλλ' ἂν ἐπὶ τὸ βέλτιον, id non debebat ad passivam potentiam restringere, sed ad utrumque potentiae genus et passivum et activum pariter extendere. (Si quis cum veteribus editionibus assentiente fortasse Alexandro, cf. var. lect., haec verba a superioribus disiunxerit, puncto posito post πάσχει τι et addita post ὁτὲ μὲν particula οὖν, tum id quidem proficit ut haec distinctio a superiore activae et passivae potentiae apertius seiungatur, sed ne sic quidem latius patebit, quam ad potentiam passivam.) Deinde ubi iis rebus, quae sunt ἀπαθῆ ἐπὶ τὸ χεῖρον potentiam tribuit, hoc non debebat tamquam novum proponere discrimen, sed continetur illud iam superiore notione, quum quidem ad ea sola potentiam referri dixit, quae in melius mutari possint, *a*21—23.

1019*a* 16 ἐν ἑτέρῳ ἢ ᾗ ἕτερον scripsi, addita particula disiunctiva ἤ, praeter cod. *E* et edd. Ald. Sylb. Bess. secutus Alexandri maxime auctoritatem p. 351, 23. Accura-

tius definiri notionem addita particula disiunctiva e proximis verbis apparet; distinguit enim Aristoteles ubi id, quod in se principium continet movendi ab eo quod movetur re vera est diversum, et ubi sumitur tantummodo pro diverso: quamquam posse quodammodo hoc discrimen obscurius significari omissa particula ἤ non me fugit. Pariter a Bekkeriana lectione recedendum putavi, modo maiore modo minore auctoritate adiutus a20, 35. 1020a 2, 6. Θ 1. 1046a 11, 14.

1019a 19 ἡ μὲν οὖν ὅλως ἀρχή. Adverbium ὅλως non potest referri, id quod in hac particularum collocatione maxime consentaneum videatur, ad alterum enunciationis membrum ἡ δ' ὑφ' κτλ., in utroque enim perinde universalis proponitur potentiae definitio; sed referendum est vel ad proximam distinctionem, qua universus potentiae ambitus dividitur, ὁτὲ μὲν ἐὰν κτλ. a12, vel ad eam, quae deinde exponitur, ἔτι ἡ τοῦ καλῶς a23.

2) δυνατόν. a32—b15. A vocabulo δυνάμεως quum παρωνύμως (Trendel. Kat. p. 29 sq.) dicatur δυνατόν, quaecunque de illo exposita sunt significationis discrimina, eadem omnia huc etiam referenda sunt. Inde primum activa et passiva huius vocabuli vis discernitur, a34—b1, eaque potentia et iis tribuitur rebus, quae in melius, et iis quae in deterius commutantur, b1—10. Et ea quidem, quae in meliorem statum transeundi facultatem habent, ad ea, quae in deteriorem transeunt, eandem habent rationem, quae est inter ἕξιν et στέρησιν. Sed quoniam στέρησις non est simplex et nuda negatio, verum et ipsa ad habitum quodammodo potest referri (εἰ δ' ἡ στέρησίς ἐστιν ἕξις πως b6, cf. Phys. II 1. 193b 19: καὶ γὰρ ἡ στέρησις εἶδός πως, et ad Δ 22), utrumque δυνατόν, quippe quod τῷ ἔχειν τι tale sit quale est, eodem possumus genere complecti. Sequitur deinde τὸ δυνατὸν τὸ κατὰ τὴν ἀπάθειαν, b10, 11, et illud δυνατόν quod aliquid facile vel bene perficiendi continet potentiam, b11—15.

A Bekkeriana recensione in scribendis his verbis aliquoties recessi. Et mutatam quidem distinctionem a35 commendavi Obs. p. 12; ibidem p. 48 expositum est cur b6 dativi τῷ ἔχειν, τῷ ἐστερῆσθαι nominativis, qui vulgo exhibentur, praeferendi videantur. Quod autem b11 pro ἐν ἄλλῳ

scripsi *ἄλλο*, id et comparatis verbis a35: *ἐὰν ἔχῃ τι αὐτοῦ ἄλλο δύναμιν τοιαύτην* et auctoritate Alexandri satis comprobatum videbitur. Aliam difficultatem et, nisi fallor, corruptelam in his verbis sciens reliqui; quae enim leguntur verba b11: *ὁμωνύμως δὲ λεγόμενον τὸ ὄν*, ea sic explicare, ut cum reliqua enunciatione apte et accurate cohaereant, frustra studueris. Quid voluerit dicere Aristoteles, recte videtur Alexander interpretari p. 355, 9: *εἰ οὖν ἕξις τις καὶ ἡ στέρησις, καὶ τὰ εἰς τὰ χείρω μεταβάλλοντα τῷ ἕξιν τινὰ καὶ δύναμιν ἔχειν μεταβάλοι ἄν. — ἢ εἰ μὴ εἴη ἕξις τις ἡ στέρησις, ὁμωνύμως ἂν εἴη δυνατὰ τά τε πρὸς τὸ βέλτιον μεταβάλλοντα καὶ τὰ εἰς τὸ χεῖρον· τὰ μὲν γὰρ τῷ ἕξιν ἔχειν, τὰ δὲ τῷ ἐστερῆσθαι ταύτης τῆς ἕξεως.* Ad eam sententiam propius quidem accedit lectio cod. A^b, sed ea haud scio an ex ipsa Alexandri interpretatione quodammodo fluxerit. Reliqui autem libri praeter ETA^b quid exhibeant, Bekkerus significare omisit; propterea dubitavi, quum tam incerta omnia sint, locum coniecturis tentare.

3) *ἀδυναμία, ἀδύνατον.* b15—21. *ἀδυναμία* quoniam est privatio potentiae, utraque in se recipit discrimina, et quae petita sunt ex notione privationis, b17—19, cf. ad Δ 22, et quae insunt ipsi potentiae notioni, b19—21.

1019b 16. *ἄρσις*, quod eodem sensu accipiendum est ac *στέρησις ἀπόφασις ἀναίρεσις*, apud interpretes quidem Aristotelis Graecos invenitur, Alex. ad An. pr. Sch. 146b 20 (cf. *αἴρειν* oppositum verbo *τιθέναι* Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I 10. p. 5, 2 Bk.), apud ipsum Aristotelem quantum memini non legitur, quamquam de negandis tollendisve notionibus saepissime agatur, ut eius vocabuli usurpandi plurima fuerit occasio. Num retinendum sit in textu cum codicibus prope omnibus, an cum libro A^b, quocum Alexander videtur consentire, omittendum *ἄρσις τις* et pro glossemate habendum, dubito. Quod Trendelenburgius Kat. p. 104 not. pro *ἄρσις* scribendum coniecit *ἀφαίρεσις*, nec per se admodum probabile esse, neque eo quem contulit loco Δ 22. 1022b 31 satis confirmari videtur.

B. De possibilitate. 1019b 22—33.

Impossibile id dicitur cui quod contradictorie oppositum est (ita enim hoc loco pro rei natura notio *τοῦ ἐναντίου*

accipienda est, cf. Waitz Org. 11b 34) necessario est verum; possibile vero id, cuius contrarium non est necessario falsum, sive cuius ea est natura, ut contrarium simul admittatur; cf. de interpr. 13. Et haec quidem satis perspicua, sed quam deinde instituit possibilitatis divisionem, b 30 *τὸ μὲν οὖν* — 33 *ἀληθὲς εἶναι*, ea plus una ratione dubitationem movet. Quam enim primo loco ponit definitionem: *τὸ μὴ ἐξ ἀνάγκης ψεῦδος*, ea nequaquam concinit, ut vult Aristoteles, cum ea, quam antea exposuit, quum dixit esse aliquid possibile *ὅταν μὴ ἀναγκαῖον ᾖ τὸ ἐναντίον ψεῦδος εἶναι*, quamquam utrumque in eandem possibilitatis notionem cadere confitendum sane est. Deinde quod notioni *τοῦ δυνατοῦ* etiam subsumit *τὸ ἀληθὲς εἶναι* (qua quidem in formula infinitivus *εἶναι* suspensus est a voc. *ἀληθές*, cf. *ἀληθὲς εἰπεῖν* ad Α 8. 989b 7, *δυνατὸν εἶναι* Waitz Org. 22a 14), probabilis quidem et ingeniosa est Alexandri interpretatio, qua explicat quomodo id quod vere esse dicitur possibilium in numerum referatur: *εἴη δ' ἂν τοῦτο μέσον τοῦ μήτε ἀναγκαίου εἶναι μήτε ἀναγκαίου μὴ εἶναι· καὶ εἴη ἂν τὸ κυρίως καὶ ἰδίως ὑπάρχον λεγόμενον* p. 358, 7; sed nihilo secius mira est haec possibilitatis et descriptio et divisio, ac frustra quaeras, ubi Aristoteles *τὸ ὑπάρχον* simpliciter *δυνατόν* dixerit. Multo cautius illud est quod dicit Θ 3. 1047a 24: *δυνατὸν τοῦτο, ᾧ ἐὰν ὑπάρξῃ ἡ ἐνέργεια, οὗ λέγεται ἔχειν τὴν δύναμιν, οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον.* Videtur autem in explicandis his difficultatibus nec argutius laborandum, neque vero locus coniecturis tentandus, sed nisi fallor eadem conspicua est disputandi levitas et negligentia, qua hic Metaphysicorum liber a reliquis distinguitur. — b 32 *τὸ ἐνδεχόμενον ἀληθὲς εἶναι.* cf. de voc. *ἐνδεχόμενον* ad Θ 3.

1019b 33 *κατὰ μεταφορὰν* — 1020a 6 *ἢ ἄλλο.* Metaphoricum vocabuli *δύναμις* usum, quod apud geometras quadratum significat (Θ 1. 1046a 7. Ast. Lex. Plat. s. v. *δύναμις* p. 568), propterea possibilitatis notioni adiungit, quia neutra nec possibilitatis notio nec geometrica potentia dicitur *κατὰ δύναμιν*, h. e. neutra refertur ad eam *δυνάμεως* notionem, qua potentiam significat. Reliquae vero omnes vocabuli *δύναμις* notationes tamquam ad primam notionem

(πρὸς τὴν πρώτην) et ex qua reliquae pendeant (κύριος ὅρος, cf. ad 5. 1015b 11) ad illam referuntur definitionem, ut sit δύναμις ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ᾗ ᾗ ἄλλο.

CAP. XIII.

Quantitatis, τοῦ ποσοῦ, notio copiosius exponitur Cat. 6, praeterea cf. *I* 1. Phys. V 3, ubi continuitatis notio explicatur, Waitz Org. 4b 20. Trendel. Kat. p. 79 sqq. Quae hoc capite exposita sunt ubi non prorsus concinunt cum reliquis, quas attulimus, Aristotelis disputationibus, haec disputatio plerumque inferior illis videtur esse.

a) 1020a 7—14. Quantitatis notio definitur, discretum et continuum quantitatis genus distinguuntur. — Partes, in quas dividi potest τὸ ποσόν, quod dicit singulas esse ἕν τι καὶ τόδε τι a8, distingui eas voluit ab accidentibus, in quae videtur dividi posse concreta quaelibet substantia; plene si voluisset notionem definire, debebat addere, ipsas iterum partes esse ποσά (cf. Alex. p. 359, 17: οὕτως ἕν τι ὡς τόδε τι καὶ τῆς αὐτῆς φύσεως τῷ ὑποκειμένῳ εἶναι), unde simul apparuisset, istam definitionem in circulo versari. — Discretas et continuas magnitudines subtilius distinguit Cat. l. l. Phys. l. l.; hoc enim loco quod vocabulis ἀριθμητόν et μετρητόν ea quantitatis genera discernit, minime videbitur sufficere, si reputaveris, ipsum ἕν, quod est ἀριθμοῦ ἀρχὴ ᾗ ἀριθμός *I* 1. 1052b 24, dici μέτρον ἀκριβέστατον 1053a 1, unde consequens est, ut ipse numerus sit μετρητός. Proximis autem verbis πλῆθος μὲν οὖν κτλ. discretae et continuae magnitudinis discrimen non describit, sed tamquam notum ponit.

b) 1020a 14—32. Distinguitur substantialis quantitas ab accidentali. Ac primum quidem substantialis quantitas cernitur vel in iis substantiis, quarum si naturam (τί ἐστι a 19) definiveris, ipsum quantum generis loco ponendum est, vel in iis affectionibus (πάθη καὶ ἕξεις a19, cf. ad 6. 1015b 34), quae quantitatis, quatenus est quantitas, variam naturam exprimunt, veluti magnum parvum al. cf. *N* 1. 1088a 17: πάθη τε γὰρ ταῦτα καὶ συμβεβηκότα μᾶλλον ἢ ὑποκείμενα τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τοῖς μεγέθεσίν ἐστι; τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον

ἀριθμοῦ, καὶ μέγα καὶ μικρὸν μεγέθους, ὥσπερ ἄρτιον καὶ περιττόν, καὶ λεῖον καὶ τραχὺ κτλ. Magnum autem et parvum, maius et minus, quod dicit a 24 καὶ καθ' αὑτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα λεγόμενα, id non video quomodo conciliari possit cum Cat. 6. 5b 16: οὐδὲν γὰρ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μέγα λέγεται ἢ μικρόν, ἀλλὰ τῷ πρὸς ἕτερον ἀναφέρεσθαι. — Per accidens quantitas tribuitur cuilibet affectioni, quatenus inhaeret substantiae extensae, veluti colori albo, a 26—28: motui vero et tempori quod tribuitur quantitas, quamquam et ipsum ad accidentalem quantitatis usum refert, ab illa tamen specie distinguit. Motus enim est ποσόν, τῷ ποσὸν εἶναι ὃ ἐκινήθη a 31, i. e. ὃ διῆλθε τὸ κινούμενον Alex. p. 362, 7, ac tempus est ποσόν, τῷ τὴν κίνησιν ποσὴν εἶναι, quia ὁ χρόνος ἀριθμός ἐστι κινήσεως Phys. IV 11. 219b 1. Melius de quantitativa temporis natura Ar. disserit Cat. 6. 5a 6; de quantitate motus cf. Trendel. Kat. p. 86.

CAP. XIV.

Qualitatis primum quadrifarium usum distinguit eumque deinde ad duo genera potissima redigit.

a) 1020a 33—b 8. ποιὸν λέγεται — ἡ διαφορὰ τῆς οὐσίας sive ἡ διαφορὰ ἡ κατὰ τὴν οὐσίαν, i. e. ea differentia specifica, per quam si determinaveris genus proximum, notio substantialis rei (ἡ οὐσία sive τὸ τί ἦν εἶναι, cf. ad A 6. 987b 21. Z 12) definita est. Sed differentia specifica utrum ad categoriam qualitatis referenda sit (cf. Top. IV 2. 122b 16: οὐδεμία γὰρ διαφορὰ σημαίνει τί ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον ποιόν τι, καθάπερ τὸ πεζὸν καὶ τὸ δίπουν. 6. 128a 26: καὶ ὅτι ἡ μὲν διαφορὰ ποιότητα τοῦ γένους ἀεὶ σημαίνει, τὸ δὲ γένος τῆς διαφορᾶς οὔ. Phys. V 2. 226a 27: λέγω δὲ ποιὸν οὐ τὸ ἐν τῇ οὐσίᾳ· καὶ γὰρ ἡ διαφορὰ ποιόν.) an ad substantiam (cf. Cat. 5. 3a 21. Top. I 4. 101b 18), ipse Aristoteles ambigit, id quod luculenter exposuit Trendel. Kat. p. 55 sqq. 93. — Ab hac qualitatis notione distinguit primum, b 2—8, ac deinde ad eam revocat, b 15—17, eam qualitatem, quam numeri praeter quantitatem adsciscunt, quum dirimuntur in singulos, quos nunc dicunt mathematici, factores; ita enim, quum in duos vel impares vel pares di-

rimuntur factores (6 = 2 . 3, 9 = 3 . 3), rectangulorum vel quadratorum adsumunt qualitatem; similiter ubi e tribus factoribus putari possunt orti esse, parallelepipedorum et cuborum referunt speciem. — Quod Aristoteles in prima qualitatis significatione circulum utpote *σχῆμα ἀγώνιον* pro exemplo affert, ac tamen ab ea deinde distinguit *τὰ ἀκίνητα καὶ τὰ μαθηματικά* (part. *καί* explicativa est, cf. ad 1. 1013*a* 7), Alexander p. 364, 5 frustra laborat scriptoris negligentiam excusare. — *b* 7 *ὃ ἅπαξ*, quod ex Alexandro recepi pro vulgato *τὸ ἅπαξ*, verbis proxime sequentibus satis videtur firmatum esse.

b) 1020*b* 8—13. *ποιὰ λέγεται ὅσα πάθη* (int. *εἰσὶ*) *τῶν κινουμένων οὐσιῶν*, i. e. eae motus mutationisque differentiae, quibus singulae res mutationi obnoxiae certum quendam in modum afficiuntur. Appellatur hoc genus qualitatis *παθητικὴ ποιότης* Cat. 8. 9*a* 28 sqq., sive *παθητικὸν ποιόν* Phys. V 2. 226*a* 29, *καθ' ὃ λέγεται πάσχειν ἢ ἀπαθὲς εἶναι*. Ad hanc *παθητικὴν ποιότητα* referenda sunt virtus et vitium, quoniam et ipsa in agendo, id est autem in movendo cernuntur. — *b*12 *μεταβαλλόντων*, de liberiore genit. abs. usu cf. ad *A* 9. 990*b* 14.

Extrema capitis parte, *b*13—25, quatuor qualitatis modos ad duo genera redigit. — *b*14 *κυριώτατον*, cf. ad 5. 1015*b* 11. — *b*17 *ᾗ οὐχ ᾗ κινούμενα*. Nimirum res mathematicae, quamquam insunt in rebus sensibilibus et motui obnoxiis, tamen iis non insunt quatenus vel moventur vel sentiuntur, cf. *M* 3.

De eadem qualitatis notione Aristoteles disseruit Cat. 8; conciliare has disputationes inter se studuit Alexander p. 365, 25 sqq., non posse eas plane conciliari docuit Trend. Kat. p. 93.

CAP. XV.

Relationis, *τῶν πρός τι*, primum enumerat, 1020*b* 26—32, ac deinde amplius explicat tria genera, unum, quod numerorum continet rationem, 1020*b* 32—1021*a* 14, alterum quod activum inter et passivum, *a*14—26, tertium quod inter mensuram et mensuratum intercedit, *a*26—*b*3. His denique adiungit accidentalem relationem, *b*3—11.

a) 1020*b* 32 — 1021*a* 14. *Τὰ κατ' ἀριθμὸν πρός τι*, quod primum est relationis genus, ita distinguit ut dicantur ἢ *ἁπλῶς ἢ ὡρισμένως πρὸς αὑτοὺς ἢ πρὸς ἕν* *b*33. Et *ἁπλῶς* quidem idem significare atque *ἀορίστως*, et ex opposito voc. *ὡρισμένως* et ex exemplo infra 1021*a* 4 allato *τοῦ ὑπερέχοντος καὶ ὑπερεχομένου* apparet, cf. ad *A* 5. 987*a* 21. Reliqua autem distinctionis pars, quum dicit *τὰ πρός τι λέγεσθαι ὡρισμένως πρὸς αὑτοὺς ἢ πρὸς ἕν*, quomodo sit intelligenda, unice ex exemplis cognosci potest, siquidem *διπλάσιον* et *ἥμισυ*, *ἡμιόλιον* et *ὑφημιόλιον* definita sunt *πρὸς ἕν*, *πολλαπλάσιον* autem et *πολλοστημόριον*, *ἐπιμόριον* et *ὑπεπιμόριον* definita quidem sunt, nec tamen *πρὸς ἕν*, sed inter se invicem. Nimirum quaecunque hoc sensu sunt *πρός τι κατ' ἀριθμόν*, ea omnia significant reciprocos numeros, ***reciproke Werthe***, quos hodie dicunt mathematici; hi autem numeri reciproci vel eatenus tantum definiti sunt, quatenus ipsam reciprocam duorum numerorum rationem continent (*πολλαπλάσιον πολλοστημόριον*, i. e. x, $\frac{1}{x}$, *ἐπιμόριον ὑπεπιμόριον*, i. e. $\frac{x+1}{x}$, $\frac{x}{x+1}$), vel ita ut unam quandam et certam significent rationem (veluti *διπλάσιον ἥμισυ*, i. e. 2, $\frac{1}{2}$, *ἡμιόλιον ὑφημιόλιον*, i. e. $\frac{3}{2}$, $\frac{2}{3}$). Illa dicit *λέγεσθαι ὡρισμένως πρὸς αὑτούς* vel *κατὰ ἀόριστον* *a*3, haec *πρὸς ἕν* vel *πρὸς ἀριθμὸν ὡρισμένον*. Aliter Trendel. Kat. p. 122 et Schw. ad h. l. verba Aristotelis sunt interpretati. Et ille quidem dicit: ***das Verhältnifs der Zahlen, mögen sie sich durch eine Differenz oder einen Exponenten auf einander beziehen;*** at arithmeticae rationis ne levissimum quidem vestigium potest in his reperiri, sed omnia ad rationes geometricas referenda sunt. Schweglerus autem quod *τῷ διπλασίῳ* opponi putat *τὸ ἕν*, ***das Verhältnifs des Doppelten zum Eins***, id quum per se non sit ineptum, propterea non possum probare, quia Aristoteles, si hoc voluisset, scripsisset *πρὸς τὸ ἕν*, nec simpliciter *πρὸς ἕν*, et quia ubique *διπλάσιον* et *ἥμισυ* tamquam *ἀντιστρέφοντα* ab Aristotele afferuntur, cf. Cat. 6. 6*b* 30. 7*b* 16. al. — Ubi deinde *τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον* esse dixit *ὅλως ἀόριστον κατ' ἀριθμόν*, haec addit: *ὁ γὰρ ἀριθμὸς σύμμετρος· κατὰ μὴ σύμμετρον δὲ ἀριθμὸν λέγεται* (int. *τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον*). Verba subobscura sunt, quia ipsa cogitatio

est perplexior. Si superans superato universe opponimus, mensuram, qua utrumque metiamur, vel rationem, qua alterum superetur ab altero, non definimus; ea mensura quoniam definienda erat per numeros, ne certis quidem numeris circumscripta haec est ratio. Hoc fere quum videatur dicere voluisse, parum apte coniunxit quae inter se manifesto repugnant, omnem numerum esse *σύμμετρον* et haec dici *κατὰ μὴ σύμμετρον ἀριθμόν*. —

Ad idem relationis genus alio quodam modo pertinent *τὸ ἴσον*, *τὸ ὅμοιον* al., quippe quae omnia referantur ad unitatem, a 8—14. — a 12 *τὸ ἓν τοῦ ἀριθμοῦ ἀρχή κτλ.*, cf. ad 6. 1016b 18.

b) 1021a 14—26. Alterum *τῶν πρός τι* genus id est, quod activum inter et passivum intercedit, sive ea potentia sunt sive actu, sive praesentia sive perfecta sive futura. Hoc genus relationis quo magis a superiore distinguat, addit a 19: *τῶν δὲ κατ' ἀριθμὸν οὐκ εἰσὶν ἐνέργειαι, ἀλλ' ἢ ὃν τρόπον ἐν ἑτέροις εἴρηται.* Quo spectent haec verba quamquam certo dici non potest, probabile tamen est ad eiusmodi locum aliquem respicere Aristotelem, qualem habemus Θ 9. 1051a 30: *αἴτιον δ' ὅτι νόησις ἡ ἐνέργεια.* Numeri non ipsi quidem *ἐνεργοῦσιν*, sed ita tamen numerorum *ἐνέργεια* esse potest dici, quia sunt per *ἐνέργειαν τοῦ νοῦ*. Haec Alexandri interpretatio confirmatur proximis verbis a 20, quum quidem ei *ἐνεργείᾳ*, quae numeris possit tribui, opponitur *ἡ κατὰ κίνησιν ἐνέργεια*. Schweglerus quod suspicatur eam dici numerorum *ἐνέργειαν*, quum ex duobus factoribus novus exsistit per multiplicationem numerus, id quamquam non est improbabile non videtur tamen ex ipso Aristotele confirmari posse.

c) 1021a 26—b 3. Quae hucusque enumerata sunt duo genera *τοῦ πρός τι* hoc habent commune, ut utriusque *τῶν πρός τι* natura ac notio cernatur in ipsa relatione, — *ἐστὶ πρός τι τῷ ὅπερ* (cf. ad Γ 2. 1003b 33) *ἐστὶν ἄλλου λέγεσθαι αὐτὸ ὅ ἐστιν κτλ.* a 28, cf. Cat. 7. 8a 31: *ἔστι τὰ πρός τι οἷς τὸ εἶναι ταὐτόν ἐστι τῷ πρός τί πως ἔχειν.* Top. VI 4. 142a 29. 8. 146b 3. Distinguendum ab his est si quid propterea in genere relativo ponitur, non quod ipsum referatur ad aliud, sed quia aliud refertur ad ipsum. Eius-

modi est τὸ μετρητόν, τὸ ἐπιστητόν, τὸ διανοητόν, τὸ αἰσθητόν, id genus alia. Etenim τὸ διανοητόν in genere relativo ponitur, quia διάνοια ad ipsum refertur; si vero διάνοιαν definire volueris, non dixeris eam referri ad τὸ διανοητόν (a 31: οὐκ ἔστι δ' ἡ διάνοια πρὸς τοῦτο οὗ ἐστὶ διάνοια, i. e. πρὸς τὸ διανοητόν), ita enim in circulo versareris et bis idem diceres, sed ad certam quandam rem. Item τὸ ὁρατόν relativum est, quia ad ipsum refertur ἡ ὄψις: contra si ὄψιν definire susceperis, non dixeris ὄψιν referri ad τὸ ὁρατόν, quamquam et hoc verum est, sed ad colorem vel simile quidpiam. Eadem reliquorum, quae enumerata sunt, τοῦ μετρητοῦ, τοῦ ἐπιστητοῦ, ratio; nimirum in hoc relationis genere non alterna et mutua intercedit inter duas relationis partes vicissitudo, ut utriusque partis natura per ipsam relationem definiatur, sed altera est substantia per se, altera unice in relatione suam habet naturam. — Aliam h. l. interpretationem exhibet Alex. p. 372 sqq., quem secutus est Schweglerus. Ii enim genitivos οὗ ἐστὶ διάνοια a 32, οὗ ἐστὶν ὄψις b 1, 3, non neutrius, sed masculini generis esse rati, hunc in modum verba interpretati sunt: cogitationem non referri ad hominem cogitantem, sed ad rem cogitatam, ac perinde visionem rel. Quod quamquam per ipsa haec verba fieri licet, tamen ita nec discrimen huius generis a superioribus duobus, τῷ ἄλλο πρὸς ἐκεῖνο λέγεσθαι a 28, nec quod dicit: δὶς γὰρ ταὐτὸν εἰρημένον ἂν εἴη a 32 explicari potest. Quam equidem dedi explicationem, eandem instituit Trendel. Kat. p. 123 (cf. Ι 6. 1056b 34. Top. VI 4. 142a 29); ceterum num plane probanda sit haec Aristotelica relationis distinctio, iure dubites. Etenim ponamus rem aliquam per se et absolute esse, sed profecto ea scibilis vel cogitabilis vel sensibilis eatenus est, quatenus et ipsa ad scientiam cogitationem sensum, et scientia vel cogitatio vel sensus ad ipsam refertur. cf. Γ 5. 1010b 30 sqq. — De emendanda lectione vulg. b3 disputavi Obs. p. 54.

d) 1021b 3—11. Haec omnia ait per se esse πρός τι. Alibi Ι 6 l. l. non esse vult πρός τι καθ' αὑτά, nisi quae sunt ex primis illis duobus generibus. — Accedunt alia, quae propterea per se sunt relativa, quia genus, cui sunt

subiecta, relationem continet, veluti medicina, quia eius genus, scientia, relationem quandam significat. Aliter et rectius quidem de eadem re iudicat Top. IV 4. 124b 18: εἰ δὲ τὸ γένος τῶν πρός τι, οὐκ ἀνάγκη καὶ τὸ εἶδος· ἡ μὲν γὰρ ἐπιστήμη τῶν πρός τι, ἡ δὲ γραμματικὴ οὔ. Soph. el. 31. 181b 34. Cat. 8. 11a 20 sqq. Trendel. Kat. p. 127. — Denique quid sit per accidens relativum, ex ipsa accidentis notione facile intelligitur, b8—11.

CAP. XVI.

Τέλειος primum ea res dicitur, cui nec deest nec insuper accedere potest ulla pars, 1021b 12—14 (cf. Phys. III 6. 207a 8: οὗ δὲ μηδὲν ἔξω, τοῦτ' ἐστὶ τέλειον καὶ ὅλον, ubi quidem τὸ τέλειον opponitur τῷ ἀπείρῳ), deinde ea res, quae plenam et consummatam sui generis virtutem est assecuta, quae quidem significatio, quoniam mala et ipsa varios gradus et suam quandam perfectionem admittunt, etiam ad mala transferri potest, ut perfectum calumniatorem ac similia dicamus, b14—23. Illam significationem pertinere ad quantitatem, hanc ad qualitatem vere Alexander monet p. 376, 10. — Denique licet quidpiam summam suo in genere perfectionem assecutum non sit, tamen τέλειον nominatur, si id quo tendit bonum est et honestum, οἷς ὑπάρχει τὸ τέλος σπουδαῖον b23. Hanc significationem deinde exponit et comprobat, b24 κατὰ γὰρ — 30 ἔσχατον, sed parum aptum instituit argumentandi ordinem. Quod enim dicit: κατὰ γὰρ τὸ ἔχειν τέλος τέλεια (int. λέγεται, cf. Ι 4. 1055a 13: καὶ τἆλλα τῷ τέλος ἔχειν λέγεται τέλεια), id ita demum ad explicandum hunc usum voc. τέλειος pertinebit, si adiunxerimus extrema verba b29: τέλος δὲ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἔσχατον. Etenim propterea τέλειον nominatur quidquid habet τέλος σπουδαῖον, quoniam propria ac plenissima vi τέλος dicitur τὸ οὗ ἕνεκα sive τὸ ἀγαθόν, cf. ad Α 3. 983a 31. Hanc autem argumentationem interrupit Aristoteles, interposita ea significatione voc. τέλος, qua de extrema pernicie usurpatur ideoque ad mortem, τὴν τελευτήν b28, transferri potest. Ceterum quam negligenter haec scripta sint, vel ex proximis verbis, b30—34, apparet, ubi enumeratas antea

significationes breviter complectitur; quae enim duo hic statuit genera perfectionis, ea vix cum primis duabus significationibus vocabuli prorsus possunt conciliari, tertiam vero equidem non video quomodo his duobus generibus complecti voluerit. — His denique addit τὰ κατὰ συμβεβηκὸς τέλεια 1022a 1—3, iisdem prope verbis, quae habemus Γ 2. 1004a 30.

CAP. XVII.

Πέρας primum significat terminum, quo quid includitur, a 4 τὸ ἔσχατον — οὗ ἔσω πάντα πρώτου (πρώτου cur additum sit, apte Alex. p. 377, 23 explicat: τὸ δὲ «πρώτου» προσέθηκεν ἐνδεικνύμενος τὸ κυρίως πέρας, ὃ οὐχ ὡς μέρος ἐστὶ πέρας ἀλλ' ὡς τὸ κυρίως ἔσχατον, ὁποῖόν ἐστιν ἐπὶ τῶν σωμάτων ἡ ἐπιφάνεια. δύναται γὰρ καὶ μέρους τινὸς ληφθέντος μηδὲν εἶναι ἔξω, ἀλλ' οὐ πρώτου· πρὸ τούτου γὰρ τοῦ μέρους αὐτό.). Ab hac significatione vix differt, quod altero loco, a 5—6, πέρας formam ac figuram magnitudinis extensae denotare dicit. Deinde, a 6—8, πέρας est actionis alicuius causa finalis, ἐφ' ὃ ἡ κίνησις καὶ τὸ οὗ ἕνεκα — haec enim inter se ἐκ παραλλήλου sunt coniuncta —, interdum etiam id, unde orditur actio, πέρας dicitur, quoniam quod primum est in agendo, idem extremum fuit in deliberatione. (In mutanda horum verborum distinctione, quam ipsa rei natura commendatam esse arbitror, Alexandri secutus sum interpretationem p. 378 sq.) Denique πέρας substantiam et notionem rei cuiuslibet significat, a 8—10, τῆς γνώσεως γὰρ τοῦτο πέρας, cf. ad Α 3. 983a 28. — Quod in fine capitis Aristoteles de notionum ἀρχή et πέρας mutua inter se ratione dicit, id quamquam de ipsis notionibus vere statuit, siquidem subiecta est notio ἀρχή notioni πέρας, tamen de varietate usus, ὁσαχῶς λέγεται, non perinde est verum; etenim ἀρχή suas quasdam accepit significationes, quas πέρας non habet, id quod facile apparet conferentibus cap. 1.

CAP. XVIII.

Formula *καθ' ὅ* si subiecto propositionis alicuius additur hanc habet vim, ut illius naturam suis ac propriis fini-

bus includat, veluti quum dicimus: ὁ ἀγαθός, καθ' ὃ ἀγαθός, εὐδαίμων ἐστί, in ipsa bonitate, non adhibita alia causa, inesse beatitudinem volumus; et quum dicimus: ἡ ἐπιφάνεια, καθ' ὃ ἐπιφάνεια, κέχρωσται sive: τὸ σῶμα κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν κέχρωσται, non corpus neque vero lineam, sed superficiem esse dicimus, quae suapte natura colorem recipiat. In illo exemplo τὸ εἶδος significari formula καθ' ὅ vere Aristoteles dicit, in altero autem exemplo materiae nomen *a* 18 rectius omisisset; significatur enim non tam materia, quam τὸ πρώτως (i. e. per se) ὑποκείμενον vel δεκτικόν, cf. Alex. p. 380, 16: ἔοικε δὲ καὶ τὸ πρῶτον δεκτικὸν τῇ ὕλῃ ὑπάγειν· καθόλου γὰρ ὕλην εἶπεν, ᾧ πρώτως τι ὑπάρχει ὡς ὑποκειμένῳ. — De causali vi praepositionis κατά, *a* 19—22, dictum est ad *A* 6. 987*b* 9. Longius autem ab hoc philosophico praepositionis κατά usu abest, quod de notissima eius significatione locali Arist. addit *a* 22—24.

Inde similis exsistit usus varietas in formula καθ' αὑτό. Ea enim primum ac potissimum significat notionem substantialem alicuius rei, cf. ad *Z* 4. 1029*b* 14. Deinde notas omnes, quaecunque in illa notione (ἐν τῷ τί ἐστι, cf. ad *Z* 4. 1030*a* 18) coniunguntur, has enim significat verbis: ὅσα ἐν τῷ τί ἐστιν ὑπάρχει, cf. ὑπάρχειν vel ἐνυπάρχειν ἐν τῷ τί ἐστι 13. 1020*a* 18. An. post. I 4. 73*a* 34. 6. 74*a* 8. 22. 84*a* 13, 14, 25. al. λέγεσθαι ἐν τῷ τί ἐστι An. post. II 4. 91*a* 19, 20 (coll. λέγεσθαι ἐν τῷ ὁρισμῷ Top. I 8. 103*b* 13, 14). κατηγορεῖσθαι ἐν τῷ τί ἐστι Top. I 5. 102*a* 32. 18. 108*b* 22. VII 3. 153*a* 18. 5. 154*a* 27. al. Huic significationi formulae καθ' αὑτό, quum quidem refertur ad notas notionis substantialis, contrariam simul addit An. post. I 4. 73*a* 24, ut significet notiones in ambitu alius notionis inclusas: καθ' αὑτὰ δ' ὅσα ὑπάρχει τε ἐν τῷ τί ἐστιν, οἷον τριγώνῳ γραμμὴ καὶ γραμμῇ στιγμή (ἡ γὰρ οὐσία αὐτῶν ἐκ τούτων ἐστί, καὶ ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστιν ἐνυπάρχει), καὶ ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι τῷ τί ἐστι δηλοῦντι, οἷον τὸ εὐθὺ ὑπάρχει γραμμῇ καὶ τὸ περιφερές κτλ. — Tum per formulam καθ' αὑτό significatur τὸ πρώτως δεκτικόν, *a* 29—32, cf. ad *a* 16. *Z* 4. 1029*b* 16. *H* 4. 1044*b* 20. — Quam quarto loco affert significationem, ut καθ' αὑτό sit causa absoluta quae

non est aliunde suspensa, eam ex allato exemplo apparet a prima significatione non multum differre. — Quinto denique loco *a* 35: *ἔτι ὅσα μόνῳ ὑπάρχει καὶ ᾗ μόνον*, dubium vix est quin *τὸ ἴδιον* proprio huius vocabuli sensu Aristoteles significari voluerit, cf. Top. I 5. 102*a* 18: *ἴδιον δ' ἐστὶν ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δ' ὑπάρχει καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος, οἷον ἴδιον ἀνθρώπου τὸ γραμματικῆς εἶναι δεκτικόν κτλ.*, ac praeter alios Topicorum locos plurimos universum librum V, qui in excutienda *τοῦ ἰδίου* natura versatur. Id vero si voluit Ar. significare, equidem non intelligo, quomodo scribere potuerit *ᾗ μόνον*, scribendum potius erat *ᾗ μόνῳ*, quam lectionem et editiones Ald. Sylb. et Bess. exhibent. Nec proxima verba: *διὸ τὸ κεχωρισμένον καθ' αὑτό*, videntur explicari posse; etenim *τὸ κεχωρισμένον* vix aliter accipias, quam ut sit id, quod per se et absolute est neque aliud quidquam ad exsistentiam requirit, cf. ad *Z* 1. 1028*a* 34; quod quidem cum natura *τοῦ ἰδίου* nullo modo cohaeret. His ut medear difficultatibus, suspicor scribendum esse: *ἔτι ὅσα μόνῳ ὑπάρχει καὶ ᾗ μόνῳ, διότι* (int. *τοῦτο* vel *τοιοῦτον*) *κεχωρισμένον καθ' αὑτό*, h. e. dicitur *καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν*, si quid soli alicui rei tribuitur, quatenus soli tribuitur, quia ita ea res, cui soli illud tribuitur, seclusa a reliquis per se est. Et *διότι* quidem pro *διὸ τό* ex mg cod. *E* enotatum est; voc. *ὡρισμένον*, quod idem cod. habet pro *κεχωρισμένον*, probare dubitaverim, quamquam aptum est, quia ex voc. *κεχωρισμένον* facilius explicatur var. lect. *κεχρωσμένον*. Sed num hac coniectura genuinam scripturam mihi contigerit restituisse, magnopere dubito; Alexander iam eundem habuit textum, qui nunc vulgatur.

De formula *καθ' αὑτό* cf. ad *Z* 4. 1029*a* 14, 29. Trend. Kat. p. 59; alios locos Arist., qui sunt de eadem re, collegit Waitz Org. 5*b* 16.

CAP. XIX.

Vocabuli *διάθεσις* significationem ex ipsa eius etymologia Ar. repetere studet, sed nec notionem accurate definit, ut a notionibus affinibus, veluti *ἕξις, πάθος*, distingua-

tur, nec varietatem usus perspicue exponit. Quod enim dicit: ἢ κατὰ τόπον ἢ κατὰ δύναμιν ἢ κατ' εἶδος, prima quidem vocabuli vis διάθεσις κατὰ τόπον satis est plana; atque altera, τῇ κατὰ δύναμιν διαθέσει, videtur vel diversarum virium in uno corpore coniunctarum is significari ordo, ex quo altera superior est altera inferior, haec latius patet illa artius circumscripta est, et quae sunt similia, quae facile ex Aristotelica de anima doctrina exemplis illustres, cf. Alex. ad h. l., vel diversarum partium ea dispositio, qua corpus ad agendum aliquid patiendumve idoneum fit, cf. 12. 1019b 4: νῦν δὲ ἔχει τινὰ διάθεσιν καὶ αἰτίαν καὶ ἀρχὴν τοῦ τοιούτου πάθους. Dubium vero est, quale voluerit tertium διαθέσεως genus intelligi. Alexander formam rerum sensibilium putat significari (cf. p. 382, 25: ἢ τὴν κατὰ τὸ εἶδός τε καὶ τὴν μορφήν, ὡς ὅταν λέγωμεν τὴν τοῦ ἀνδριάντος διάθεσιν ἢ τῆς εἰκόνος), sed id si voluisset dicere Aristoteles, ad voc. εἶδος adiecisset, opinor, voc. μορφή, et rectius profecto hoc genus cum primo coniunxisset. Aptius videtur cogitari posse de ordine generis et differentiarum in conficienda notione, cf. An. post. II 13. 97a 23: εἰς δὲ τὸ κατασκευάζειν ὅρον διὰ τῶν διαιρέσεων τριῶν δεῖ στοχάζεσθαι, τοῦ λαβεῖν τὰ κατηγορούμενα ἐν τῷ τί ἐστι, καὶ ταῦτα τάξαι τί πρῶτον ἢ δεύτερον, καὶ ὅτι ταῦτα πάντα, et ad Z 12. 1038a 32. Similem in modum Trendel. videtur haec verba intellexisse Kat. p. 96: *und wenn unter κατ' εἶδος die Ordnung des Begriffs zu verstehen ist, die sich in den Merkmalen als seinen Theilen darstellt, so ist dadurch das Wesen selbst determinirt.*

De notione Aristotelica τῆς διαθέσεως accurate disputarunt Trendel. de an. p. 366. Kat. l. l. Waitz Org. 8b 35. Biese I. p. 75.

CAP. XX.

Ἕξις primum, ut nomen verbale, ipsam significat habendi actionem, τὴν τοῦ ἔχοντος καὶ ἐχομένου ἐνέργειαν b4—11. Deinde ἕξις dicitur quaelibet διάθεσις, καθ' ἣν εὖ ἢ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον b10—12. Hoc si vere dixisset Aristoteles, ἕξις non differret omnino a διαθέσει, etenim διάθεσις ὑγιεινή vel νοσώδης, quoniam est διάθεσις

τοιαύτη b 12, et ὁ διακείμενος εὖ ἢ κακῶς διάκειται, propter id ipsum esset ἕξις ὑγιεινή vel νοσώδης. Longe rectius et suum et eundem vulgarem voc. ἕξις usum Aristoteles descripsit Cat. 8. 8b 25—9a 13, ex qua disputatione haec potissimum sunt conferenda: διαθέσεις δὲ λέγονται ἅ ἐστιν εὐκίνητα καὶ ταχὺ μεταβάλλοντα, οἷον θερμότης καὶ κατάψυξις καὶ νόσος καὶ ὑγίεια καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα· διάκειται μὲν γάρ πως κατὰ ταύτας ὁ ἄνθρωπος, ταχὺ δὲ μεταβάλλει ἐκ θερμοῦ ψυχρὸς γινόμενος καὶ ἐκ τοῦ ὑγιαίνειν εἰς τὸ νοσεῖν κτλ. — ὥστε διαφέρει ἕξις διαθέσεως τῷ τὸ μὲν εὐκίνητον εἶναι, τὸ δὲ πολυχρονιώτερόν τε καὶ δυσκινητότερον. εἰσὶ δ' αἱ μὲν ἕξεις καὶ διαθέσεις, αἱ δὲ διαθέσεις οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἕξεις· αἱ μὲν γὰρ ἕξεις ἔχοντες καὶ διάκεινταί γε πως κατ' αὐτάς, οἱ δὲ διακείμενοι οὐ πάντως καὶ ἕξιν ἔχουσιν. Diuturnitate igitur et firmitate ἕξιν a mutabili et inconstanti διαθέσεως natura distinguit. — Haec significatio ἕξεως ab universo corpore, quod vel bene vel male habet, etiam ad singulas partes transfertur, quarum vel virtute vel pravitate universa illa ἕξις conficitur, b 13, 14.

De notione ἕξεως cf. Trendel. Waitz Biese ll. ll. et nos ad Λ 3. 1070a 12.

CAP. XXI.

Πάθος primum, 1022b 15—18, iisdem prope verbis definit, quibus supra usus est ad describendam unam qualitatis significationem, 14. 1020b 8—12. Quae quidem definitio τοῦ πάθους quoniam suspensa est a notione ἀλλοιώσεως, ποιότης καθ' ἣν ἀλλοιοῦσθαι ἐνδέχεται, si quaerimus quid dixerit Aristoteles ἀλλοίωσιν, ad easdem ποιότητος et πάθους notiones reiicimur (Phys. V 2. 226a 26: ἡ μὲν οὖν κατὰ τὸ ποιὸν κίνησις ἀλλοίωσις ἔστω, cf. Ν 1. 1088a 32: Λ 2. 1069b 12: ἀλλοίωσις δὲ ἡ κατὰ τὸ πάθος κίνησις), adeo ut in ipsa definitione nihil habeamus definiti, sed unice ex adhibitis exemplis notionem debeamus colligere, cf. Trend. Kat. p. 99. — Quae deinde afferuntur τοῦ πάθους significationes, eae omnes ad hanc primam referuntur. Significat enim πάθος non solum qualitatem, quae alterationem recipit, sed ipsam etiam alterationem et mutationem, per quam

ad illam qualitatem pervenitur, *b* 18 (de usu part. ἤδη *b* 19 cf. de int. 1. 16*a* 8. 9. 19*a* 39), et angustiore sensu πάθος praecipue ad perniciosas mutationes et ad calamitates summosque dolores refertur, *b* 19 — 21.

Ceterum latius patere Aristotelicum nominis πάθος usum, quam ipse hic exposuit, apparet ex iis quae dixi ad *A* 5. 985*b* 29. 986*a* 17. *Γ* 2. 1004*b* 6.

CAP. XXII.

Στέρησις primum tribuitur alicui rei, si non habet aliquid, quod potest haberi, i. e. qualitatem vel accidens, licet ipsa suapte natura ad illud habendum non sit idonea, *b* 22—24. Hoc latissimo sensu, quem eundem significat Ar. *I* 5. 1055*b* 4: ἢ γὰρ τὸ ἀδύνατον ὅλως ἔχειν, notio privationis a simplice negatione unice distinguitur natura eius obiecti, quo quid dicitur privatum esse, ut illud sit πεφυκὸς ἔχεσθαι, plerumque autem accedit alia distinctio, petita ex natura eius subiecti, quod privatur. Nimirum iis modo generibus tribuitur alicuius rei privatio, quae sunt eius rei δεκτικά vel eam habere πεφυκότα, *b* 24—27: ἕνα δὲ ἂν πεφυκὸς ἔχειν, ἢ αὐτὸ ἢ τὸ γένος, μὴ ἔχῃ, veluti homo caecus dicitur visu privatus esse, quia ipse naturalem habet videndi potentiam; talpa (cf. Trend. de an. p. 423) vero privata esse visu dicitur, non quia ipsa, sed quia eius genus, animal dico, eandem habet naturalem facultatem. Similiter vocabulis δεκτικόν et πεφυκὸς ἔχειν definitum videmus ab Aristotele id cui omnino tribuatur privatio Cat. 10. 12*a* 29. Phys. V 2. 226*b* 15. Met. *I* 4. 1055*b* 7, 11. 5. 1056*a* 21, cf. ad *Γ* 2. 1004*a* 12. — Istam autem naturalem facultatem si diligentius circumscribimus, tum demum privatio tribuenda alicui videbitur, quum non habet ὃ πέφυκεν ἔχειν καὶ ὅτε καὶ ἐν ᾧ καὶ καθ' ὃ καὶ πρὸς ὃ καὶ ὡς πεφυκὸς ᾖ ἔχειν, h. e. homo videndi sensu dicitur privatus esse, quum ea aetate, qua omnino facultas videndi exoritur (ὅτε) luce (ἐν ᾧ) oculis (καθ' ὅ) res visibiles (πρὸς ὅ) ex adverso sibi positas nec nimium distantes (ὡς) non videt. (Enunciatio, qua hae definitiones continentur *b* 30: ὁμοίως δὲ καὶ ἐν ᾧ ἂν ᾖ καὶ καθ' ὃ καὶ πρὸς ὃ καὶ ὡς ἂν μὴ ἔχῃ πεφυκός, etiam deleto com-

mate, quod post πρὸς ὅ Brand. Bk. habent, admodum difficilem habet constructionem verborum. Hunc enim in modum videntur coniungenda: ὁμοίως δὲ καὶ ἂν μὴ ἔχῃ πεφυκὸς ἔχειν, ἐν ᾧ ἂν ῇ πεφυκὸς ἔχειν καὶ καθ' ὃ καὶ πρὸς ὃ καὶ ὡς. Longe facilior erit totius enunciati conformatio, si v. ῇ, ad quod supplendum est πεφυκὸς ἔχειν, vel omiserimus vel mutaverimus in part. ᾗ.) Iisdem rationibus naturalis illa facultas distincta est Θ 1. 1046a 31. I 4. 1055b 21. Cat. 10. 12a 30 sqq.

Deinde violenta rei detractio dicitur privatio, b 31, cf. Θ 1. 1046a 34. Et quoniam nomina cum α privativo composita non meram ac simplicem negationem significant, sed eam fere restringunt ad genus δεκτικόν (cf. ἄνισον et οὐκ ἴσον I 4. 1055b 10), qui est horum nominum varius usus, eadem varietas ad notionem privationis pertinet; significant autem illa nomina non ubique prorsus aliquid abesse, sed etiam aliquid vel difficile vel parum inesse rei, b 32—1023a 4. Eius usus exempla v. An. post. I 12. 77b 25. de coelo I 11. 281a 1. de an. I 2. 405b 11. 5. 409b 21. II 10. 422a 29. al. cf. Trend. de an. p. 241. 402. Ideler Meteor. II. p. 494. — Quodsi privatione plena et absoluta alicuius qualitatis absentia (τῷ πάντως μὴ ἔχειν, cf. Θ 1. 1046a 34. I 4. 1055b 22) significatur, tum medium quidpiam inter qualitatem et privationem potest intercedere, a 4—7; distinctius idem exponitur I 4. 1055b 23—26.

Privatio quomodo distinguatur a negatione et contrarietate Arist. luculenter exposuit I 4. 1055b 1—29, quem obtineat locum in summis omnium rerum causis Λ 4. 5. Phys. I 7—9. Universe de privatione disputatur Cat. 10, ubi quidem Waitz I. p. 311 potissimos ea de re locos Aristotelicos collegit. Subtiliter Aristotelicam privationis notionem exposuit Trendel. Kat. p. 103 sqq.

CAP. XXIII.

Ἔχειν significat vel movere aliquid et gerere ex suo arbitrio, a 8—12, vel recepisse in sese tanquam formam aut tanquam accidens — a 13, vel circumcludere — a 17, vel retinere — a 23; quam quidem extremam significationem, si

non enumerare sed explicare suscepisset varium verbi ἔχειν usum, ad primam debebat referre. Eadem varietas, omissa hac extrema significatione, aliter digesta est Cat. 15. cf. Trendel. Kat. p. 141.

Ἔν τινι εἶναι eundem fere in modum usurpatur atque ἔχειν. Fusius de ea formula disputavit Alex. de an. f. 125: ποσαχῶς τὸ ἔν τινι. — a 24 ἑπομένως, cf. ad Α 1. 981a 27.

CAP. XXIV.

Ἔκ τινος εἶναι usurpatur primum de materia sive prima et a re inde prognata remotissima (ἅπαντα τὰ τηκτὰ ἐξ ὕδατος) sive proxima (ἐκ χαλκοῦ ὁ ἀνδριάς), a 26—29, cf. ad 6. 1016a 19; deinde de causa movente, a 29—31 (ἐκ λοιδορίας ἡ μάχη, cf. ad 1. 1013a 19). Tum eadem formula usurpatur, quum ex concreta, quae dicitur, re, ἐκ τοῦ συνθέτου ἐκ τῆς ὕλης καὶ τοῦ εἴδους, ad eius elementa redimus, perinde ac si (ὥσπερ a 32) ex toto aliquo corpore partes eius exceperis; sicuti enim partes in unitate totius demum corporis suum assequuntur finem, ita elementa rei concretae ad certam qua definiantur formam tendunt, a 31—34 (τέλειον δὲ τὸ ἔχον τέλος, cf. ad 16. 1021b 24). Apto exemplo hanc formulae significationem, quae primae opposita est, illustrat Η 4. 1044a 21: φλέγμα — ἐκ χολῆς τῷ ἀναλύεσθαι εἰς τὴν πρώτην ὕλην τὴν χολήν. — Deinde, a 35—b 2, per formulam ἔκ τινος significantur partes sive notae, ex quibus conficitur notio; quae quidem significatio ei, quae primo loco est posita, similis est et affinis, quia genus quasi pro materia potest haberi, quae subiiciatur differentiis, cf. ad 28. 1024b 2 sqq. — Hae significationes etiam tum obtinent, si quid non ex tota aliqua re, sed ex eius parte secundum unum ex his modis progignitur, b 3—5. Denique ἔκ τινος εἶναι dicitur si quid est post aliud, ὅτι τοῦτο μετὰ τοῦτο, sive hoc temporis ordine simul continetur mutationis vicissitudo (τῷ ἔχειν μεταβολὴν εἰς ἄλληλα — οἷον ἐξ ἡμέρας νύξ) sive non continetur, b 5—11.

Varias significationes formulae ἔκ τινος Aristoteles respicit Α 9. 991a 20; partim easdem atque hoc loco, partim diversas ab his enumerat α 2. 994a 22. Η 4. 1044a 23. de gen. an. I 18. 724a 20, cf. Alex. p. 73, 20.

CAP. XXV.

Μέρος primum ad quantitatem refertur; unde enim vel per additionem, b12—15, vel per multiplicationem, b15—17. quantitas aliqua exsistit, eae partes dicuntur; veluti illum in modum binarius numerus ternarii quinarii al., hunc in modum idem binarius numerus quaternarii senarii al. pars est dicendus. — Deinde ad qualitatem notio partis duplici modo refertur, b17—19, 22—25; etenim aut ambitus notionis dividitur, ubi quidem species partes sunt generis (cf. *B* 3. 999a 4: *τὰ γένη διαιρετὰ εἰς εἴδη. K* 1. 1059b 36), aut complexus notionis dividitur ita, ut notae, h. e. genus et differentiae, partes sint notionis, *τὸ γένος τοῦ εἴδους μέρος* b24. — Quae his interposita est significatio voc. *μέρος*, extremo potius loco poni debebat, quoniam eam significationem, qua notae partes esse dicuntur notionis, in se continet. *ἔτι εἰς ἃ διαιρεῖταί τι ἢ ἐξ ὧν σύγκειται τὸ ὅλον, ἢ τὸ εἶδος ἢ τὸ ἔχον τὸ εἶδος*: commate post *ὅλον* distinxi, quia non tria ponuntur, *ὅλον, εἶδος, συναμφότερον*, sed duae significationes *τοῦ ὅλου* distinguuntur; nimirum *ὅλον* dicitur vel ipsum *εἶδος* per se, quia per formam absolvitur et consummatur materia, cf. ad 2. 1013b 22, vel *τὸ συναμφότερον*, i. e. res concreta. Illam si tenemus significationem *τοῦ ὅλου*, notae pro partibus sunt habendae notionis, *ἡ γωνία μέρος τοῦ κύβου* b22; sin hanc ponimus, etiam materia dicenda est pars rei concretae, *ὁ χαλκὸς μέρος τοῦ χαλκοῦ κύβου*. Subtilius de hac re, quae sint notionis partes quae non sint, et quae sit materiae ad notionem ratio, Arist. disputat *Z* 10. 11. cf. *Z* 7. 1033a 2: *ἀμφοτέρως δὲ λέγομεν τοὺς χαλκοῦς κύκλους τί εἰσι, καὶ τὴν ὕλην λέγοντες ὅτι χαλκός, καὶ τὸ εἶδος ὅτι σχῆμα τοιόνδε*.

CAP. XXVI.

Ὅλον primum iisdem prope verbis describit, quibus supra 16. 1021b 12 *τέλειον*, id dici totum, cui pars naturalis nulla desit, b26, 27. Deinde, b27—36, quum *ὅλον* significare dicit id, quod plura quaedam in se includat et ad unitatem redigat, duos eius significationis distinguit modos; et-

enim aut unitas est generis, quod singulas species complectatur (*καὶ ἓν ἅπαντα εἶναι ὡς ἕκαστον* b31, cf. Alex. p. 391, 23: *τὸ ἓν ἅπαντα εἶναι «ὡς ἕκαστον» δηλωτικόν ἐστι τοῦ τὴν ἑνότητα ἔχειν μὴ κατὰ συνέχειαν, ἀλλὰ τῷ τὸν αὐτὸν λόγον ἕκαστον αὐτῶν ἐπιδέχεσθαι*), aut unitas corporis continui, in quo singulae partes coalescant. De vocc. *ὅλον, ὅλως, καθόλου* ad significandum genus usurpatis cf. Waitz Org. 17a 39. Continui corporis partes quod *δυνάμει* potius quam *ἐνεργείᾳ* inesse toti corpori dicit, cf. *Z* 13. 1039a 4: *τὰ δύο οὕτως ἐντελεχείᾳ οὐδέποτε ἓν ἐντελεχείᾳ, ἀλλ' ἐὰν δυνάμει δύο ᾖ, ἔσται ἕν, οἷον ἡ διπλασία ἐκ δύο ἡμίσεων δυνάμει γε· ἡ γὰρ ἐντελέχεια χωρίζει.* Eodem fere pertinet, quod *ὅλα* pleniore sensu ea dicenda iudicat, quae per naturam, quam quae per artem sint continua, cf. 6. 1016a 4. *I* 1. 1052a 23.

Πᾶν et *ὅλον*, 1024a 1—10, ita differunt, ut illud usurpetur de rebus quae mutato ordine vel loco (*θέσις* a2) partium non mutantur, hoc de iis rebus, quarum ipsa natura mutatur mutata partium dispositione.

CAP. XXVII.

Vocabuli *κολοβός* non varium usum persequitur, id quod fit in reliquis huius libri capitibus, sed ipsam notionem definit, adhibitis exemplis unde singulae notionis partes cognoscantur. Si quid *κολοβόν* dici volumus, illud debet quantum et continuum ac per se totum esse, h. e. mutari mutata partium dispositione, cf. c. 26; in ipsa autem mutilatione manere debet substantia, itaque neque eae partes possunt detractae esse, quibus sublatis tollatur ipsa rei natura, *τὰ κύρια τῆς οὐσίας*, nec quae ubicunque sint, sed externae quaedam, quae si totae detractae sint, non possint renasci. — Has notionis notas satis quidem perspicue ex allatis exemplis Ar. colligit, nec tamen ubique iustum disputandi ordinem servat, veluti quod dicit a18: *ὅσων μὴ ποιεῖ ἡ θέσις διαφορὰν οὐθὲν κολοβόν*, non debebat tamquam novam notam notionis afferre, postquam ab initio dixit *τὸ κολοβὸν δεῖ εἶναι ὅλον* a12, etenim *ὅλον* dicitur *ὅσων ποιεῖ ἡ θέσις διαφοράν*, 26. 1024a 2. — a16 *κἂν*

ἀνομοιομερῆ ᾖ. Alexander p. 393, 17, quem sequitur Schw., mentionem *τοῦ ἀνομοιομεροῦς* repetitam esse putat ex notione *τοῦ ὅλου* *a* 12 adhibita, *ὡς προειρηκὼς ὅτι δεῖ ἀνομοιομερῆ εἶναι διὰ τοῦ εἰπεῖν ὅλα*. Equidem potius arbitror respicere Aristotelem ad verba superiora *a* 13 *οὐ γὰρ ἴσον τὸ κολόβωμα καὶ τὸ λοιπὸν οὐδέποτ' ἐστίν*: his addit ne tum quidem mutilum quidpiam dici, si in impares partes divisum sit, veluti quinarius numerus in ternarium et binarium. Neque enim notio *τοῦ ἀνομοιομεροῦς*, de qua cf. ad *A* 3. 984*a* 11, si rem diligenter excusseris, necessario inest notioni *τοῦ ὅλου*, et notionem *τοῦ ὅλου*, quamquam supra iam commemoravit, tamen ad definiendam mutili notionem hucusque nondum contulit. — *a* 28 *διὰ τοῦτο οἱ φαλακροὶ οὐ κολοβοί*, nimirum quia crines, etiamsi omnes vel decisi sint vel effluxerint (*ἀφαιρεθὲν ὅλον* *a* 27), renasci tamen suapte natura possunt.

CAP. XXVIII.

Γένος primum dicitur continua *τῶν ὁμοειδῶν* generatio, *a* 29—31; deinde eodem nomine eos complectimur omnes qui ab eodem auctore originem suam repetunt, *a* 31—36, cf. *b* 7: *κατὰ τὸ πρῶτον κινῆσαν ὁμοειδές*. Ad patrem autem potius quam ad matrem originem stirpis referri propterea Aristoteles iudicat, quia pater formae, mater materiae locum in generatione obtineat, *a* 34: *μᾶλλον οἱ ἀπὸ τοῦ γεννήσαντος ἢ τῆς ὕλης*, cf. *A* 6. 988*a* 5. *H* 4. 1044*a* 34. de gen. an. II 1. 732*a* 9. 4. 738*b* 20. al. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 415. — Tum *γένος* universalem significat notionem, quae singulas species contineat, *a* 36—*b* 6. Videtur quidem Aristoteles duas distinguere *γένους* significationes, *a* 36 *ἔτι δὲ κτλ.*, *b* 4 *ἔτι κτλ.*, sed negligenter haec scripta esse et re vera unam his duabus definitionibus contineri *γένους* significationem, et Alexander recte perspexit p. 395, 7 et ipse Aristoteles comprobat, quum infra *b* 8 eas eadem formula *τὸ δ' ὡς ὕλη* complectatur. Primum enim hanc significationem *γένους* exemplis illustrat, *τὸ ἐπίπεδον γένος ἐστὶ τῶν σχημάτων τῶν ἐπιπέδων*, deinde eandem ex natura definitionis (*b* 4 *ἐν τοῖς λόγοις* i. e. *ἐν τοῖς ὁρισμοῖς*) describit; est enim *γένος τὸ πρῶτον ἐνυπάρ-*

χον, ὃ λέγεται ἐν τῷ τί ἐστι. Nimirum quaecunque pertinent ad substantiam ac naturam alicuius rei definiendam, ea omnia λέγονται vel κατηγοροῦνται vel ὑπάρχουσιν ἐν τῷ τί ἐστι, cf. ad 13. 1020a 18; quo quum pertineant et genus et differentiae (Top. VII 3. 153a 17: κατηγορεῖται ἐν τῷ τί ἐστι καὶ τὰ γένη καὶ αἱ διαφοραί, cf. An. post. II 13. 97a 23, b1. 5. 91b 29. al.), primum ponendum est genus, huic deinde addendae sunt differentiae (cf. An. post. ll. ll. et ad Z 12). Schweglerus quod per γένος ipsum τὸ τί ἐστι putat significari, id quamquam aliis locis Aristotelicis videatur comprobari posse (cf. Top. VI 5. 142b 22—29), tamen his verbis a4: τὸ πρῶτον ἐνυπάρχον, ὃ λέγεται ἐν τῷ τί ἐστι aperte repugnat. (Constructio enunciati ἔτι ὡς ἐν — γένος paullo negligentior est; orditur enim Aristoteles quasi exemplum sit allaturus, quamquam ipsam definitionem notionis exhibet. Rectius omissa part. ὡς scripsisset: ἔτι τὸ πρῶτον ἐνυπάρχον —, τοῦτο γένος. De emendanda distinctione dixi in Obs. p. 13.) — Genus autem materiam esse dicit Aristoteles specierum b8, quia genus per differentias distinguitur ac definitur perinde atque materia per formam, cf. 24. 1023b 2. Z 7. 1033a 1—5. 12. 1038a 5. I 8. 1058a 23.

De notione Aristotelica γένους cf. Waitz Org. 1b 16; quid differat γένος et καθόλου cf. ad Z 3. 1028b 35.

Ἕτερα τῷ γένει dicuntur, quorum ὑποκείμενα ita sunt disiuncta, ut nequeat vel alterum ad alterum vel utrumque ad idem redigi, b9—12; eadem definitione quodammodo etiam ea continentur, quae, quoniam ex diversis categoriis petita sunt, ἕτερα τῷ γένει dicuntur; neque enim diversae categoriae ad idem genus possunt reduci, b12—16, cf. Λ 4. 1070a 1.

De notione τοῦ ἑτέρου cf. 9. 1018a 9—11. 10. 1018a 38—b8, ac praecipue I 3. 1054b 14—23.

CAP. XXIX.

Ψεῦδος vel rebus dicit tribui, b17—26, vel cogitationibus b26—1025a 1, vel hominibus, a1—13.

a) τὸ ὡς πρᾶγμα ψεῦδος b17—26. Rebus ψεῦδος

primum tribuitur vel τῷ μὴ συγκεῖσθαι, h. e. quod accidens non inhaeret substantiae, veluti τὸ σὲ καθῆσθαι falsum est quo tempore tibi non inhaeret τὸ καθῆσθαι, vel τῷ ἀδύνατον εἶναι συντεθῆναι, h. e. quod hoc accidens huic subiecto non potest omnino inhaerere, veluti τὸ τὴν διάμετρον εἶναι σύμμετρον (cf. ad Α 2. 983a 15). Hoc ut perpetuo non est, ita perpetuo est ψεῦδος, illud vero ut mutationi est obnoxium, ita modo verum est modo falsum (οὕτω γὰρ οὐκ ὄντα ταῦτα b21). Eadem alibi, Θ 4. 1047b 13, ita distinguit, ut alterum ἀδύνατον, alterum simpliciter ψεῦδος esse dicat. — Deinde ψεῦδος in rebus cernitur, quum vel videntur esse, quales non sunt, veluti ἡ σκιαγραφία (cf. Plat. Phaed. 69b. de rep. X. 602d), vel eae esse videntur, quae omnino non sunt, quod fit in somniis.

De universo hoc genere ψεύδους, quod in ipsis rebus insit, sufficit ipsius Aristotelis verissimum iudicium attulisse, E 4. 1027b 25: οὐ γάρ ἐστι τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς πράγμασιν —, ἀλλ' ἐν τῇ διανοίᾳ. — ἐπεὶ δὲ ἡ συμπλοκή ἐστι καὶ ἡ διαίρεσις ἐν διανοίᾳ ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πράγμασι κτλ. Quid quod ex ipsa definitione τοῦ ὡς πρᾶγμα ψεύδους videtur colligi posse, in cogitatione potius quam in rebus inesse erroris causam; etenim vv. συγκεῖσθαι, συντεθῆναι manifesto pertinent ad praedicati cum subiecto coniunctionem, cf. E 4. 1027b 19. Θ 10. 1051b 1, quae nimirum est mentis cogitantis actio; ac simile quidpiam in altera definitione ex vv. φαίνεσθαι et φαντασία coniici potest.

b) λόγος ψευδής b26—1025a 1. — λόγος δὲ ψευδὴς ὁ τῶν μὴ ὄντων ᾗ ψευδής b26. Quid debuerit dicere Aristoteles, cognosci potest coll. Γ 7. 1011b 26: τὸ μὲν γὰρ λέγειν τὸ ὂν μὴ εἶναι ἢ τὸ μὴ ὂν εἶναι ψεῦδος: simile quidpiam hoc loco dicere voluit, sed ipsa verba, quoniam in definitione definiendum nomen adhibuit, manifesto sunt perplexa, ut frustra in iis interpretandis laboremus, sive vulgatam lectionem retinemus, sive praeferimus coniecturam parum aptam Alexandri, qui ἢ pro ᾗ scribi posse putat. Ex hac igitur notione τοῦ ψευδοῦς λόγου consequitur, ut si quid de una re vere praedicatur, idem falso praedicetur de aliis rebus. Cuiuslibet autem rei substantialis quidem notio una est, cf. ad B 3. 998b 11, sed quoniam idem quodam-

modo est res ipsa per se et eadem res cum accidente coniuncta (*ταὐτό πως αὐτὸ καὶ αὐτὸ πεπονθός*, cf. ad 6. 1015b 16), eidem rei plura praedicata vere possunt tribui. *ὁ δὲ ψευδὴς λόγος οὐθενός ἐστιν ἁπλῶς λόγος* b 31, i. e. *κυρίως· κυρίως γὰρ ἑκάστου λόγος ὁ ἀληθής· οὗτος γὰρ καὶ οἰκεῖος· ὁ δὲ ψευδὴς καθὸ ψευδὴς μετὰ προσθήκης ἐκείνου γίνεται λόγος οὗ ἐστὶ ψευδής· ἑτέρου γάρ τινος κτλ.* Alex. p. 400, 16. — Antisthenes vero, quum non perspexisset, quomodo eidem rei subiectae plura possint praedicata tribui, nihil voluit de qualibet re praedicari nisi ipsam hanc rem (cf. Plat. Soph. 251 b: *χαίρουσιν οὐκ ἐῶντες ἀγαθὸν λέγειν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀγαθὸν ἀγαθόν, τὸν δὲ ἄνθρωπον ἄνθρωπον*), unde consequens est, ut omnis tollatur controversia (cf. Top. I 11. 104b 20: *οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης*) itemque omnis error. (Cf. de hac Antisthenis sententia Brandis Gesch. II 1. p. 81. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 115, et nos ad *H* 3. 1043b 23.) At possunt eidem rei plura praeter ipsam rem praedicati loco tribui, non modo per errorem, id quod nemo dubitat, *ψευδῶς μὲν καὶ παντελῶς* b 36, sed etiam vere, quod negavit Antisthenes.

c) *ἄνθρωπος ψευδής*, 1025a 1—13, is dicitur, qui ad mentiendum promptus est et mentiri studet ipsius mendacii ductus cupiditate, cf. Eth. N. IV 13. 1127b 16. Ita si definierimus mendacis hominis naturam, quae insit fallacia argumentandi in Platonis Hippia minore apparet. Ibi enim Plato mendacem eum esse vult, qui possit, non qui cupiat mentiri, ac praeterea ex falsa inductione colligit, qui libens mala faciat, eum esse meliorem, quam qui invitus eadem faciat. — b 9 *ἔτι τὸν ἑκόντα φαῦλον βελτίω* Schw. ab interprete addita esse opinatur; at haec verba si omiseris, neque altera argumentationis Platonicae pars (Hipp. min. p. 373 c sqq.) significata est, neque proxima verba Aristotelis: *τοῦτο δὲ ψεῦδος λαμβάνει κτλ.* habent quo possint referri.

De notione *τοῦ ψεύδους* cf. praeter locos supra allatos de interpr. 1. 16a 12. de an. III 6. Waitz et Trend. ad hh. ll.

CAP. XXX.

a) 1025a 14—30. *Συμβεβηκός* primum id dicitur, quod quum insit in aliqua re et vere de ea praedicetur

(ἀληθὲς εἰπεῖν a 14, cf. ad A 8. 989b 7), tamen neque necessario neque semper ei inest. Hoc συμβεβηκός, ut est fortuitum, ita fortuitam habet causam, neque ex ipsa rei natura (μὴ διότι τοδὶ ἦν a 23, οὐχ ᾗ αὐτό a 28), sed ex aliis iisque indefinitis rebus suspensum est. — De hac notione, vulgatissima apud Aristotelem, quam adhibitam legimus ubi quid ἓν vel ὄν vel ταὐτὸ κατὰ συμβεβηκός dicebatur, cap. 6, 7, 9, copiosius disputatur E 2, 3. K 8.

b) 1025a 30—34. Sed praeterea idem vocabulum longe diverso sensu usurpatur. Etenim si quid non inest quidem ipsi alicuius notionis definitioni, sed tamen necessario concludendo ex ea colligitur, id συμβεβηκός dicitur. Veluti, quod est solenne Aristotelis ea de re exemplum (cf. An. post. I 4. 73b 31. 5. 74a 25 sqq. Top. II 3. 110b 22. al.), tres angulos trianguli duobus rectis esse pares, non inest id quidem in ipsa trianguli notione, sed necessario tamen ex ea colligitur ac propterea universe et semper triangulo tribuitur. Qui factum sit, ut συμβεβηκός ad hanc significationem priori fere contrariam transferretur, apparet conferenti An. pr. I 1. 24a 18: συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων συμβαίνει ἐξ ἀνάγκης τῷ ταῦτα εἶναι κτλ. cf. ad A 8. 989a 21. Nimirum seposita fortuiti notione v. συμβαίνειν omnino eventum significat, ideoque transfertur ad ea, quae concludentibus eveniunt ex propositionibus positis; ea autem necessario eveniunt. — Hanc notionem τοῦ συμβεβηκότος a superioribus plerumque ex ipsa disputationis perpetuitate distinguendam lectori Aristoteles permittit (cf. B 2. 997a 29, 32. Γ 1. 1003a 25. 2. 1004b 7. al.), interdum eam distinguit addita formula καθ' αὑτό, B 1. 995b 20, 25. An. post. I 22. 83b 19. 6. 75a 18. 7. 75b 1. Et quoniam haec συμβεβηκότα καθ' αὑτά continentur in praedicatis, quae substantiis quibusdam vel rebus subiectis tribuuntur, ὑπάρχειν τινί autem dicuntur quaecunque de aliqua re praedicantur, et πάθη omnino ad omnes substantiarum vel qualitates vel affectiones transferuntur: propterea fit, ut τὰ συμβεβηκότα καθ' αὑτά etiam ὑπάρχοντα καθ' αὑτά vel πάθη καθ' αὑτά appellentur, cf. Γ 1. 1003a 22. E 1. 1025b 12. al. et ad Γ 2. 1004b 5. — a 33 λόγος δὲ τούτου ἐν ἑτέροις. Quem locum intel-

ligi velit Aristoteles, ubi vel dixerit vel dicturus sit (namque ne hoc quidem certum est) ea de re, dubium est; pluribus enim locis τὰ μὴ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα non esse aeterna vel sciri non posse (cf. *E* 2, 3. *K* 8. An. post. I 6. 75*a* 18) et τὰ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα scientiae subiecta, id est autem aeterna esse (cf. ad *B* 2. 997*a* 5) comprobat.

De Aristotelica τοῦ συμβεβηκότος notione docte et accurate disputarunt Trend. de an. p. 188 sqq. Waitz Org. 71*b* 10. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 421.

E.

CAP. I.

Philosophia prima, quae versatur in cognoscendo ente, quatenus est ens, neque vero in uno quodam entis genere, 1025*b* 3—18, *qua ratione differat a reliquis philosophiae disciplinis exponitur. Ac distinctis primum tribus philosophiae generibus, theoretico practico poetico* — 1026*a* 6, *theoretica philosophia iterum ex diversa rerum cognoscendarum indole in tres dividitur disciplinas, physicam mathematicam theologiam* — *a* 19, *e quibus theologia prima est et potissima* — *a* 32.

1025*b* 3 αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ αἴτια ζητεῖται, nimirum in hac, quam suscipimus, de prima philosophia disputatione; eam enim versari in contemplando ente, quatenus est ens, demonstratum est *Γ* 1. — Apte autem hoc loco Aristoteles vocabula affinis significationis ἀρχαί, αἴτια, στοιχεῖα *b* 3, 5, 7 cumulat, quoniam ab initio universe disputat necdum horum vocabulorum discrimen ad rem magnopere pertinet.

1025*b* 5 καὶ ὅλως δὲ πᾶσα ἐπιστήμη διανοητικὴ ἢ μετέχουσά τι διανοίας. Alexander διανοητική ad theoreticas, μετέχουσά τι διανοίας ad practicas disciplinas referri vult p. 405, 25, parum, opinor, recte. Nam neque διάνοια, quum ipsam significet cogitandi actionem, quae cernitur in notionibus vel coniungendis vel dirimendis (cf. 4. 1027*b* 27 sqq. et ad *Γ* 7. 1012*a* 2), ad theoreticas potius quam ad practicas disciplinas referenda est, et paullo infra,

b 23, Aristoteles ipse *διάνοιαν* dicit esse *ἢ πρακτικὴν ἢ ποιητικὴν ἢ θεωρητικήν*. Videtur potius Aristoteles additis illis verbis: *ἢ μετέχουσά τι διανοίας* ambitum scientiae latius extendere voluisse, ut ne eae quidem doctrinae excludantur, quae ab usu et experientia magis quam a cognitione et notione suspensae sint. Eodem pertinet quod doctrinarum principia dicit vel subtilius vel simplicius constitui, *ἢ ἀκριβεστέρας ἢ ἁπλουστέρας*, cf. *b* 13: *ἢ ἀναγκαιότερον ἢ μαλακώτερον* et ad *A* 5. 987*a* 21; de notione *ἀκριβείας* cf. ad *A* 2. 982*a* 13, de voc. *ἁπλῶς* *b* 9 ad *Δ* 11. 1018*b* 21. — *b* 5 *ὅλως*, cf. ad *A* 9. 990*b* 17.

1025*b* 7 *ἀλλὰ πᾶσαι* — 10 *ποιοῦνται*. Reliquae disciplinae omnes peculiare quoddam entis genus sibi circumscribunt, in quo versentur (*πραγματεύονται*, cf. ad *A* 6. 987*a* 30), neque ulla ex iis, id quod primae philosophiae est propositum, ipsum ens universe, *ἁπλῶς*, et quatenus est ens investigat. Hoc quum appareat esse discrimen ut opponatur *γένος τοῦ ὄντος* et *ὂν ἁπλῶς*, non dubitavi pro vulgato *περὶ ἕν τι* scribere *περὶ ὄν τι*, licet *ὄν* solo cod. *A^b* exhibeatur et in textu Alexandri p. 406, 2 unice e Sepulv. restitutum sit. Cf. *Γ* 1. 1003*a* 23: *οὐδεμία γὰρ τῶν ἄλλων ἐπισκοπεῖ καθόλου περὶ τοῦ ὄντος ᾗ ὄν, ἀλλὰ μέρος αὐτοῦ τι ἀποτεμόμεναι περὶ τούτου θεωροῦσι τὸ συμβεβηκός*. *K* 3. 1060*b* 31: *ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἡ τοῦ φιλοσόφου ἐπιστήμη τοῦ ὄντος ᾗ ὂν καθόλου καὶ οὐ κατὰ μέρος*.

1025*b* 10 *ἀλλ' ἐκ* — 18 *ἔστιν*. Peculiares doctrinae quum id genus, in quo cognoscendo versantur, vel ex sensuum iudicio assumant, veluti medicina, vel per hypothesin (cf. de voc. *ὑπόθεσις* ad *Γ* 3. 1005*b* 14) ponant, veluti geometria, nec naturam ac notionem illius generis demonstrant, siquidem haec demonstratio (quae num possit omnino per syllogismum fieri, hoc loco non quaerit, cf. An. post. II 3—8) non potest vel a sensu (*ἐκ τῆς τοιαύτης ἐπαγωγῆς* *b* 15) vel a simplice positione proficisci, nec num sit omnino illud genus necne comprobant, *διὰ τὸ τῆς αὐτῆς εἶναι διανοίας τό τε τί ἐστι δῆλον ποιεῖν καὶ εἰ ἔστιν*. Quaerere num quid sit, *εἰ ἔστι*, et quaerere quid sit, *τί ἐστι*, alibi, Anal. post. II 1, 8, Aristoteles, ut par est, diserte distinguit; etenim esse aliquid iam cognitum et certum esse oportet,

ante quam quid sit illud investigari vel possit vel debeat. Huic distinctioni utrum re vera repugnet hoc loco Ar. an videatur modo repugnare, difficile est dicere; potest utramque et exsistentiae et notionis cognitionem eidem tribuisse scientiae, quoniam quibusdam in rebus, ac praecipue quidem in summis rerum generibus ac principiis, cf. *Θ* 10. An. post. I 23. 85*a* 1, eadem cognitione et esse rem et quid sit res intelligitur; potest vero etiam, neglecta tantummodo, non negata illa distinctione, hoc unum dicere: peculiares doctrinae utrumque, et esse genus, de quo agitur, et quid sit, simpliciter ac sine demonstratione sumunt; utrumque investigare, *τὸ ὅτι* et *τὸ τί*, altioris est scientiae. — Peculiares enim scientiae hoc unum habent propositum, ut explicent *τὰ καθ' αὑτὰ ὑπάρχοντα τῷ γένει*, cf. ad *B* 2. 997*a* 5. *Δ* 30. 1025*a* 30.

1025*b* 18 *ἐπεὶ δὲ* — 1026*a* 6 *ἐστίν*. Descripturus quem inter reliquas doctrinas locum obtineat prima philosophia, duplice utitur divisione, utraque tripartita, quum quidem omnis scientia vel theoretica sit vel practica vel poëtica, theoretica iterum philosophia vel physica vel mathematica vel theologica; eas autem divisiones non simpliciter ipsas proponit et comprobat, sed exorsus a physica philosophia, cui certum quoddam entium genus subiectum esse constet (*ἐπεὶ δὲ* *b*18), primum explicat ad quod scientiae genus ea referenda sit, — 1026*a* 6, deinde quomodo a mathematica et theologia, quae et ipsae theoreticae sunt disciplinae, differat, — *a*19. Esse autem tria scientiae genera, quorum uno quamlibet doctrinam contineri necesse sit (cf. *K* 7. 1064*a* 18: *εἰς ἕν γάρ τι τούτων τῶν γενῶν ἀνάγκη πίπτειν αὐτήν*), *θεωρητικόν ποιητικόν πρακτικόν*, Aristoteles etiam alibi tamquam certum et notum ponit, Top. VI 6. 145*a* 15. VIII 1. 157*a* 10. Eth. N. I 1. 1094*a* 6. X 8. 1178*b* 20. cf. VI 3, 4. de coelo III 7. 306*a* 16; quibus discriminibus haec genera seiungat ex hoc, de quo agimus, loco et Eth. N. VI 4 facile est intelligere. Nimirum causa et principium, cur quid vel sit vel fiat, aut in ipso inest homine aut non inest; inde theoreticum scientiae genus a reliquis secernitur. Deinde si principium exsistentiae in ipso inest homine, aut ex actione opus quoddam exsistit extra hominem posi-

tum quod per se maneat, aut non exsistit opus externum, sed actio intra ipsum hominem agentem continetur; hoc est artium sive *ἐπιστημῶν ποιητικῶν* (cf. ad *Θ* 2. 1046*b* 3) a practicis disciplinis discrimen. Et in practicis quidem doctrinis principium est ipsa electio, qua quid agendum sit quid non apud animum decernimus, *ἡ προαίρεσις b* 23, cf. *Θ* 5. 1048*a* 11; in poëticis autem disciplinis principium esse dicitur *ἢ νοῦς ἢ τέχνη ἢ δύναμίς τις b* 22. Etenim quoniam a cognitione suspensa est *ἡ ποίησις*, qui cognitionis et princeps est et finis *νοῦς*, idem pro principio est habendus poëticarum disciplinarum; ex cognoscendo autem si habitus quidam recte operandi exsistit, *ἕξις μετὰ λόγου ποιητική* Eth. N. VI 4, is habitus *τέχνη* nuncupatur; denique quia artifici utrum faciat quidpiam necne, liberum est arbitrium, in facultate, *δυνάμει*, ad contraria pariter apta positum est operandi principium. — Hoc si tenemus trium scientiae generum discrimen, ad theoreticum referendam esse apparet physicam, quippe quae cognoscat eam substantiam, *ἐν ᾗ ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως καὶ στάσεως ἐν αὐτῇ b* 20, non *ἐν τῷ ποιοῦντι* neque *ἐν τῷ πράττοντι*, cf. Phys. II 1. 192*b* 20: *ὡς οὔσης τῆς φύσεως ἀρχῆς τινὸς καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός*. *Δ* 4. 1014*b* 18. 1015*a* 14. *K* 7. 1064*a* 15. *Λ* 3. 1070*a* 7. Hoc sensibile entium genus quoniam per formam id est, quod est, inde efficitur, ut in forma cognoscenda operam collocare debeat doctrina physica, cf. Phys. II 1. 193*a* 36: *τὸ γὰρ δυνάμει σὰρξ ἢ ὀστοῦν οὔτ' ἔχει πω τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, πρὶν ἂν λάβῃ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὁριζόμενοι λέγομεν τί ἐστι σὰρξ ἢ ὀστοῦν, οὔτε φύσει ἐστίν*. Verum haec forma non re potest seiungi ut per se exsistat (*οὐ χωριστὴν μόνον b* 28, i. e. *ἀλλ' οὐ χωριστήν*, cf. de collocatione particulae negantis ad *Α* 9. 990*b* 11), sed cogitatione tantum abstrahi a rebus sensibilibus — *ἡ φύσις ἂν εἴη τῶν ἐχόντων ἐν αὑτοῖς κινήσεως ἀρχὴν ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος, οὐ χωριστὸν ὂν ἀλλ' ἢ κατὰ τὸν λόγον*. Phys. l. l. Itaque physica non unice in forma sive substantia formali cognoscenda versatur, sed tantum praecipue ac maximam partem, *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ b* 28; cognoscit enim res sensibiles per formam quidem, *κατὰ τὸν λόγον*, sed per eam formam, quae sine

materia esse nequeat, cf. *Z* 11. 1037*a* 16, Phys. II 2. 194*a* 12: *ἐπεὶ δ' ἡ φύσις διχῶς, τό τε εἶδος καὶ ἡ ὕλη, ὡς ἂν εἰ περὶ σιμότητος σκοποῖμεν τί ἐστιν οὕτω θεωρητέον. ὥστ' οὔτ' ἄνευ ὕλης τὰ τοιαῦτα οὔτε κατὰ τὴν ὕλην.* Eodem exemplo *τοῦ σιμοῦ* et *τοῦ κοίλου*, frequentato ab Aristotele (cf. *Z* 5, 10. de an. III 4. 429*b* 14. 7. 431*b* 12. al.) eiusque interpretibus ad distinguenda concretum, quod dicimus, (*συνειλημμένον μετὰ τῆς ὕλης* *b* 32, *τὸ συνειλημμένον* vel addito *ὕλης* nomine *Z* 10. 1035*a* 26, 28, 34. 11. 1037*b* 5, vel simpliciter per se 10. 1035*a* 23. 11. 1036*a* 27 usurpatur ad significandum *τὸ συναμφότερον*) et abstractum, hoc etiam loco describit, qualia sint quae definiuntur in physica et rerum constituunt naturam, *τῶν ὁριζομένων καὶ τῶν τί ἐστι* *b* 30. — Quoniam autem physica formam ubique investigat tamquam coniunctam cum materia, animae etiam cognitio, siquidem anima est corporis organici forma et entelechia, ad physicam pertinet disciplinam, verum eius modo animae, quae cum corpore necessario coaluit, non eius, si qua potest per se et separatim exsistere; cf. de anim. I 1. 403*a* 16—28. III 4. 429*a* 24 sqq. de part. an. I 1. 641.

1025*b* 23 *τῶν δὲ πρακτικῶν.* Quod cod. *E* exhibet et Alexander p. 408, 20 in textu habuit *πρακτῶν* pro *πρακτικῶν*, et aptissimum est ad sententiam enunciati: rerum gerendarum principium est electio, et confirmari videtur proximis verbis: *τὸ αὐτὸ γὰρ τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετόν.* Hanc si probaveris lectionem, necessario paullo supra, *b* 22, *ποιητικῶν* mutandum erit in *ποιητῶν*, non potest enim, quae est Alexandri sententia, *ποιητικῶν* passivo sensu accipi. Sed quamquam admodum lenis ea est coniectura, quum saepissime a librariis adiectiva in —*τος* et in —*τικός* terminantia inter se commutentur, tamen num probanda sit dubito, quum propter consensum librorum tum propter locum libri *K*, qui de eadem re est, *K* 7. 1064*a* 11: *ποιητικῆς μὲν γὰρ* (int. *ἐπιστήμης*) *ἐν τῷ ποιοῦντι — ἡ ἀρχὴ κτλ.* Idem nomen *ἐπιστήμη* hic etiam ad *ποιητικῶν* et *πρακτικῶν* videtur supplendum esse.

1026*a* 3 *οὐθενὸς γὰρ ἄνευ κινήσεως κτλ.* Eodem sensu positum esse apparet *οὐκ ἄνευ κινήσεως εἶναι* et *ἔχειν ὕλην*, similiter ac *A* 8. 989*b* 32 *οὐκ αἰσθητά* et *ἄνευ κινή-*

σεως ὄντα tamquam eiusdem notionis formulae coniunctae sunt. Nimirum notione quidem differunt κινητόν, αἰσθητόν, ὑλικόν, sed tamen in easdem res cadit ut et materiam habeant et moveantur et sensibus percipiantur, cf. *Z* 11. 1036*b* 28. *H* 1. 1042*a* 25. *Λ* 1. 1069*b* 1, 3 et quae supra de notione naturae disputavimus.

1026*a* 6 ὅτι μὲν — 22 εἶναι. Theoreticae philosophiae tres Aristoteles partes distinguit, physicam mathematicam theologiam; et physicam quidem versari in cognoscendis rebus sensibilibus, quae et moveantur neque a materia separari possint, mathematicam in rebus immobilibus, quae a materia cogitatione, non ipsa exsistentia separentur, primam denique philosophiam in rebus et immobilibus et separatis a materia et per se exsistentibus. cf. de an. I 1. 403*b* 11: ὁ φυσικὸς περὶ ἅπανθ' ὅσα τοῦ τοιουδὶ σώματος καὶ τῆς τοιαύτης ὕλης ἔργα καὶ πάθη· ὁπόσα δὲ μὴ ᾖ τοιαῦτα, ἄλλος, καὶ περὶ τινῶν μὲν τεχνίτης, ἐὰν τύχῃ, οἷον τέκτων ἢ ἰατρός, τῶν δὲ μὴ χωριστῶν μέν, ᾗ δὲ μὴ τοιούτου σώματος πάθη καὶ ἐξ ἀφαιρέσεως, ὁ μαθηματικός, ᾗ δὲ κεχωρισμένα, ὁ πρῶτος φιλόσοφος. de part. an. I 1. 641*b* 10. Quam istis verbis apertius significat mathematicae disciplinae indolem, eandem hoc nostro loco dubitantius proponit, ita quidem, ut alicubi eam subtilius definiturus esse videatur, id quod fecit *M* 2, 3. Etenim primum quidem dicit *a* 9: ὅτι — ἔνια μαθήματα (i. e. quaedam res mathematicas) ᾗ ἀκίνητα καὶ ᾗ χωριστὰ θεωρεῖ (int. ἡ μαθηματική) δῆλον, ac paullo infra contra addit *a* 14: τῆς δὲ μαθηματικῆς ἔνια (videtur praecipue harmonicam, opticam, alias eiusmodi disciplinas intelligere) περὶ ἀκίνητα μὲν οὐ χωριστὰ δ' ἴσως. Collata disputatione libri *M* facile apparebit, cur mathematica et dici possit versari in rebus, quae a materia non separentur, et inquirere in eas, quasi sint separatae a materia. Certo igitur discrimine ut a physica, ita a mathematica disiuncta est prima philosophia, quae est περὶ χωριστὰ καὶ ἀκίνητα. Iam quum primas causas — et causas quidem nunc quaeri, ipso huius capitis initio monuit —, ne in infinitum progrediendum sit (cf. *α* 2), omnes oporteat aeternas esse, tum maxime hoc cadit in causas earum rerum, quas, quoniam immunes a materia et immobiles sunt, et ipsas aeter-

nas esse necesse est. Hae enim causae sunt *αἴτια τοῖς φανεροῖς τῶν θείων* *a* 18, cf. Phys. II 4. 196*a* 33: *τὸν δ' οὐρανὸν καὶ τὰ θειότατα τῶν φανερῶν*. *Α* 7, 8 et ad *Δ* 8. 1017*b* 12. — Inde theoreticae philosophiae tres exsistunt partes (*τρεῖς φιλοσοφίαι*, cf. ad *Α* 3. 983*b* 21), mathematica physica theologia. Quod autem quam antea primam philosophiam nuncupavit, eandem theologiae nomine dignatur, id cur faciat proximis verbis explicat: *a* 19 *οὐ γὰρ ἄδηλον κτλ.* cf. *Α* 2. 983*a* 5 sqq. et p. 5.

1026*a* 22 *αἱ μὲν* — 32 *ὄν*. Practicis disciplinis theoreticas potiores esse exposuit *Α* 2. 982*b* 24 sqq., inter theoreticas autem theologiam primam esse et potissimam his verbis demonstrat. Inesse enim in iis eiusmodi demonstrationem, ex particula causali *γάρ* *a* 23 colligere debemus, licet proxima adeo sint obscura et perplexa, ut argumentandi rationem divinare magis quam perspicere mihi videar. Hoc enim videtur dicere *a* 23—27: theologica doctrina potissima omnium iudicanda erit, si tamquam universalis reliquas complectatur. Sed id ipsum dubitaverit quispiam, num theologia universalis sit, an certum quoddam entium genus propositum habeat ad inquirendum. Horum utrum statuas, multum differt; neque enim, ut hoc utamur exemplo, mathematicis in rebus eaedem sunt doctrinae, quae in certum quoddam genus inquirunt, et ea quae omnes res mathematicas complectitur. (Arithmeticam dici ab Aristotele *τὴν καθόλου μαθηματικήν* probabile est conferenti *Α* 2. 982*a* 28.) Iam hanc quaestionem solvit *a* 27—32, licet in ipsis verbis difficile sit solutionem agnoscere. Si quid est, ait, immobile et separabile, hoc prius est rebus physicis, et ea scientia, qua illud investigatur, quam quidem theologiam esse diximus, prior est quam physica disciplina. Igitur theologia prima est doctrina, et quatenus prima est omnium, universalis potest dici, quum reliquae omnes ex illa summum debeant repetere principium.

1026*a* 29 *εἰ δ' ἔστι* — 31 *πρώτη*. Quid significent haec verba apertum est, constructio autem paullo impeditior. Etenim ad verba *φιλοσοφία πρώτη*, quae praedicati locum obtinere apparet, non potest referri superioris membri subiectum *οὐσία τις ἀκίνητος*, sed addendum potius co-

gitatione ἡ περὶ τὴν τοιαύτην οὐσίαν ἐπιστήμη, ut apte Aristotelis verba interpretatur Alexander p. 412, 30: καὶ ἡ περὶ ταύτην ἐπιστήμη ἔσται φιλοσοφία καὶ πρώτη πάντων καὶ καθόλου κτλ. Quam quidem ellipsin equidem, quae est Aristotelis in dicendo et brevitas et negligentia, non dixerim intolerabilem; quod si quis eam ferri posse neget, recipiendum est quod exhibetur cod. *T*: καὶ ἡ φιλοσοφία πρώτη i. e. et inquisitio, quae de hac est substantia, prima est.

CAP. II.

E diversis entis generibus primum ens accidentale tractare suscipit, 1026a 33—b3. *In eo cognoscendo nullam versari disciplinam exemplis comprobat et cur id fieri consentaneum sit exponit* — b24. *Deinde quae sit accidentis natura* — 1027a 5, *qualis eius causa* — a15, *unde cognoscatur esse re vera accidens* — a19 *explicat, et scientiam accidentis non posse esse docet* — a28.

1026a 33 ἀλλ' ἐπεὶ — b3 λεκτέον. — ἁπλῶς a33 quum opponatur iis determinationibus, quibus singula entium genera distinguuntur, idem significat atque ὅλως vel ἀδιορίστως, cf. ad *Δ* 15. 1020b 33. — Entis autem genera eadem enumerat, quae distinxit *Δ* 7. Respici ad expositionem variarum entis significationum inde apparet quod dicit: ὢν ἓν μὲν ἦν, neque vero: ὢν ἓν μέν ἐστι, quae quidem verba referenda esse ad librum *Δ* comprobavi p. 18. — Ad significandam primam categoriam utitur pronomine τὸ τί perinde ac *A* 8. 989b 12. *Θ* 1. 1045b 33. *Λ* 2. 1069b 9. *N* 2. 1089b 8, vel pleniore formula τὸ τί ἐστι, *E* 4. 1027b 32. *Z* 1. 1028a 11. *I* 2. 1054a 15. Soph. el. 22. 178a 7, cf. An. post. I 22. 83a 21. — Diversis entis generibus in protasi aliquanto longiore enumeratis, antequam apodosin πρῶτον — λεκτέον b3 ordiatur, distinctionem in protasi factam breviter in memoriam legentibus revocat; quod quum aptissime per particulam δή fiat, secutus vestigia codd. *ET* et Alexandri ἐπεὶ δή scripsi pro vulg. ἐπεὶ δέ.

1026b 3 ὅτι οὐδεμία — 12 ἔχον. Nulla doctrina operam ponit (οὐδεμία θεωρία b3, cf. *K* 8. 1064b 17: οὐδεμία τῶν παραδεδομένων ἐπιστημῶν πραγματεύεται περὶ τὸ συμβεβη-

κός, et ad *Δ* 30. 1025*a* 30) in ente accidentali vel efficiendo vel cognoscendo, *ἄπειρα γάρ ἐστιν*, quae autem infinita sunt, ea non possunt cogitando percurri, cf. *Γ* 4. 1007*a* 14: *καὶ γὰρ ἀδύνατον ἄπειρά γ' ὄντα τὰ συμβεβηκότα διελθεῖν*. *α* 2. 994*b* 30. Hoc architecturae primum exemplo illustrat, deinde geometriae, *οὐδ' ὁ γεωμέτρης θεωρεῖ τὰ οὕτω συμβεβηκότα τοῖς σχήμασιν, οὐδ' εἰ ἕτερόν ἐστι τρίγωνον καὶ τρίγωνον δύο ὀρθὰς ἔχον*. Alexander *τρίγωνον* dici putat triangulum materiale, *τρίγωνον δύο ὀρθὰς ἔχον* triangulum mathematicum. Quae interpretatio quamquam parum ex ipsis philosophi verbis petita est, non habeo tamen quam meliorem afferam. Etenim recte quidem dixerit quispiam *τὸ δύο ὀρθὰς ἔχειν* esse ex Aristotelis sententia *ὑπάρχον* vel *συμβεβηκός* trianguli, cf. ad *Δ* 30. 1025*a* 32; hoc igitur videri quaeri, utrum triangulum per se idem sit ac triangulum per accidens aliquod, *τὸ δύο ὀρθὰς ἔχειν*, determinatum. Posse hanc esse Aristotelis sententiam non negaverim, neque tamen ei interpretationi magnopere confidam; agitur enim hoc loco de eo quod proprie est *συμβεβηκός*, non de eo quod quum sit *συμβεβηκὸς καθ' αὑτό* proxime ad ipsam substantiam accedit et scientiae profecto subiicitur.

1026*b* 12 *καὶ τοῦτο εὐλόγως συμπίπτει* — 21 *μὴ ὄντος*. Non sine ratione accidere ut nulla sit entis accidentalis scientia, Platonem testem abhibet, qui sophistam, in accidentibus quum maxime occupatum (cf. *K* 3. 1061*b* 8. An. post. I 2. 71*b* 10), circa non-ens versari dicat, cf. Plat. Soph. p. 237 sqq. Petitas autem esse sophistarum captiones e natura rerum accidentalium comprobat allatis quibusdam sophismatis, quae ut in vulgus nota verbo significasse satis habet. Veluti quaerunt, utrum idem sit an diversum musicum esse et grammaticum. Sive ais sive negas, in easdem incidis insidias; si idem esse dicis, hominem ostendunt qui alteram tantum artem tenet; sin negas idem esse, ostendunt aliquem, qui utraque est eruditus. Ad idem redit altera quaestio: *καὶ μουσικὸς Κορίσκος καὶ Κορίσκος*. Tertia captio, *b* 18 *καὶ εἰ πᾶν* — 20 *μουσικός*, quomodo sit intelligenda, cognoscitur coll. Top. I 11. 104*b* 24: (*θέσις ἐστὶ*) *περὶ ὧν λόγον ἔχομεν ἐναντίον ταῖς δόξαις, οἷον ὅτι οὐ πᾶν τὸ ὂν ἤτοι γενόμενόν ἐστιν ἢ ἀΐδιον, καθάπερ οἱ σο-*

φισταί φασιν· μουσικὸν γὰρ ὄντα γραμματικὸν εἶναι οὔτε γενόμενον οὔτε ἀΐδιον ὄντα. Quaerunt sophistae, num quaecunque sunt aut aeterna sint aut aliquando facta (*b* 18 *εἰ πᾶν ὃ ἂν ᾖ, μὴ ἀεὶ δέ, γέγονεν*), quod quum facile quivis affirmet, ipsi non esse omnia aut aeterna aut facta aliquando (*οὐ πᾶν τὸ ὂν ἤτοι γενόμενόν ἐστιν ἢ ἀΐδιον* Top. l. l.) hac usi ratione demonstrant. Fuit quispiam antea musicus, postea factus est grammaticus; atqui nec musicus factus est grammaticus, quoniam id quidem ad nullum generationis genus potest referri, neque semper fuit; ergo *τὸ μουσικὸν ὄντα γραμματικὸν εἶναι* consequitur ut sit *οὔτε γενόμενον οὔτε ἀΐδιον*. — Paullo aliter idem sophisma Ar. exponit *K* 8. 1064*b* 23—26. Ibi enim ex eadem propositione profecti, ut quis dicatur antea musicus fuisse, postea artem grammaticam didicisse, concludunt sophistae, quoniam simul sit musicus et grammaticus, nec tamen semper fuerit, simul factum esse utrumque. Quod ut est manifesto falsum, ad refutandum idem placitum confertur, quod omne ens vel aeternum esse vel generatum vulgo dicunt.

1026*b* 22 *δῆλον δὲ* — 24 *ἔστιν.* Eodem argumento utitur ad refutandam rerum mathematicarum exsistentiam *B* 5. 1002*a* 28 sqq.

1026*b* 24 *ἀλλ' ὅμως λεκτέον* — 1027*a* 2 *τὸν οἰκοδόμον.* — *b* 28 *ἐξ ἀνάγκης κτλ.* cf. ad *Δ* 5. — Eandem accidentis definitionem, ut *τὸ συμβεβηκός* sit *τὸ τοῦ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ διάλειμμα* Alex. p. 416, 32, exponit *Δ* 30, cf. Top. II 6. 112*b* 1: *τῶν πραγμάτων τὰ μὲν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τὰ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὰ δ' ὁπότερ' ἔτυχεν.* — Post *πολύ* *b* 30 addi iubet Spengel (Münchn. G. A. 1843. N. 243. p. 915) *τὰ δ' οὐδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*, quam coniecturam, licet collato loco libri *K* 8. 1064*b* 35 et scriptura edd. Ald. et Sylb. commendari videatur, equidem nec necessariam esse arbitror nec vero aptam. Neque enim proximis verbis dicit Aristoteles: *τοῦτό ἐστι τὸ συμβεβηκός*, sed: *αὕτη ἀρχὴ καὶ αὕτη αἰτία ἐστὶ τοῦ εἶναι τὸ συμβεβηκός.* At manifesto non *τὸ οὐδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γιγνόμενον*, quod ipsum est *συμβεβηκός*, dici potest causa esse ut sit aliquid *συμβεβηκός*, verum potius *τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γιγνόμενον*, quoniam intercapedinem quasi quandam relinquit quae possit expleri,

id principium est et ea causa ut sit omnino τὸ συμβεβηκός. — *b* 31 ὃ γὰρ ἂν ᾖ μητ' ἀεὶ κτλ. Iisdem prope verbis τὴν τύχην describit Phys. II 5. 196*b* 12, cf. Top. l. l. An. post. I 30, atque idem exemplum χειμῶνος ἐπὶ κυνί affert Phys. II 8. 199*a* 1.

1027*a* 4 διὸ συνέβη — 19 σκεπτέον. Exposita τοῦ συμβεβηκότος natura ac notione de eius causis disserit et unde esse re vera συμβεβηκός cognoscatur significat; sed haec quidem ita sunt disputata, ut, licet sententia scriptoris non sit dubia, tamen iustum ratiocinandi ordinem desideremus. διό, inquit, συνέβη φαμέν, καὶ ἔστιν ὡς ποιεῖ, ἁπλῶς δ' (h. e. quatenus est ὀψοποιός) οὐ ποιεῖ. Hinc apte ad causam efficientem accidentis transit: τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐνίοτε δυνάμεις εἰσὶ — ὡρισμένη. Atque haec quidem verba manifesto librariorum errore depravata sunt; earum enim rerum, quae vel necessario vel plerumque fiunt, non solum interdum, ἐνίοτε, certae ac definitae sunt causae, sed utique. Neque apud Alexandrum vel Asclepium ullum reperias vestigium, unde eos ἐνίοτε in textu habuisse concludas; immo si Alexandri verba p. 417, 19 contuleris, scribendum coniicias: τῶν μὲν γὰρ ἄλλων αἰτίαι τε καὶ δυνάμεις εἰσίν, quae emendatio si non ipsam Aristotelis manum restituit, aptam certe efficit sententiam et eam convenientem cum verbis proximis *a* 7: τῶν γὰρ κατὰ συμβεβηκός — συμβεβηκός. Sed etiamsi hanc maculam absterserimus, non tollitur propterea perplexa argumentandi ratio, quae in sequenti disputationis parte cernitur. Nam postquam accidentium accidentales etiam causas esse dixit, proximam enunciationem a particula ὥστε orditur, ut concludere videatur, quae inde consequantur; sed eo potius transit, ut statuendum esse dicat, praeter ea quae plerumque fiunt fieri alia quaedam per accidens, nisi forte ponere quis voluerit omnia necessario fieri. Deinde (ὥστε ἡ ὕλη κτλ. *a* 13) materiam ad utrumque pariter aptam causam esse accidentium significat. Tum iterum docet, unde cognoscatur, esse re vera quaedam per accidens, quod idem copiosius demonstrat de interpr. 9. Hunc quidem sententiarum ordinem significasse satis est, ut eum nec aptum nec iustum esse appareat. Aliquid certe ad restituendum meliorem ordinem proficias, si vv. *a* 13 ὥστε

ἡ ὕλη — 16 ἀδύνατον posueris ante a8 ὥστ' ἐπειδή, quae coniectura si ad ipsam rem apta iudicetur, propter idem enuntiationum initium non prorsus improbabilis videbitur. — a15 ἀρχὴν δὲ τηνδὶ ληπτέον, int. τοῦ δεῖξαι ὅτι ἔστι τι συμβεβηκός. — a19 ὕστερον σκεπτέον, cf. Λ 7.

1027a 19 ὅτι δ' — 28 εἴρηται. Scientiam quae vere ac simpliciter (ἁπλῶς) hoc nomine appelletur, non esse nisi eorum, quae aeterna sint neque unquam mutentur, τῶν μὴ ἐνδεχομένων ἄλλως ἔχειν, Aristoteles docet An. post. I 1. 71b 15 (cf. Waitz ad h. l.). 4. 73a 21. 6. 74b 36—39. 7. 75b 24. 33. 88b 31. Latiore tamen sensu scientia, praeter aeterna et necessaria, etiam ad ea refertur, quae plerumque vel sunt vel fiunt, cf. An. pr. I 13. 32b 18: ἐπιστήμη δὲ καὶ συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς τῶν μὲν ἀορίστων οὐκ ἔστιν διὰ τὸ ἄτακτον εἶναι τὸ μέσον, τῶν δὲ πεφυκότων (h. e. τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὄντων, cf. ibid. b10) ἔστι. An. post. I 30. 87b 20. Quae autem praeter consuetudinem sunt, ea vero, sive συμβεβηκότα dixeris sive ἀόριστα, extra scientiam cadunt. — In exemplo febris, quae mulso adhibito levetur, obscuritas quaedam inest a24: τὸ δὲ παρὰ τοῦτο οὐχ ἕξει λέγειν, πότε οὔ, οἷον νουμηνίᾳ· ἢ γὰρ ἀεὶ ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ τῇ νουμηνίᾳ. Extrema enim verba hunc videntur in modum accipienda esse: etenim id quoque, quod interlunii tempore fit (τὸ τῇ νουμηνίᾳ), aut semper (h. e. quoties est interlunium) aut plerumque fit, neque cadit extra normam et consuetudinem. Quod licet per se haud inepte dicatur, tamen non potest cum superioribus verbis recte conciliari; antea enim ipsum interlunii tempus pro exceptione positum est, quae non contineretur eadem ac reliquum tempus lege. Quare non videtur negligendum, quod articulum τὸ ante τῇ νουμηνίᾳ Bekkerus ex uno cod. E recepit; quodsi hunc articulum ex auctoritate reliquorum librorum omiseris, et, quae vix dici potest mutatio, prius ἢ in ἦ mutaveris: ἦ γὰρ ἀεὶ ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, καὶ τῇ νουμηνίᾳ, longe aptior exsistet sententiarum ratio. Medicus docet febricantibus plerumque prodesse mulsum, at non potest docere, quando non prosit, veluti si sumamus interlunii tempore illud non esse salubre; quatenus enim vel semper vel plerumque utile est mulsum, utile erit etiam interlunii

tempore, quod nimirum intra illos fines sive perpetuitatis sive consuetudinis cadit. Comprobari videtur haec coniectura Alexandri interpretatione p. 418, 24: διὰ δὲ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὠφελεῖσθαι, συμβαίνει καὶ ἐν τῇ νουμηνίᾳ ὠφέλιμον, quamquam proximis eiusdem interpretis verbis ad Bekkerianam lectionem videmur retrahi.

CAP. III.

Quae sint accidentis, i. e. rerum fortuitarum, causae.

Superiore capite universam iam de accidente quaestionem Ar. videtur absolvisse, ipse enim sub finem disputationis *a*26 dicit expositum esse τί ἐστι τὸ συμβεβηκός, διὰ τίν' αἰτίαν ἐστί, ὅτι ἐπιστήμη οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. Nihilo secius quae sint rerum fortuitarum causae denuo hoc capite disserit. Ut omnino, ait *a*30, esse aliquid possit per accidens ac fortuito, quod re vera esse antea cap. 2 ex evidentia experientiae comprobatum est, causas etiam esse oportet quae non per se sed per accidens sint causae, cf. Phys. II 5. 196*a* 24: ὥσπερ γὰρ καὶ ὄν ἐστι τὸ μὲν καθ' αὑτὸ τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, οὕτω καὶ αἴτιον ἐνδέχεται εἶναι, οἷον οἰκίας καθ' αὑτὸ μὲν αἴτιον τὸ οἰκοδομικόν, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ τὸ λευκὸν ἢ τὸ μουσικόν. τὸ μὲν οὖν καθ' αὑτὸ αἴτιον ὡρισμένον, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἀόριστον κτλ. Eiusmodi causae quod exsistere et interire dicuntur ἄνευ τοῦ γίγνεσθαι καὶ φθείρεσθαι *a*30, apte explicat Alex. p. 419, 16: ἐκ μὴ οἰκοδόμου διὰ γενέσεώς τινος καὶ μαθήσεως καὶ ὅλως χρονικῆς παρατάσεως εἰς τὸ εἶναι οἰκοδόμος καὶ δύνασθαι ποιεῖν οἰκίαν ἥκει. εἰς δὲ τὸ τῷ μὲν ἡδεῖαν εἶναι τὴν οἰκίαν, τῷ δὲ λυπηράν (cf. 2. 1026*b* 6), οὐδαμῶς διὰ τοιούτου τινὸς ἥκει, — ἀλλ' ἀχρόνως συνέβη αὐτῷ τὸ γίνεσθαι αἴτιον αὐτὸν τοῦ λυπεῖν τὴν οἰκίαν. — Esse autem eiusmodi causas necessarium videbitur reputanti, aliter si statuatur, consequens esse ut omnia necessario fiant. Veluti quaerimus, num hic sit moriturus nec ne; morietur, respondetur, si exierit; atqui exibit, si sitiverit; ita regrediendo ab effectu ad causam tandem inde a certo quodam futuri temporis momento deveniemus usque ad hoc praesens tempus et usque ad causam aliquam, ex qua, sive ea est sive

non est, necessario ille, de quo quaesivimus, eventus aut procedet aut non procedet. Possumus etiam in quaerendis causis supergressi praesentia usque ad praeterita redire, *κἂν ὑπερπηδήσῃ τις εἰς τὰ γενόμενα* b 6. Necessario hic, qui nunc vivit, moritur; namque in eodem eius corpore contraria elementa coniuncta sunt. Sed utrum per morbum an per vim sublato contrariorum quasi concentu sit interiturus, id nondum certum est, sed aliunde est suspensum, *ἐὰν τοδὶ γένηται* b 11. Itaque usque ad certam quandam causam redeundum est in causarum indagatione, neque ultra (*μέχρι τινὸς βαδίζει ἀρχῆς* b 11, int. *τὸ πρᾶγμα* vel *ἡ τῶν αἰτίων ζήτησις*); ibi principium est quaerendum rerum fortuitarum, quae utpote fortuitae nullam omnino habent causam. Id autem num pertineat ad materialem an ad finalem an ad moventem causam, videndum est.

Suffecturam cuiquam hanc esse disputationis Aristotelicae interpretationem non credo, verum difficile est ea interpretari, quae philosophus ipse non satis distincte et perspicue explicuerit. Nimirum quales n o n sint causae rerum fortuitarum Aristoteles per exempla illustrat, quales s i n t in medio relinquit. Illud enim ipsum quod verissime dicit: *τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς γιγνομένου καὶ τὰς αἰτίας εἶναι κατὰ συμβεβηκός* [1]), nihil aliud continet nisi negativam definitionem non esse eius causas *αἰτίας καθ' αὑτό*. Haec autem postquam recte statuit, non videtur omnino quaeri posse *πότερον ὡς εἰς ὕλην κτλ.*, nam quae sunt p e r a c c i d e n s causae, eae suapte natura inhaerere quidem possunt cuilibet causarum generi, sed in nullo genere *τῶν κ α θ' α ὑ τ ὸ αἰτίων* continentur. Nec vero apte in superiore capite fortuitarum rerum causam in materia posuit, *ὥστε ἡ ὕλη ἔσται αἰτία ἡ ἐνδεχομένη παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἄλλως τοῦ συμ-*

1) Rectius, sed parum Aristotelice, haec propositio hanc videtur in formam redigi posse. Fortuitum, *συμβεβηκός*, videtur quidpiam fieri, si non ad suam ac propriam causam refertur, sed ad *τὴν κατὰ συμβεβηκὸς αἰτίαν*. Veluti, ut utar exemplo Aristotelico, *τὸ τὴν οἰκίαν τοῖς μὲν ἡδεῖαν, τοῖς δὲ βλαβερὰν εἶναι* 2. 1026 b 7 fortuitum est, si respexeris consilium aedificatoris, qui neutrum habuit in animo, sed ei accidit, *συνέβη*, ut his placeat, illis displiceat aedificium. At idem *τὸ τὴν οἰκίαν — βλαβερὰν εἶναι* necessarium videbitur, si naturam vel loci vel aedificii et habitantium iudicantiumve hominum naturas respexeris.

βεβηκότος 1027*a* 13; materia enim si nihil est aliud quam potentia ad contraria pariter apta (cf. *Λ* 5. 1071*a* 10: *δυνάμει δὲ ἡ ὕλη· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ δυνάμενον γίγνεσθαι ἄμφω*, al.), quoniam recipit tantum formam neque ipsa quidquam facit, non potest efficere, ut a lege ceteroquin observata discedatur, *παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*. Ita Aristoteles attigisse potius videtur quam solvisse hanc quaestionem, quam vereor ut ex iis, quae posuit, principiis potuerit omnino dirimere.

CAP. IV.

Ens per accidens et ens tamquam verum quoniam non significant propriam ac peculiarem entis naturam, his omissis transeundum est ad ipsum ens, quatenus est ens.

1027*b* 18 *τὸ δὲ* — 29 *ἐπισκεπτέον*. Apodosin longioris huius enunciationis ordiri a verbis *ὅσα μὲν οὖν b* 28, quod monui in Obs. p. 33, nunc comprobare possum Alexandri iudicio p. 424, 7. Eundem interpretem secutus p. 423, 20 parenthesin non usque ad verba *ὅσα μὲν οὖν b* 28, sed usque ad vv. *οὐ γάρ ἐστι b* 25 extendi. — Id quod esse dicitur quia verum est, vel non esse quia falsum est, exsistit ex notionibus vel coniunctis vel disiunctis (cf. Waitz Org. 16*a* 12, 17*a* 15) et omnino in eo versatur, ut inter affirmationem et negationem diiudicetur, *περὶ μερισμὸν ἀντιφάσεως*, cf. *Θ* 10. 1051*b* 2—6. Hoc quo magis appareat, veritatis et falsitatis definitionem interponit; quae quum in coniunctione cernantur notionum et disiunctione, ac iure quaeratur, qualis tandem sit illa coniunctio, ex qua non mera cogitandi dicendive series (*τὸ ἐφεξῆς b* 24) sed unitas quaedam consequatur, id quidem explicare in alium locum differt, *ἄλλος λόγος*, cf. *Z* 12. Inde per verba *οὐ γάρ ἐστι κτλ.* revertitur ad eam, quam exorsus est, protasin confirmandam: cernitur verum et falsum in notionibus coniungendis et dirimendis, quia non in ipsis rebus inest veritas et falsitas, sed accedit demum ex mentis quadam actione, *ἀλλ' ἐν διανοίᾳ*. Sed hoc ipso, quo utitur, *διανοίας* vocabulo monitus, non omnia ita esse comparata, ut iis coniungendo et dirimendo, quae est *διανοίας* natura et virtus (cf. ad *Γ* 7. 1012*a* 2), veritas vel falsitas accidat, sed esse etiam, quae excluso

omni errore simpliciter vel sciri debeant vel nesciri, addit: περὶ δὲ τὰ ἁπλᾶ οὐδ' ἐν τῇ διανοίᾳ, cf. Θ 10. 1051b 17 sqq. His expositis concludit: ὅσα μὲν οὖν (de cuius particulae usu in apodosi cf. ad A 3. 983a 33) δεῖ θεωρῆσαι περὶ τὸ οὕτως ὂν καὶ μὴ ὄν (i. e. περὶ τὸ ὡς ἀληθὲς ὂν καὶ τὸ ὡς ψεῦδος μὴ ὄν), ὕστερον ἐπισκεπτέον, cf. Θ 10. Iam vero transeundum ad ipsum ens eiusque causae investigandae sunt, quatenus est ens, siquidem et accidens et veritas ab ente, quod proprie et per se ens est, pendent nec seiunctam ab eo naturam habent et exsistentiam, οὐκ ἔξω δηλοῦσιν οὖσάν τινα φύσιν τοῦ ὄντος a 2, cf. K 8. 1065a 24.

1027b 33 διαιρεῖ cur scribendum putem pro vulgato ἀφαιρεῖ expositum est in Obs. p. 90.

1028a 4 φανερὸν — 5 τὸ ὄν. Idem prope iisdem verbis bis Aristotelem dixisse et in fine huius libri et in exordio proxime sequentis, 1028a 10 τὸ ὂν — 11 ποσαχῶς, vix verisimile potest videri. Iam quum singulorum eiusdem operis librorum distinctionem ab antiquissimis editoribus interpretibusque Aristotelis institutam et mutatam esse, et uno Metaphysicorum loco diserte traditum sit (cf. ad M 9. 1086a 21) et in aliis operibus Aristotelis certissimis rationibus demonstrari possit: non improbabile est, haec extrema libri E verba vel addita esse ab iis, qui hoc in loco disputationem intercciderent, vel inde orta, quod eadem verba ab aliis ad finem libri superioris traherentur, ab aliis pro exordio proximi libri haberentur. — Simili ratione superioris cuiusque libri conclusio cum proximi libri exordio aliquoties concinit in Eth. Nic. IV et V, VII et VIII, IX et X.

Z.

CAP. I.

***E diversis entis generibus primum et tempore et notione et cognitione est substantia,* 1028a 10—b 2, *haec igitur investiganda est ei qui ens, quatenus est ens, cognoscere voluerit* — b 7.**

De universa huius capitis disputatione cf. Trendel. Kat. p. 71 sqq.

1028a 10 τὸ ὂν — 31 εἴη. Ens quum multifariam dicatur (cf. ad Γ 2. 1003a 33. Δ 7) et tot quidem modis quot distinguuntur categoriae, quarum e numero, quia aliunde (cf. ad E 2. 1026a 34. 4. 1028a 5) iam notae sunt, potissimas enumerasse satis habet: prima ex his omnibus est substantia, sive τὸ τί ἐστι, cf. ad E 2. 1026a 36. ὅταν μὲν γάρ, ait a 15, εἴπωμεν ποῖόν τι τόδε κτλ. Hac enunciatione orditur quidem eam argumentationem, qua substantiae primum deberi locum vult comprobare, nec tamen ipsam iam affert rationem, sed exemplis modo substantiae et reliquarum categoriarum discrimen illustrat. Quamquam in ipsa hac enunciatione, ὅταν μὲν γάρ — ἢ θεόν, inest quod lectorem non possit non offendere. Nimirum non id agitur, ut quaelibet substantia a reliquis distinguatur omnibus, sed ut ab una substantia reliquae distinguantur categoriae omnes eique opponantur. Itaque iure exspectes qualitati, ποῖόν τι τόδε, non opponi exemplum et quantitatis et substantiae, ἀλλ' οὐ τρίπηχυ ἢ ἄνθρωπον, sed et qualitati et deinde quantitati pariter unam opponi substantiam, quemadmodum deinde substantiae opponitur quale et quantum, οὐ λευκὸν οὐδὲ θερμὸν οὐδὲ τρίπηχυ. Sed hoc utrum ipsius Aristotelis negligentiae tribuendum sit, an librariorum incuria omissa quaedam putemus, difficile est dicere; Alexander manifesto idem in textu habuit, quod nunc vulgatum est. — Ita per exempla significatis diversis categoriis omnium primam substantiam esse eo comprobat, quod reliquae omnes eam requirant eique quasi inhaereant, cf. 13. 1038b 26. Θ 1. 1045b 27. N 1. 1088b 4. Propterea licet in universali entis notione etiam qualitas contineatur, tamen dubitaverit quispiam, utrum qualitas vel affectio, si per se et absolute enuncietur τὸ καθῆσθαι, τὸ ὑγιαίνειν, ens aliquod significet necne, sed entis dignitatem ibi potius cerni putabimus, ubi simul cum qualitate definitum quodpiam subiectum, cui illa inhaereat, significatur, veluti quum dicimus τὸ καθήμενον, τὸ ὑγιαῖνον. Nimirum ἐν τῇ κατηγορίᾳ τῇ τοιαύτῃ, h. e. si hunc in modum quidpiam enunciatur, ἐμφαίνεται ἡ οὐσία i. e. φαίνεται ἐνυπάρχουσα ἡ οὐσία, cf. a 35: ἀνάγκη γὰρ ἐν τῷ ἑκάστου λόγῳ τὸν τῆς οὐσίας ἐνυπάρχειν. Itaque quum reliqua omnia per substantiam in numerum entium adsciscan-

tur, praecipuo ac primario sensu ens, ut quod non praedicetur de alio subiecto eiusque determinationem quandam significet, οὐ τὶ ὄν, sed de quo praedicentur reliqua, est substantia.

1028a 31 πολλαχῶς — b7 τί ἐστιν. Substantiam quod dixit esse πρώτως ὄν, quoniam plus una significatione aliquid primum vel prius aliis esse dicitur et tria potissimum hoc loco (cf. Δ 11) distinguenda videntur prioritatis genera, prius tempore definitione cognitione, quovis modo substantiam πρώτως ὄν esse comprobat. Ac primum quidem quod tempore quaedam priora esse dicit, si rem subtilius examinaveris, non tam temporis ponit discrimen, sed ipsam essentiae dignitatem distinguit, siquidem substantia per se et absolute est neque aliunde suspensa, reliquae vero categoriae substantiam requirunt cui inhaereant, τῶν ἄλλων κατηγορημάτων οὐθὲν χωριστόν, αὕτη δὲ μόνη, cf. Phys. I 2. 185a 31: οὐθὲν γὰρ τῶν ἄλλων χωριστόν ἐστι παρὰ τὴν οὐσίαν· πάντα γὰρ καθ' ὑποκειμένου τῆς οὐσίας λέγεται. Sed quoniam in generatione sine quo aliud esse nequit, id tempore prius esse solet, facile temporis nomen etiam ad distinguendam essentiae dignitatem deflectitur. — Quod deinde λόγῳ πρότερον dicit esse substantiam reliquis categoriis, id mirum videatur reputanti, alibi Aristotelem τὸ λόγῳ πρότερον et τὸ οὐσίᾳ πρότερον ita opponere, ut λόγῳ πρότερον accidens sit re concreta, quoniam ad definiendam rem concretam requiritur accidens, M 2. 1077b 1—14. 3. 1078a 10. cf. Δ 11. 1018b 34. I 3. 1054a 28. Verum v. λόγος h. l. ea est vi usurpatum, qua saepe non solum distinctum additis vocc. ὁριστικός, τοῦ τί ἦν εἶναι, τοῦ τί ἐστι, τῆς οὐσίας, εἶδος, μορφή, ἐνέργεια (H 3. 1043b 31. — Δ 2. 1013a 27. 29. 1029b 20. Z 4. 1029b 20. 5. 1031a 12. Δ 6. 1016a 34. — An. post. I 4. 73a 36, 38. II 10. 93b 39. — Δ 8. 1018a 10. — B 2. 996b 8. Z 11. 1036b 5. H 2. 1043a 19. — H 1. 1042a 28. — H 2. 1043a 19), verum etiam simpliciter ac per se usurpatur (Γ 4. 1006b 26. Z 5. 1031a 7. 10. 1034b 31. 11. 1036b 13. al.) ut significet notionem substantialem. Iam ubi cuiuslibet rei definitionem proponere susceperis, si ea non ipsa est substantia, ab eo ordiendum erit in definiendo, ut primum substantiam ponas, cui illa inhaereat, ἀνάγκη

ἐν τῷ ἑκάστου λόγῳ τὸν τῆς οὐσίας ἐνυπάρχειν a 35, huic demum addas accidentia, cf. ad Δ 28. 1024b 4. — Denique quum *γνώσει πρῶτον* substantiam esse dicit, ex ipsa argumentandi ratione, a 36—b 2, cognoscitur per formulam *τί ἐστι* non primum subiectum vel primam categoriam (*die Substanz*), sed ipsam rei naturam (*das Wesen*) significari. Eandem ambiguitatem, quae h. l. in vocc. *τὸ τί ἐστι* conspicua est, in ipsa etiam *οὐσίας* notione contineri, apparebit ex disputatione cap. 3. — b 5 *οἱ δ' ἄπειρα.* Anaxagoram et Democritum intelligi vere Alex. monet. — b 7 *ὡς εἰπεῖν*, cf. ad Α 1. 980a 25.

CAP. II.

Antequam substantiae naturam investigare ipse suscipit, varias et vulgi et philosophorum de ea sententias paucis enumerat.

1028b 8 *δοκεῖ* — 13 *ἥλιος.* Vulgarem hominum de substantia opinionem significari cognoscas e verbis *δοκεῖ, φανερώτατα, φαμέν.* Corporibus autem communi fere hominum consensu tribui substantiae dignitatem, saepe monet Aristoteles, cf. *H* 1. 1042a 25. Λ 1. 1069a 30. *M* 2. 1077a 31. et ad Δ 8. 1017b 10. Cuius opinionis exempla primum affert animalia et plantas eorumque partes, deinde *τὰ φυσικὰ σώματα*, quo vocabulo hic elementa, *τὰ ἁπλᾶ σώματα*, significari ex proximis verbis apparet; tum *καὶ ὅσα ἢ μόρια τούτων* (int. *τῶν στοιχείων*) *ἢ ἐκ τούτων ἐστίν, ἢ μορίων ἢ πάντων.* Adiectivo *πάντων* opponi potius exspectes *ἢ τινῶν* vel *ἢ ἐνίων*, quod vocabulum et leni admodum mutatione in textum potest inferri et aliquam, licet non satis certam, commendationem habet ex interpretatione Alexandri p. 428, 7: *καὶ ὅσα μόρια τούτων ἢ ἐκ τούτων εἰσὶν ἢ πάντων ἢ ἐνίων.* Quod si *μορίων* genuinum fuerit, in eiusmodi explicatione videtur acquiescendum esse: quaecunque vel ex partibus elementorum constant, veluti animalia et plantae, vel ex omnibus simul elementis, veluti coelum sive mundi sensibilis universitas.

1028b 15 *δοκεῖ δέ* — 27 *αἰσθητά.* Qua ratiocinatione ducti quidam substantiae vim a corporibus ad eorum

fines, superficies lineas puncta, transtulerint exponit Arist. *B* 5. 1002*a* 3. Non Platonis autem et Platonicorum significari his verbis sententiam, id quod Alex. arbitratur p. 428, 16, ex eo intelligitur, quod neque recte Platonis philosophiam his angustis rerum mathematicarum terminis includere poterat, et infra, *b* 19, eius sententiam, nominato ipso auctore, distinctam ab hac mathematica philosophia commemorat. Intelligendi potius sunt Pythagorei, cf. Brandis, Mus. Rhen. 1828, 2. p. 218 not. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 109. — His quum opponit eos, qui praeter sensibilia nihil esse eiusmodi in re ac veritate censeant, non de uno Hippone cogitandum est, quod Alexander voluit p. 428, 21, sed omnino de veteribus physiologis Ionicis, qui rerum sensibilium sensibiles et ipsas causas statuebant; cf. ad *B* 5. 1002*a* 8. — De tribus rerum generibus, quae Platonem posuisse dicit, cf. ad *A* 6. 987*b* 14: ea Speusippus ita videtur auxisse, ut, quae eodem genere Plato complexus erat, veluti res mathematicas, ea in inferiora quaedam genera distingueret et suum cuique generi statueret principium, cf. ad *Λ* 10. 1075*b* 37. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 337. — Quam extremo loco significat sententiam *b* 24: *ἔνιοι δὲ τὰ μὲν εἴδη κτλ.*, ea et ipsa pertinet ad doctrinam idearum et numerorum, qualem a Platone inventam eius discipuli immutaverunt, cf. ad *M* 9. 1086*a* 2 sqq.

1028*b* 27 *περὶ* — 32 *τί ἐστιν*. Instituendae subtilioris de substantia disputationis inde capit initium, ut prima quasi et extrema ducat notionis lineamenta, *ὑποτυπωσαμένοις τὴν οὐσίαν πρῶτον τί ἐστιν*, cf. 3. 1029*a* 7: *τύπῳ εἴρηται*, et de vi v. *ὑποτυποῦσθαι* Trend. El. p. 49. Waitz Org. 101*a* 8.

CAP. III.

Quae potissimum substantiae nomen sibi vindicent, 1028*b* 33—36. *De subiecto, ὑποκειμένῳ, ut in quo cernatur substantiae vis ac dignitas* — 1029*a* 26; *materia utrum pro substantia habenda sit necne* — *a* 34.

1028*b* 33 *λέγεται* — 36 *ὑποκείμενον*. Quaestionum initia ut saepissime capit e vulgatis hominum indiciis (cf. ad *A* 2. 982*a* 4 sqq.), ita hoc loco investigaturus, quae sit substantiae vis ac natura, a vulgatis tum inter philosophos

opinionibus orditur, ut inde cognoscatur, ubi potissimum substantiae natura invenienda esse videatur. Et, nisi forte plura, quatuor certe potissimum esse dicit, quae pro diversis philosophorum sententiis substantiae vim sibi vindicent, *τὸ τί ἦν εἶναι, τὸ καθόλου, τὸ γένος, τὸ ὑποκείμενον*. Quorum primum quidem et extremum proxima statim disputatione excutit; quae autem duo medio loco posuit, *τὸ γένος* et *τὸ καθόλου*, ea et suapte natura adeo sunt confinia, ut quaerendum sit, quid discriminis inter ea statuat Aristoteles. Sunt enim loci haud pauci apud Aristotelem, quibus facile adducaris ut eum credas omnino non distinxisse *τὸ γένος* et *τὸ καθόλου*. Veluti hoc loco in principio disputationis de substantia instituendae quatuor se significationes substantiae perquisiturum dicit; sub finem autem disputationis cap. 13 init. transiturus ad *τὸ καθόλου*, dicit, quoniam duo sint pertractata, *τὸ ὑποκείμενον* et *τὸ τί ἦν εἶναι*, reliquum esse *τὸ καθόλου*, ut ipse testari videatur non esse ex suo iudicio distincta *τὸ γένος* et *τὸ καθόλου*. Aliis locis a voc. *γένος* ad *καθόλου* et vicissim a *καθόλου* ad *γένος* ita transit, ut nihil inter utrumque discriminis intercedere videatur, cf. *B* 3. 998b 14: *πρὸς δὲ τούτοις εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἀρχαὶ τὰ γένη εἰσί, πότερον δεῖ νομίζειν τὰ πρῶτα τῶν γενῶν ἀρχὰς ἢ τὰ ἔσχατα κατηγορούμενα ἐπὶ τῶν ἀτόμων; καὶ γὰρ τοῦτο ἔχει ἀμφισβήτησιν. εἰ μὲν γὰρ ἀεὶ τὰ καθόλου μᾶλλον ἀρχαί, φανερὸν ὅτι τὰ ἀνωτάτω τῶν γενῶν· ταῦτα γὰρ λέγεται κατὰ πάντων κτλ.* Sed licet his aliisque similibus locis ad aliquam veritatis speciem adduci possit, non distingui ab Aristotele *τὸ καθόλου* et *τὸ γένος*, nec usquam, quantum memini, ipse Aristoteles diserte harum notionum fines describat, potest tamen, si acrius attenderimus ad sententiam philosophi, quid statuat discriminis cognosci. Nimirum *καθόλου* est, quod ipsa docet vocabuli origo, *τὸ κατὰ τοῦ ὅλου κατηγορούμενον*, cf. An. post. I 4. 73b 26: *καθόλου δὲ λέγω ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ καὶ καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτό*, cf. quae collegit Waitz Org. I. 17a 39. Quidquid igitur de aliqua notione ita praedicatur, ut non uni vel quibusdam rebus, quas illa complectitur notio, sed omnibus pariter tribuendum esse censeatur, id est *καθόλου*. Inde fit ut, quidquid est *γένος*, idem necessario sit *καθόλου*, cf.

Λ 1. 1069a 27: τὰ γένη καθόλου εἰσί. Δ 3. 1014b 9. 6. 1015b 28. H 1. 1042a 15. At non solum genus de aliqua re universe praedicatur, sed etiam differentiae et τὰ καθ' αὑτὸ συμβεβηκότα. Quare latius patet notio τοῦ καθόλου quam notio generis, cf. A 9. 992b 12: εἰ μὴ δώσει γένος τὸ καθόλου εἶναι. Et genus quidem id demum est, ut ipsis utamur Aristotelis verbis, quod primum ponendum est tamquam reliquarum determinationum fundamentum, si definire volueris quid sit aliqua res, cf. Top. I 5. 102a 31: γένος δ' ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. Z 7. 1033a 4: καὶ τοῦτό ἐστι τὸ γένος εἰς ὃ πρῶτον τίθεται. I 3. 1054b 30: λέγεται δὲ γένος ὃ ἄμφω ταὐτὸ λέγονται κατὰ τὴν οὐσίαν τὰ διαφέροντα. 8. 1057b 38 et ad Δ 28. 1024b 4. — Ex hac notionum ratione facile explicabitur qui fiat, ut videatur interdum Ar. commiscere inter se τὸ γένος et τὸ καθόλου, veluti B 3 l. l., nec tamen re vera commisceat. Quem autem locum attuli ex capite 13 huius libri, ibi τὸ γένος propterea videtur omisisse, quoniam in investiganda notione τοῦ τί ἦν εἶναι non potuit non generis adhibere notionem.

1028b 36 τὸ δ' ὑποκείμενον — 1029a 34 πρῶτον. Primum notionem τοῦ ὑποκειμένου persequitur. Substantiae enim quum haec communi omnium consensu tribuatur natura, ut nec aliorsum spectet nec aliunde suspensa sit, τὸ ὑποκείμενον, h. e. id quod non alieno essentiae fundamento eget, sed ipsum aliis praebet fundamentum in quo consistant, naturam substantiae optime videtur exprimere, cf. ad Δ 8. 1017b 10 sqq. Iam vero ὑποκείμενον, ait a 2, τρόπον μέν τινα ἡ ὕλη λέγεται, ἄλλον δὲ τρόπον ἡ μορφή, τρίτον δὲ τὸ ἐκ τούτων. In Categoriis cap. 5 ubi substantiae naturam exponere orditur eamque esse dicit, quae μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται (cf. ad A 9. 990b 31) μήτ' ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστι, ideoque ipsa est ὑποκείμενον, primo ac potissimo sensu substantias esse contendit res singulas et concretas, qualis est ὁ τὶς ἄνθρωπος, ὁ τὶς ἵππος. Quod quum dicit et vulgaris opinionis auctoritatem sequitur et notionis τοῦ ὑποκειμένου vim diligenter observat. Iam quum in rebus singulis et concretis distinguatur materia, quae definitur, et forma, qua illa definitur, hoc loco cum re con-

creta (*τὸ ἐκ τούτων, τὸ σύνολον* *a*5) simul et formam nominat et materiam. Et illam quidem qui possit huc referre, infra explicat *a*23: *τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῆς οὐσίας κατηγορεῖται, αὕτη δὲ τῆς ὕλης*, formam autem qua ratione possit ad *ὑποκείμενον* referre, equidem non assequor, sed non possum quin negligentiam quandam disserendi in eo cerni putem, quod cum materia et re concreta simul tertium illud attulit, quod plerumque cum iis coniungitur, oblitus, ut videtur, se agere de *ὑποκειμένῳ*. Et ipse quidem Aristoteles et in hoc libro formam, *τὸ εἶδος*, perquirit non ubi de *ὑποκειμένῳ* sed ubi de *τῷ τί ἦν εἶναι* disputat, et alibi, *Δ* 8, ipsas has duas significationes substantiae inter se opponit, ut vel sit *ὑποκείμενον ἔσχατον* vel *τόδε τι καὶ χωριστόν*.

Iam de materia ita disputat, ut ea et videatur primum ac potissimum substantiae nomen sibi vindicare et eadem hoc nomine indigna esse (cf. Phys. I 7. 191*a* 19: *πότερον δὲ οὐσία τὸ εἶδος ἢ τὸ ὑποκείμενον, οὔπω δῆλον*), usus nimirum duabus illis, quas modo commemoravi, notis, ex quibus substantia cognoscatur. Primum enim eam sumit esse substantiae naturam, ut non de alio quopiam praedicetur; ex ea conficit, ut materiae quum maxime tribuenda videatur substantiae dignitas. Etenim reliqua omnia, qualitates quantitates affectiones alia id genus, subiectum quidpiam requirunt, quod definiant et cui inhaereant; materia ipsa illud est subiectum, cuilibet formae recipiendae pariter apta. Itaque quoniam est *τὸ ὑποκείμενον ἔσχατον*, necessario videtur pro substantia habenda esse. *Ἀδύνατον δέ*, *a*27. Iam alteram adsciscit substantiae notam; oportet enim substantiam esse separabilem ac definitam (*τὸ τόδε τι* *a*28, cf. ad *Δ* 8. 1017*b* 25); materia vero neque separatur unquam vel per se potest cogitari, nec definita est, sed p o t e s t qualibet forma definiri. Materia igitur non est substantia, sed eo potius inclinabimus ut formam, cui illae insunt, quas requisivimus, virtutes, substantiam esse statuamus. Inde transitus paratur ad investigandum *εἶδος* et *τὸ τί ἦν εἶναι*, quod proximo capite excutere suscipit.

1029*a* 5 *ὥστε εἰ τὸ εἶδος τῆς ὕλης πρότερον καὶ μᾶλλον ὄν*. Quod formam priorem dicit esse materia, iam alteram substantiae notam, ut sit *τόδε τι καὶ χωριστόν* *a*28,

praecipit. Proximis autem in verbis utrum vulgata scriptura *καὶ τοῦ ἐξ ἀμφοῖν πρότερον ἔσται διὰ τὸν αὐτὸν λόγον* an lectio Alexandri p. 431, 24 et cod. *A*b et Bessarionis: *καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν κτλ.* praeferenda sit, satis dubium videtur. Quum enim res concreta medium quendam locum obtineat inter formam definientem et indefinitam materiam, utrumque ita potest explicari ut recte se habere videatur; utrum scripserit Aristoteles tum demum certo posset indicari, si satis constaret quo spectet universa haec enunciatio. At sequente quidem disputationis parte utraque videtur lectio commendari posse; etenim modo a29 *τὸ εἶδος καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν* prius materia ideoque substantiae propius dicit, modo a31 *τὸ ἐξ ἀμφοῖν* posterius dicit mera ac simplice forma *ὑστέρα γὰρ* (int. *ἡ ἐξ ἀμφοῖν οὐσία τοῦ εἴδους*) *καὶ δήλη* nimirum sensui et experientiae manifesta.

1029a 22 *ᾧ τὸ εἶναι ἕτερον καὶ τῶν κατηγοριῶν ἑκάστῃ.* Quae tribuuntur materiae qualitates affectiones cet., eae re quidem et exsistentia cum materia in unitatem coalescunt; notione tamen materia ab iis differt, *τὸ εἶναι ἕτερον.* Cf. Trend. Kat. p. 39.

1029a 25 *οὐδὲ δὴ αἱ ἀποφάσεις.* Materiae, quum quaelibet categoria possit praedicando coniungi, nulla ex omnibus categoriis potest inesse. Nihilo vero magis negationes categoriarum, veluti *τὸ μὴ ὄν, τὸ ἄποιον, τὸ ἄποσον,* ei possunt per se inesse, sed per accidens, *ὑπάρξουσι κατὰ συμβεβηκός.* Etenim *ἄποιος* materia dici potest, quatenus definietur per qualitatem, *ἄποσος* quatenus definietur per quantitatem; quaelibet igitur negatio non per se, sed alius cuiusdam rei adhibita ratione tribuetur materiae. Cf. *Λ* 2. 1069b 18.

CAP. IV.

Quid sit τὸ τί ἦν εἶναι et quibus in rebus suum et principem habeat locum.

1029b 1 *ἐπεὶ δ' — 13 λογικῶς.* Opponi saepissime ab Aristotele ea quae nobis propiora ad cognoscendum et aptiora sunt, et ea quae suapte natura sunt magis ad cognoscendum idonea, *τὰ ἡμῖν* sive *πρὸς ἡμᾶς γνωριμώτερα* et *τὰ φύσει γνωριμώτερα,* et ad illud quidem genus referri res

singulas ac sensibiles, ad hoc genera et primas causas, satis et notum est et explicatum, cf. Trend. de an. p. 337 sqq. Waitz Org. 71 b 21 et 71 a 1, p. 299. Heyder krit. Darst. I 1. p. 164 sqq. Itaque quum rem absconditam et ex intima notionis natura repetendam investigare suscipit, quo magis via ac ratione procedat disputatio, ex iis quae nobis sunt propiora, ad ea, quae natura priora sunt, se progressurum promittit. — Hanc fere esse huius loci sententiam facile apparet; sed ipsa verba si quis diligentius excusserit, sententiarum ordinem bis male interruptum sentiet. Primum enim quod dicit: *πρὸ ἔργου γὰρ τὸ μεταβαίνειν εἰς τὸ γνωριμώτερον κτλ.* b 3, frustra in iis, quae antea dicta sunt, quaeras cuius tandem rei haec verba causam ac rationem afferant. Dixit enim proxime se disputaturum de *τῷ τί ἦν εἶναι*, quia id ad cognoscendam substantiam pertinere supra (cap. 3 init.) significasset; at num propterea ad contemplandum *τὸ τί ἦν εἶναι* accedit, quia discendi ea est via, ut ab iis, quae nobis sunt notiora, ad notiora suapte natura transeamus? Minime vero, sed *τὸ τί ἦν εἶναι*, sua quidem natura primum ac proximum, nobis remotissimum est et absconditum. Deinde b 12: *καὶ πρῶτον εἴπωμεν ἔνια περὶ αὐτοῦ λογικῶς*, quid significetur per pronomen *αὐτοῦ* re quidem ipsa manifestum est, nimirum *τὸ τί ἦν εἶναι*, sed grammatice qui potest fieri, etsi plurimum licentiae scriptori concesseris, ut pronomen *αὐτοῦ* referatur ad id, quod et longe ante commemoratum sit, et quum alia plura sint interposita, b 3—12, non possit non oblivioni datum esse? Utrique offensioni mederi mihi visus sum Obs. p. 129 transponendis verbis: *ἐπεὶ δ' ἐν ἀρχῇ — θεωρητέον περὶ αὐτοῦ* b 3 post b 12: *διὰ τούτων αὐτῶν.* Quae quidem coniectura, quum nec e libris manu scriptis nec ex Alexandro aliquam possit repetere veritatis speciem, tamen viri doctissimi, Leonardi Spengel, assensu (Münch. Gel. Anz. 1843. Nr. 243.) non mediocrem nacta est commendationem.

1029 b 12 *καὶ* — 22 *ἕν.* Primum *λογικῶς* se disputaturum dicit de *τῷ τί ἦν εἶναι*, quia orditur a definiendo *λόγῳ τοῦ τῆς* (cf. de voc. *λογικός* ad *Γ* 3. 1005 b 22), et ita demum distinguere parat, vel quarum rerum sit *τὸ τῆς* quarum non, vel quomodo ad illud cognoscendum perveniatur. Et significare quidem *τὸ τῆς* dicit non accidentia nec affe-

ctiones vel alia id genus, sed ipsam rem quae et qualis est, ὅτι ἔστι τὸ τί ἦν εἶναι ἕκαστον ὃ λέγεται καθ' αὑτό. Ita quidem in libris omnibus et scriptis quos Bekkerus contulit et editis exhibetur. Sed quum ἕκαστον nec nominativo nec accusativo casu coniungi possit cum τὸ τί ἦν εἶναι, quoniam haec formula ubique aut dativo, quod est frequentissimum (cf. Trend. Mus. Rhen. 1828, 4. p. 459 sqq.) aut, quod rarum est (cf. Z 7. 1032b 2), genitivo coniungitur, vel ponendum est ἕκαστον post λέγεται, quam lectionem Alexandrum in textu suo habuisse apparet p. 433, 11. 14. 19, vel pro ἕκαστον scribendum est ἑκάστῳ. Et hanc quidem coniecturam, propositam in Obs. p. 95, praeferendam censui propter ea quae deinde exposita legimus b 14 τὸ σοὶ εἶναι b 20. 26: τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ, cf. Δ 17. 1022a 9. — Iam quid significet illud καθ' αὑτό, exemplo illustrat: οὐ γάρ ἐστι τὸ σοὶ εἶναι (hoc enim idem significat ac τὸ τί ἦν εἶναι σοί, cf. An. post. II 4. 91b 4—9. de an. II 1. 412b 11—13. Trendel. l. l. p. 467) τὸ μουσικῷ εἶναι. Nimirum tu es quidem, ut hoc ponamus, musicus, sed in eo quod es musicus non cernitur ipsa tua essentia, verum potius hoc tibi accidit. — Sed etiam semotis accidentibus nondum satis definitum potest videri, quid dicatur τὸ τῃδε, quia ipsum illud καθ' αὑτό non eadem ubique vi usurpatur, cf. ad Δ 18. Alia enim ratione Callias dicitur καθ' αὑτό esse vel Callias vel homo vel animal, alia ratione dicitur ἡ ἐπιφάνεια καθ' αὑτὸ κεχρῶσθαι. Corpus enim inficitur albo colore, quatenus extrema eius pars, superficies, eo colore inficitur: superficies vero ipsa per se inficitur. Ubi autem ad definiendum τὸ τῃδε adhibemus τὸ καθ' αὑτό, illam cogitamus notionem, qua καθ' αὑτό id significat, quod in ipsa natura alicuius rei vel generis inest. Propterea dicit: οὐ γὰρ τὸ οὕτως καθ' αὑτὸ (int. λέγεται τί ἦν εἶναι) ὡς ἐπιφανείᾳ λευκόν (i. e. ὡς ἡ ἐπιφάνεια λέγεται καθ' αὑτὴν λευκὴ εἶναι), ὅτι οὐκ ἔστι τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι τὸ λευκῷ εἶναι, h. e. quod natura superficiei non cernitur in eo, quod est infecta colore albo. Quodsi quis in definiendo τῷ τῃδε ἐπιφανείᾳ hoc, quod modo notavimus, vitium ita sibi videatur evitare, ut ἐπιφανείᾳ in ipsa definitione addat, veluti si dicat: τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναί ἐστι τὸ ἐπιφανείᾳ λευκῇ εἶναι, ne is qui-

dem videri potest *τὸ τηε* recte descripsisse. *διὰ τί; ὅτι πρόσεστιν αὐτό.* Neque enim licet, si quam rem definire velis, ipsam rem definiendam adhibere ad definitionem. Sed ea demum definitio *τὸ τί ἦν εἶναι* recte assequetur, quae ipsam rem denotet, nec tamen eam ad definitionem adsciscat [1]), quod quomodo fiat infra cap. 12 exponitur. Quare si quis dixerit: *τὸ ἐπιφανείᾳ λευκῇ εἶναί ἐστι τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι λείᾳ*, is non quid sit *τὸ τηε ἐπιφανείᾳ* definivit, quippe quod in ipsa definitione adsciverit, sed *τὸ λευκῷ εἶναι* idem esse dixit ac *τὸ λείῳ εἶναι*, horum enim alterum pro altero in definitione posuit.

1029b 22 *ἐπεὶ δ'* — 1030a 17 *εἶναι.* Per hanc disputationis partem quaeri, num compositarum etiam rerum, h. e. earum, in quibus substantia per quantitatem vel qualitatem vel quamlibet affectionem definita est (*ἐπεὶ ἔστι καὶ κατὰ τὰς ἄλλας κατηγορίας σύνθετα κτλ.*), esse aliquod *τὸ τί ἦν εἶναι* statuendum sit, eamque quaestionem ita agi, ut notione *τοῦ τηε* supra proposita dirimatur: id quidem apertum est; sed quae sit singulorum verborum sententia, qui sententiarum contextus, adeo mihi quidem et scriptoris negligentia et librariorum culpa obscuratum videtur, ut si modo probabiliter verba explicuisse videar satis me effecisse putem. — Quaerit igitur b25 num compositarum ex substantia et accidente rerum sit *τὸ τηε* necne, veluti *λευκῷ ἀνθρώπῳ* (int. num sit an non sit) *τί ἦν εἶναι λευκῷ ἀν-*

1) Haec Aristotelis verba: *ἐν ᾧ ἄρα μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτό, λέγοντι αὐτό, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ* Trendelenburgius l. l. p. 469 ita vertit: *In demjenigen Begriffe wird für ein jedes das* *τὸ τί ἦν εἶναι* *seyn, in welchem nicht das Individuelle* (*αὐτό*) *liegt, obgleich er das Individuelle begreift* (*aussagt*) (*λέγοντι αὐτό*). Sed licet ne respexerimus quidem sententiarum nexum, cui parum apte notio illa *das Individuelle* obtruditur, id profecto ex constanti Aristotelis usu dicendum erat *τὸ τὶ* (cf. ad *Γ* 2. 1003b 33), non *αὐτό*, i. e. *αὐτὸ τὸ ὁριζόμενον*. Itaque vernacule hunc potius in modum illa verba videntur interpretanda esse: *Derjenige Begriff also ist für ein jedes Ding Begriff des* *τὸ τί ἦν εἶναι*, *in welchem es selbst nicht enthalten ist, während er es doch bezeichnet.* Confirmatur haec interpretatio coll. Top. V 3. 130b 38: *ἔπειτ' ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ αὐτῷ προσκέχρηται οὗ τὸ ἴδιον ἀποδίδωσιν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινί· οὐ γὰρ ἔσται καλῶς κείμενον τὸ ἴδιον. τοῦ γὰρ μαθεῖν χάριν ἀποδίδοται τὸ ἴδιον· αὐτὸ μὲν οὖν αὐτῷ ὁμοίως ἄγνωστόν ἐστι κτλ.* VI 4. 142a 34: *ἄλλος δ' εἰ αὐτῷ κέχρηται τῷ ὁριζομένῳ.*

θρώπῳ. (Voc. *εἶναι* ante *λευκῷ ἀνθρώπῳ* omnes quidem libri et scripti et editi omittunt, sed adeo constans haec formula est apud Aristotelem, et ipsum verbum *εἶναι* ad conficiendam eius formulae vim tam necessario requiritur, ut additum fuisse a scriptore persuasum habeam.) Qua quidem in quaestione ne quis obiiciat in unam notionem et in unum vocabulum coaluisse oportere id, cuius esse omnino velimus *τί ἦν εἶναι*, ponit *λευκὸν ἄνθρωπον* uno vocabulo, commentitio eo quidem, denotari, *ἔστω δὴ ὄνομα αὐτῷ ἱμάτιον*, quemadmodum vulgari usu nasus obtusus, igitur substantia cum accidente, uno vocabulo *τοῦ σιμοῦ* appellatur. Itaque iam quaeritur: *τί ἐστι τὸ ἱματίῳ εἶναι;* Sed quoniam antea esse dixit *τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ ὃ λέγεται καθ' αὑτό*, ipse sibi hoc obiicit: at non esse hominem album inter ea, quae per se dicantur, *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν καθ' αὑτὸ λεγομένων οὐδὲ τοῦτο*, ideoque ne quaeri quidem licere, num sit eius aliquod *τί ἦν εἶναι*. Ad hanc dubitationem respondet (usurpatur enim part. *ἢ* ad afferendam obiectionem, quam scriptor ipse sibi facit, cf. Top. IV 4. 125ᵃ 23. VI 3. 140ᵇ 4, 12, 31. 6. 144ᵃ 11, ᵇ 20, 34. al.) distinctis duobus modis, quibus aliquid non per se possit dici, *ἢ τὸ οὐ καθ' αὑτὸ λέγεται διχῶς*, quorum nimirum ad neutrum id videatur pertinere, de quo nunc agitur. Significat autem duos istos modos his verbis: *τὸ μὲν γὰρ τῷ αὐτὸ ἄλλῳ προσκεῖσθαι λέγεται ὃ ὁρίζεται*, h. e. *τὸ μὲν γὰρ λέγεται* (int. *οὐ καθ' αὑτό*) *τῷ αὐτὸ ὃ ὁρίζεται ἄλλῳ προσκεῖσθαι. οἷον κτλ.* Si id, quod est definiendum, ipsum alteri rei tamquam accidens inhaeret, quemadmodum albus color inhaeret homini, is autem, qui definire accidentis naturam, *τὸ λευκῷ εἶναι*, susceperit, non accidens sed rem compositam et concretam, *τὸν λευκὸν ἄνθρωπον*, definierit, hic unus est modus, quo quid non per se dicatur. *τὸ δὲ* (int. *λέγεται οὐ καθ' αὑτό*) *τῷ ἄλλο αὐτῷ* (int. *προσκεῖσθαι* [1])), *οἷον εἰ*

1) Alexander, quem Schw. in interpr. vernacula secutus est, supplendum putat *προσκεῖσθαι δεῖν*, cf. p. 436, 23: *δεῖ προσθεῖναι τὸ δεῖν προσκεῖσθαι, ὃ οὐ πρόσκειται, ἵνα ᾖ τὸ πᾶν τοιοῦτον· τὸ δὲ λέγεται οὐ καθ' αὑτὸ ἐν τῷ δεῖν ἄλλο προσκεῖσθαι αὐτῷ, ὃ οὐ πρόσκειται· οἷον εἰ τὸ ἱμάτιον σημαίνει τὸν λευκὸν ἄνθρωπον, ὁ δὲ ὁριζόμενος τὸ ἱμάτιον λέγει ὅτι ἱμάτιόν ἐστι χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως· δέον γὰρ προσκεῖσθαι τῷ ὁρισμῷ τοῦ ἱματίου καὶ ἄλλο τι, οἷον τὸ ζῷον πεζὸν δίπουν, οὐ πρόσκειται, ὥστε οὐ καθ' αὑτὸ ὡρίσατο τὸ ἱμάτιον.* At tale additamentum, *δεῖν*

σημαίνοι κτλ. Alterum igitur *τοῦ μὴ καθ' αὑτὸ λέγεσθαι* genus hoc est, si id quod est definiendum aliud quidpiam habet sibi inhaerens (*τῷ ἄλλο αὐτῷ προσκεῖσθαι*), quemadmodum homo albus inhaerentem sibi habet album colorem, atque is qui album hominem definire susceperit, non rem concretam, sed accidens modo, album colorem definierit; at homo albus est ille quidem album quidpiam, sed non in eo cernitur ipsa natura albi coloris, *οὐ μέντοι τί ἦν λευκῷ εἶναι*. Haec duo genera *τοῦ μὴ καθ' αὑτὸ λέγεσθαι* antequam et describit accuratius et exemplis illustrat, his verbis distinguit *b* 30: *καὶ τούτου ἐστὶ τὸ μὲν ἐκ προσθέσεως, τὸ δὲ οὔ.* Nimirum *ἐκ προσθέσεως* illud appellat, quum definiendum est accidens, at in definitione adiungitur, *προστίθεται*, illud accidens substantiae; *οὐκ ἐκ προσθέσεως* alterum dicit genus, quum id quod definitur est quidem *ἐκ προσθέσεως*, i. e. res concreta, sed definitur tamquam *οὐκ ἐκ προσθέσεως*, h. e. tamquam solum accidens. Iam facile apparet, neutri horum generum necessario esse subiiciendum, si quis *τὸ τῇδε* rei per accidens quoddam determinatae susceperit definire; manet igitur etiam nunc eadem, quam et ante posuit et nunc ad eam revertitur, quaestio *a* 23: *ἀλλὰ τῷ ἱματίῳ εἶναι ἆρ' ἔστι τί ἦν εἶναί τι ὅλως;*

Sed quid omnino distinctis his duobus generibus *τοῦ μὴ καθ' αὑτὸ λέγεσθαι* ad eam rem, de qua quummaxime agitur, profecit Aristoteles? Nisi fallor dicendi quadam ambiguitate deceptus abduxit potius a solvenda quaestione, quam ad eam quidquam attulit. Quaerit enim quarum rerum sit *τὸ τῇδε* quarum non, et ad solvendam eam quaestionem duo affert definiendi vitia, alterum quum in definiendo accidente substratum falso adhibetur ad definitionem, alterum quum in definienda re concreta subiectum falso omittitur. Quid hoc ad describendos eos fines, intra quos omnino contineatur *τὸ τί ἦν εἶναι?* Scilicet illa vitia definiendi, quoniam res definienda non definitur ipsa qualis est, significavit formula *τοῦ μὴ καθ' αὑτὸ λέγεσθαι*, atque ex definitione *τοῦ τί ἦν εἶναι* apparet, non esse *τὸ τῇδε* nisi *τῶν καθ' αὑτὸ*

προσκεῖσθαι, nec potest e superioribus verbis recte repeti, nec si posset aptam efficeret sententiam, siquidem ita diceretur substantia *προσκεῖσθαι* accidenti, quum potius accidens dicendum sit *προσκεῖσθαι* substantiae.

λεγομένων. Ita videntur sane haec artissime inter se cohaerere, re vera plane disiuncta sunt; etenim quum τὸ τηε esse dicit τῶν καθ' αὑτὸ λεγομένων, cogitare eum tamen τὸ τηε esse τῶν καθ' αὑτὸ ὄντων, id est autem τῶν οὐσιῶν, et ex universa notatione τοῦ τηε qualem ubique tradit et e proxima disputatione apparet.

Reversus enim ad eandem quam supra proposuerat 1029b
25 quaestionem: ἀλλὰ τῷ ἱματίῳ εἶναι ἆρα ἔστι τί ἦν εἶναί τι ὅλως; non esse respondet, ἢ οὔ. (Secutus sum eam textus emendandi rationem, quam proposui et comprobare studui in Obs. p. 118 sqq., non quod eam ab omni parte certam esse opiner, sed quia nec in vulgato textu acquiesci posse intelligo nec meliorem video ab aliis tentatam esse. Praeterea autem signum interrogationis post v. ὅλως videtur ponendum esse, ut a part. ἤ ordiatur responsio, ex ea Aristotelis consuetudine, de qua cf. Waitz Org. 66a 2. Trend. de an. p. 208.) Cuius enim rei esse velimus τί ἦν εἶναι, eam oportere esse τόδε τι a 3, 4 et πρῶτον a 10, h. e. oportere esse rem definitam, unam, et unam quidem primario sensu et suapte natura, nec vero propterea unam, quod vel affectio vel accidens ei inhaereat (κατὰ πάθος, ὡς συμβεβηκός a 14) vel aliud quid praedicati loco ei tribuatur (τῷ ἄλλο κατ' ἄλλου λέγεσθαι a 4, 10) vel cum aliquo coniuncta sit (κατὰ μετοχήν a 13). Haec vero omnia, quae vel excluduntur vel requiruntur, si cuius rei τὸ τί ἦν εἶναι velimus esse, unice simul cadunt in τὰ γένους εἴδη a 12, h. e. in eas res, quae a natura a genere ad species descendente sine ulla vel accidentis vel fortuiti admistione definitae sunt. Hae sunt re vera οὐσίαι, harum naturam (ὅπερ τόδε τι a 3, 5, cf. ad Γ 2. 1003b 33) τὸ τί ἦν εἶναι definit, et unice τοῦ τηε descriptio et explicatio, non cuiuslibet rei circumscriptio, sua ac propria vi ὁρισμός vocatur.

Ὁρισμός et τὸ τί ἦν εἶναι ita inter se cohaerent, ut saepissime alterum per alterum Aristoteles explicet. Sicuti enim hoc loco, ubi agitur de cognoscendo τῷ τηε, hoc definit adhibita τοῦ ὁρισμοῦ notione: τὸ τί ἦν εἶναί ἐστιν ὅσων ὁ λόγος ἐστὶν ὁρισμός, ita alibi ad describendum ὁρισμόν adsciscit τὸ τί ἦν εἶναι, cf. Top. I 5. 101b 39: ἔστι δ' ὅρος μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. 4. 101b 21.

8. 103*b* 10. VI 1. 139*a* 33. 4. 141*b* 23. VII 3. 153*a* 15. 5. 154*a* 31. An. post. II 3. 90*b* 16: *ὁ ὁρισμὸς οὐσίας τις γνωρισμός*. Latius patere *λόγον* quam *ὁρισμόν* et ex hoc, de quo agimus, Metaphysicorum loco et ex omnibus quos aliunde adhibuimus facile patet. Quam ob rem *πᾶς ὁρισμὸς λόγος ἐστί*, Top. I 5. 102*a* 5, at non *πᾶς λόγος ὁρισμός*. Opponuntur enim inter se *λόγος* et *ὄνομα*, ita quidem ut *ὄνομα* uno signo notionem aliquam vel notiones plures complectatur, *λόγος* autem id quod cogitatur per ambitum quendam verborum circumscribat et explicet, cf. ad *Γ* 4. 1006*b* 2. Itaque cuiusvis nominis, quo subiectum cum praedicato aliquo vel accidente coniunctum significatur, *ὅτι ὑπάρχει τόδε τῷδε* *a*15, reddi potest *λόγος* (*a*14 *λόγος ἔσται* — 16 *ὑπάρχει*, i. e. *ἑκάστου καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα μή ἐστι γένους εἴδη, ἐὰν ᾖ ὄνομα, λόγος ἔσται ὁ δηλῶν τί σημαίνει, οἷον λέγω ὅτι τόδε τῷδε ὑπάρχει*, cf. Alex. p. 439, 4), et vicissim si quis est *λόγος*, nomen potest poni sive usitatum sive novum et commentitium, quod ambitum circumscriptionis in unitatem comprehendat, *ἔσται γὰρ ὄνομα ὁτῳοῦν λόγῳ ταὐτόν* *a*9; sed *ὁρισμοῦ* vim ac dignitatem *λόγος* tum demum assequitur, quum substantiae naturam sive *τὸ τί ἦν εἶναι* explicat. cf. An. post. II 7. 92*b* 26: *εἰ ἄρα ὁ ὁριζόμενος δείκνυσιν ἢ τί ἐστιν ἢ τί σημαίνει τοὔνομα, εἰ μή ἐστι μηδαμῶς τοῦ τί ἐστιν, εἴη ἂν ὁ ὁρισμὸς λόγος ὀνόματι τὸ αὐτὸ σημαίνων. ἀλλ' ἄτοπον. πρῶτον μὲν γὰρ καὶ μὴ οὐσιῶν ἂν εἴη καὶ τῶν μὴ ὄντων· σημαίνειν γὰρ ἔστι καὶ τὰ μὴ ὄντα. ἔτι πάντες οἱ λόγοι ὁρισμοὶ ἂν εἶεν· εἴη γὰρ ἂν ὄνομα θέσθαι ὁποιῳοῦν λόγῳ, ὥστε ὅρους ἂν διαλεγοίμεθα πάντες καὶ ἡ Ἰλιὰς ὁρισμὸς ἂν εἴη*. 9. 93*b* 35. cf. Waitz Org. 94*a* 11 et quas ille adhibuit aliorum disputationes. — *a*9 *ἡ Ἰλιάς*, usitatum Aristoteli exemplum earum rerum, quae sunt *συνδέσμῳ ἕν*, cf. praeter An. II. II. 1030*b* 9. *H* 6. 1045*a* 13. Poet. 20. 1457*a* 29. — *a*16 *ἁπλοῦ ἀκριβέστερος*, cf. ad *E* 1. 1025*b* 7.

1030*a* 17 *ἢ καὶ* — *b*13 *οὐσίας*. Aristoteles quum in iis, quae modo disputata sunt, *τὸ τηε* non tribuendum diceret nisi substantiis, iam eius notionis ambitum ipse sibi videtur nimis angustis finibus circumscripsisse; quare addit primum quidem ac potissimum illud tribui substantiis, sed

quodammodo reliquis etiam categoriis. Haec laxior τοῦ τί ἐστι significatio coniuncta est artissime cum vario τοῦ εἶναι usu, qualem statuit philosophus. Esse enim licet primaria vi ac potestate substantia dicatur, tamen eius notionis vis ita attenuatur, ut reliquis etiam tribuatur categoriis. Quae omnes quum dicuntur esse, id ipsum ut sint nec eadem vi ac notione tribuitur omnibus (συνωνύμως, vel quod hoc loco dicit ὡσαύτως a 35, καθ' ἓν b 3), nec tamen per meram nominis identitatem diversa prorsus et disiuncta notione (ὁμωνύμως a 34, b 3), sed propterea quod ad unum ac potissimum genus τοῦ εἶναι, ad substantiam dico, reliqua referuntur omnia (πρὸς ἓν b 3), cf. ad Γ 2. 1003a 33. Quid quod etiam illud esse huc refert, quo non exsistentiam significamus, sed praedicati cum subiecto coniunctionem a 25: ὥσπερ ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος λογικῶς φασί τινες εἶναι τὸ μὴ ὄν, οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ μὴ ὄν, nimirum λογικῶς (cf. ad Γ 3. 1005b 22) non-enti tribuunt ut sit, quia esse illud dicunt in exponendo λόγῳ τοῦ μὴ ὄντος, neque vero ad significandam eius exsistentiam, cf. de interpr. 11. 21a 32: τὸ δὲ μὴ ὄν, ὅτι δοξαστόν, οὐκ ἀληθὲς εἰπεῖν ὄν τι· δόξα γὰρ αὐτοῦ ἐστὶν οὐχ ὅτι ἔστιν ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστιν. Γ 2. 1003b 10. Λ 1. 1069a 23. Phys. I 3. 187a 5. Esse igitur his similibusque rebus tribuunt non simpliciter, sed προστιθέντες a 33, nimirum τὸ κατηγορούμενον, vel idem per particulam negativam ἀφαιροῦντες. Quod si esse multifariam usurpatur, consequens inde est, ut etiam ea quaestio, qua quid sit aliqua res quaerimus, τὸ τί ἐστι, plures habeat significationes. Primum enim et quasi suum locum habet, ubi ipsum esse potissima vi pronunciatur, in significanda substantia, unde frequens est Aristoteli τὸ τί ἐστι usurpare ad denotandam primam entium categoriam, cf. ad E 2. 1026a 36. Sed quum etiam in reliquis praeter substantiam entibus quaeri possit, quid res sit et quae sit eius natura, τὸ τί ἐστι sensu minus proprio deinde ad haec etiam potest transferri, non simpliciter, sed adiecta in ipsa quaestione ea categoria, cuius quaerimus naturam, τί ἐστι ποιόν, τί ἐστι ποσόν a 23. cf. Top. I 9. 103b 27: δῆλον δ' ἐξ αὐτῶν ὅτι ὁ τὸ τί ἐστι σημαίνων ὁτὲ μὲν οὐσίαν σημαίνει ὁτὲ δὲ ποιόν, ὁτὲ δὲ τῶν ἄλλων τινὰ κατηγοριῶν. ὅταν μὲν γὰρ ἐκκειμένου ἀνθρώ-

που φῇ τὸ ἐκκείμενον ἄνθρωπον εἶναι ἢ ζῷον, τί ἐστι λέγει καὶ οὐσίαν σημαίνει· ὅταν δὲ χρώματος λευκοῦ ἐκκειμένου φῇ τὸ ἐκκείμενον λευκὸν εἶναι ἢ χρῶμα, τί ἐστι λέγει καὶ ποιὸν σημαίνει. — ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· ἕκαστον γὰρ τῶν τοιούτων, ἐάν τε αὐτὸ περὶ αὐτοῦ λέγηται ἐάν τε τὸ γένος περὶ τούτου, τί ἐστι σημαίνει. ὅταν δὲ περὶ ἑτέρου, οὐ τί ἐστι σημαίνει, ἀλλὰ ποσὸν ἢ ποιὸν ἤ τινα τῶν ἄλλων κατηγοριῶν. — Eadem distinctio primariae et secundariae significationis denique etiam ad τὸ τηε pertinebit, ut hoc quum proprie non tribuatur nisi substantiis, deinde quodammodo et addita quadam determinatione, τί ἦν εἶναι ποιῷ ἢ ποσῷ *a* 31, etiam ad reliquas categorias extendatur.

Formulae τὸ τί ἦν εἶναι et τὸ τί ἐστι quid significent et quid inter se differant, docte et ingeniose explicuit Trend. Mus. Rhen. 1828, 4. p. 457—483. de an. p. 192 sqq. Et de altera quidem formula, τῷ τηε, ita illic disputavit, ut rem prorsus absolvisse videatur; de altera autem, τῷ τί ἐστι, quum alii aliter iudicarent (cf. quae dixi Obs. p. 14. N. Jen. Litz. 1845. No. 216. Kühn, de notionis definitione p. 7), denuo accuratius exposuit Kat. p. 34—53, qua in disputatione quum tantum non omnia probanda putem, paucis rem significasse sufficiet. Per formulam τί ἐστι quoniam quaeritur quid res sit, quot sunt diversae significationes verbi esse, totidem et ipsam hanc formulam posse usurpari, et primaria quidem vi eam ad primam entium categoriam, ad substantiam, referri, antea est demonstratum. Iam vero responderi ad quaestionem τί ἐστι triplicem quidem in modum potest, ut vel materiam vel formam vel coniunctam cum materia formam indicemus, cf. *H* 2. 1043*a* 14—21, est enim οὐσία ἥ τε ὕλη καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ ἐκ τούτων *Z* 10. 1035*a* 2. Sed in definiendo quid sit res, quamquam vel potest vel debet adhiberi materia, cf. *E* 1. 1025*b* 30, quoniam principem tamen locum habet forma ac species, qua illa est definita, ad hanc potissimum significandam vergit formula τὸ τί ἐστιν ac propterea saepissime coniuncta legitur cum vocc. εἶδος, ὁρισμός, ὁρίζεσθαι, λόγος (cf. ad 1. 1028*a* 34), οὐσία (i. e. ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία, ad *A* 6. 987*b* 21), cf. *A* 5. 987*a* 20. 6. 988*a* 10. 8. 988*b* 29. *B* 2. 996*b* 17, 20. *Γ* 2. 1003*b* 34. *E* 1. 1025*b* 10, 14, 18, 30. *K* 7. 1064*a* 19—22. *M* 4. 1078*b*

23—29. An. post. II 3. 90b 30. 91a 1. 10. 93b 29, 39. Top. VI 1. 139a 30. 3. 140a 34. al. Hac vi ubi usurpatur formula *τί ἐστι* quum manifesto affinis sit alteri *τῷ τί ἦν εἶναι*, in qua explicanda prope totus liber Z versatur, quid ab ea differat quaeritur. Et primum quidem ut recte respondeamus ad quaestionem *τί ἐστι*, semotis omnibus illis, quaecunque sunt *συμβεβηκός* vel *πάθος* vel *τὶ κατά τινος*, id est indicandum, in quo potissima ac summa rei ducta sunt lineamenta, hoc est autem genus rei; cf. Top. VI 5. 142b 27: *τὸ δὲ γένος βούλεται τὸ τί ἐστι σημαίνειν καὶ πρῶτον ὑποτίθεται τῶν ἐν τῷ ὁρισμῷ λεγομένων*. I 9. 103b 36. al. Huc referri possunt frequentissimae illae formulae *κατηγορεῖσθαι* vel *ὑπάρχειν* vel *τιθέναι ἐν τῷ τί ἐστι*, quas contuli ad Δ 28. 1024b 5. Sed plenius ut definiatur quid sit aliqua res, ad genus addi oportet differentias, Top. VII 3. 153a 17: *κατηγορεῖται δ' ἐν τῷ τί ἐστι καὶ τὰ γένη καὶ αἱ διαφοραί*. An. post. II 5. 91b 29. 13. 97a 23, ita tamen ut potior locus generi quam differentiis debeatur (Top. IV 6. 128a 23: *κατὰ τὴν τοῦ τί ἐστιν ἀπόδοσιν μᾶλλον ἁρμόττει τὸ γένος ἢ τὴν διαφορὰν εἰπεῖν*) neque differentiae omisso genere recte possint ad definiendum *τὸ τί ἐστι* afferri, cf. Top. VI 5. 142b 22 sqq. Iam si omnia collegerimus, quaecunque ἐν τῷ *τί ἐστι κατηγοροῦνται*, eaque ex suo ordine disposuerimus, ipsam habemus *τοῦ τί ἦν εἶναι* definitionem, An. post. II 5. 91b 29. 13. 97a 23—b6. Top. VI 8. 146b 31, cf. Met. Z 12. Itaque *τὸ τί ἐστι* quoniam referri potest vel solum ad genus vel ad genus cum hac vel illa differentia coniunctum, potest latius patere quam *τὸ τῆδε*, hoc autem *τὸ τῆδε* necessario est *ἴδιον* (Top. I 4) sive *ἀντικατηγορούμενον*, cf. An. post. II 6. 92a 7: *τὸ τί ἦν εἶναι τὸ ἐκ τῶν ἐν τῷ τί ἐστιν ἴδιον*. Si autem plene responderimus ad quaestionem quid sit res, *τί ἐστι*, hac formula perinde ac formula *τὸ τί ἦν εἶναι* ipsa natura substantialis rei significatur. Ex hac ambiguitate formulae *τί ἐστι* utrumque pariter explicatur, et quod interdum opponitur *τῷ τῆδε* et diserte ab ea distinguitur, cf. An. post. I 22. 82b 37 sqq. II 6. 92a 7. Top. VII 3. 153a 18, 19 coll. 14, 15. de an. III 6. 430b 27. Met. h. l., et quod alibi vel ita coniungitur cum *τῷ τῆδε* vel iis usurpatur locis, ubi *τὸ τῆδε* poni solet, ut nullum videatur dis-

crimen intercedere, v. An. post. II 3. 91*a* 1. 10. 93*b* 29 coll. Top. I 4. 101*b* 21. 8. 103*b* 10. — An. post. II 4. 91*a* 25 (ubi distinctas esse has formulas Trendelenburgio Kat. p. 52 non possum assentire), *a* 15 coll. 6. 92*a* 6, 7. — 4. 91*a* 35, coll. *b* 2. al. — In enumerandis summis causarum generibus, materiali formali movente finali, quum formalis saepe per *τὸ τηε* significetur, Trendelenburgius quidem nusquam eius loco *τὸ τί ἐστι* inveniri contendit Kat. p. 37, sed, nisi fallor, in ipsis his Metaphysicis, quum de inventis a superioribus philosophis causarum generibus disputat, *τὸ τί ἐστι* usurpat ad significandam causam formalem *A* 5. 987*a* 20. 8. 988*b* 29.

CAP. V.

Earum rerum, quae non simpliciter per se sunt, sed necessario substratum aliquod requirunt, num sit omnino ὁρισμός necne.

1030*b* 14 *ἔχει* — **27** *εἰρήκαμεν*. Non esse *ὁρισμὸν τῶν ἐκ προσθέσεως λεγομένων* supra Ar. monuit 4. 1029*b* 30, cf. ad h. l. Iam si quis hoc statuit, quaeritur *τίνος ἔσται ὁρισμὸς τῶν μὴ ἁπλῶν ἀλλὰ συνδεδυασμένων* *b* 15, h. e. cuius omnino sit definitio rei ex iis rebus, quae non simpliciter ac per se sunt cogitarive possunt, sed ubique cum altera, quae ei subiiciatur (*τόδε ἐν τῷδε* *b* 18, i. e. forma in materia, cf. 11. 1036*b* 23. de an. III 4. 429*b* 14) coniunctae sunt. Quae quidem res quales sint, exemplo *τοῦ σιμοῦ*, solenni in hac re (cf. ad *E* 1. 1025*b* 31) illustratur. Etenim *τὸ σιμόν* obtusam significat formam, non rei cuiuslibet, sed unice nasi; itaque accidens est nasi, nec tamen eundem in modum atque albus color hominis est accidens, verum ita potius, ut aequum quanti alicuius, masculinum genus animalis est accidens. Haec accidentia, quae non possunt esse nisi in certo quodam subiecto, cuius notio in ipsa accidentis notione tecte continetur, quum dicit *καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν* *b* 22, alia vi hanc formulam usurpat atque alibi plerumque. Alibi enim *καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν* ea dicit praedicata, quae ut referantur ad aliquod subiectum, in natura et notione s u b i e c t i positum est, cf. ad *Δ* 30. 1025*a* 30; hic vero ea dicit *καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν*, in quibus ex p r a e d i c a t i natura efficitur, ut cer-

tum aliquod subiectum requirant, cf. An. post. I 4. 73*a* 37: (*καθ' αὑτὰ λέγεται — καὶ*) *ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι τῷ τί ἐστι δηλοῦντι, οἷον τῷ εὐθὺ ὑπάρχει γραμμῇ καὶ τὸ περιφερές, καὶ τὸ περιττὸν καὶ ἄρτιον ἀριθμῷ, καὶ τὸ πρῶτον καὶ σύνθετον καὶ ἰσόπλευρον καὶ ἑτερόμηκες· καὶ πᾶσι τούτοις ἐνυπάρχουσιν ἐν τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι ἔνθα μὲν γραμμὴ ἔνθα δ' ἀριθμός*; Waitz ad h. l. et nos ad *Δ* 18. 1022*a* 27. — Eiusmodi igitur accidentia vult esse illa *μὴ ἁπλᾶ ἀλλὰ συνδεδυασμένα*. Ea si quis definire susceperit, *ἀνάγκη ἐκ προσθέσεως δηλοῦν* *b* 16, i. e. praedicatum cum subiecto coniungi oportet. Unde num iusta exsistat definitio, ex iis quae antea sunt posita facile est decernere, nimirum *ἢ οὐκ ἔστιν οὐθενός* *b* 27, quoniam *ὁ πρώτως καὶ ἁπλῶς ὁρισμὸς τῶν οὐσιῶν ἐστιν* 4. 1030*b* 5, *ἢ ἔστιν ἄλλως* (i. e. *οὐ πρώτως*), *καθάπερ εἰρήκαμεν* 4. 1030*b* 6.

1030*b* 28 *ἔστι δ'* — 1031*a* 11 *ἔσται*. Aliam addit difficultatem, in quam incidere videatur qui talia definire susceperit. Si idem, ait, significat *σιμὴ ῥίς* et *κοίλη ῥίς*, consequens est, ut idem sit *σιμόν* et *κοῖλον*, quod manifesto falsum est. Sin minus, aut non licet omnino dicere *σιμὴ ῥίς*, aut bis idem dicitur; etenim quoniam *τὸ σιμόν* iam continet notionem nasi, si quis dicit *ῥὶς σιμή*, idem dicit ac *ῥὶς ῥὶς κοίλη*. Unde apparet non posse talia definiri, nam si quis vellet definire, *εἰς ἄπειρον εἶσιν· ῥινὶ γὰρ ῥινὶ σιμῇ ἔτι ἄλλο ἐνέσται* *b* 35. In errorem, nisi fallor, Ar. incidit, quum in infinitum hoc modo subiectum *ῥίς* cumulatum iri dicit; etenim ubi pro *ῥὶς σιμή* substitueris *ῥὶς ῥὶς κοίλη* *b* 33, ad finem iam perventum est, quoniam adi. *κοῖλος* non perinde ac *σιμός* in se ipso continet nasi notationem. At nimirum pro *ῥὶς ῥὶς κοίλη* *b* 33 Ar. deinde posuit *ῥὶς ῥὶς σιμή* *b* 35, et ita quidem in infinitum augeri subiecti eiusdem numerum facile apparet. Deceptus fortasse Aristoteles est notionum relativarum, quae quandam cum his habent similitudinem, ratione, cf. Soph. el. 13. 173*a* 33: *πάντες δὲ οἱ τοιοίδε λόγοι τοῦτο* (int. *τὸ ἀδολεσχεῖν* i. e. *τὸ πλεονάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν*) *βούλονται ποιεῖν· εἰ μηδὲν διαφέρει τὸ ὄνομα ἢ τὸν λόγον εἰπεῖν, διπλάσιον δὲ καὶ διπλάσιον ἡμίσεος ταὐτό, εἰ ἄρα ἐστὶν ἡμίσεος διπλάσιον, ἔσται*

ἡμίσεος ἡμίσεος διπλάσιον. καὶ πάλιν ἂν ἀντὶ τοῦ διπλάσιον διπλάσιον ἡμίσεος τεθῇ, τρὶς ἔσται εἰρημένον, ἡμίσεος ἡμίσεος ἡμίσεος διπλάσιον. κτλ. — Itaque quoniam definiendo in infinitum ferimur, *τὰ δ' ἄπειρα οὐκ ἔστι — διεξελθεῖν* α 2. 994b 30, non est omnino *ὁρισμός* talium, *ἐν οἷς συμβαίνει δὶς τὸ αὐτὸ λέγειν* a 5, cf. 1030b 32. Quin etiam si eiusmodi praedicata cum iis coniunxeris, quae requirunt, subiectis, veluti *ἀριθμὸς περιττός*, ne tum quidem eorum *ὁρισμός* potest esse, *ἀλλὰ λανθάνει ὅτι οὐκ ἀκριβῶς λέγονται οἱ λόγοι* a 7, hoc est, si recte philosophi mentem perspicio, non satis accurate definimus, si *ἀριθμὸν περιττόν* definire suscipimus, quia in *περιττῷ* iam continetur notio numeri. — a 3 *τοῦ ποιοῦ καὶ περιττοῦ*. Pro v. *ποιοῦ* scribendum suspicor *ἀρτίου*, quia eiusmodi accidentis requiritur mentio, quod certi cuiusdam subiecti complectatur notionem; quod quidem subiectum quum dicat esse numerum, *οὐ γὰρ ἄνευ ἀριθμοῦ*, probabile est eum scripsisse *τοῦ ἀρτίου καὶ περιττοῦ*. — a 10 *ὡδὶ μέν*, i. e. *ἁπλῶς καὶ πρώτως*. a 11 *ὡδὶ δ'*, i. e. *οὐ πρώτως*, cf. 4. 1030b 5.

CAP. VI.

Quaeritur utrum idem an diversum sit res quaelibet et eius τί ἦν εἶναι, et in substantiis quidem utrumque idem esse statuitur.

1031a 15 *πότερον* — 18 *οὐσία*. Quae capite quarto de *τῷ τηε* disputavit, ea satis prope accedere videntur ad Platonicam de ideis doctrinam. Etenim et Plato substantiam rerum non in sensibili earum materia sed in notione formam rerum constituente inesse censuit, et Aristoteles in *τῷ τηε*, quae et ipsa est cogitabilis rei forma, naturam ac substantiam rei potissimum cerni vult. Sed quum in his consentiant, duo tamen intercedunt eaque haud exigua discrimina inter ideas Platonicas et *τὰ τηε* Aristotelis: alterum, quod ideae summa spectant rerum genera, *τὰ τηε* vero ipsarum rerum singularum formam constituunt, infra in quaestionem venit; alterum, quod ideae disiunctae sunt ab iis rebus quarum constituant naturam (cf. *A* 6. 987b 8), *τὰ τηε* vero in his ipsis insunt, nunc exponere suscipit.

1031*a* 19 ἐπὶ — 28 οὔ. Utrum idem sit res et eius τὸ τηε quaerere exorsus in rebus accidentalibus (qui fere mos est Aristotelis in hoc disputandi genere, cf. *E* 2. 1026*b* 3. *Δ* 6, 7, 9. al.), hanc ipsam quaestionem dividit; quaeritur enim primum num res cum accidente aliquo coniuncta idem sit atque τὸ τηε eiusdem, πότερον λευκὸς ἄνθρωπος ταὐτὸν καὶ λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι *a* 19—25, deinde num τὸ τηε unius accidentis idem sit ac τὸ τηε alterius, quod eidem rei inhaeret, accidentis, veluti τὸ λευκῷ εἶναι et τὸ μουσικῷ εἶναι *a* 25—28. Et illud quidem, non esse idem λευκὸν ἄνθρωπον et τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι, apagogice hunc in modum comprobat. Fac idem esse λευκὸν ἄνθρωπον et τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι, atqui idem esse vulgo (ὡς φασίν *a* 23) iudicatur ἄνθρωπος et ἄνθρωπος λευκός, et (quod cogitatione facile addas ad verba Aristotelis, quoniam de substantiis necessario asserendum est id quod ponitur in accidentibus) idem est ἄνθρωπος et τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι: ergo consequens erit (ὥστε *a* 23) ut idem sit τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι et τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι. Quod quum manifesto absurdum sit, eam etiam propositionem falsam esse apparet, ex qua hoc erat conclusum. Et syllogismum quidem, quem significavit magis quam explicuit Aristoteles, cave ex natura tertiae syllogismorum figurae diiudices, quod Alexander videtur voluisse p. 447, 10; quum enim in singulis propositionibus supra positis non subsumatur subiectum praedicato, sed idem utrumque esse ponatur, per conversionem simplicem redigi possunt ad primam figuram. Cur autem non liceat poni idem esse in hoc rerum genere rem et eius τὸ τηε, his significat verbis *a* 25: οὐ γὰρ ὡσαύτως τὰ ἄκρα γίγνεται ταὐτά, h. e. non eodem modo neque eadem vi ac potestate termini syllogismi alter cum altero idem esse ponuntur. Hoc enim videtur cogitare: si idem dicimus esse ἄνθρωπον λευκόν et ἀνθρώπῳ λευκῷ εἶναι, tali utimur syllogismo: ἄνθρωπος esto idem ac τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, atqui idem est ἄνθρωπος et λευκὸς ἄνθρωπος: ergo idem etiam erit λευκὸς ἄνθρωπος et λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι. At in hac ratiocinatione propositionis maioris termini idem sunt κατ' οὐσίαν, propositionis minoris κατὰ πάθος, cf. *b* 27, nihil ergo licet concludi, quoniam τὰ ἄκρα οὐχ ὡσαύτως γίγνεται ταὐτά.

Sed ab hoc quidem errore ratiocinandi liberi erimus, si in utraque propositione praedicatum subiecto tribuatur *κατὰ συμβεβηκός*, veluti *ἄνθρωπος ταὐτὸ καὶ λευκὸς ἄνθρωπος, ἄνθρωπος ταὐτὸ καὶ μουσικὸς ἄνθρωπος*, atque inde concludatur ut idem sit *τὸ λευκῷ εἶναι* et *τὸ μουσικῷ εἶναι*. Haec autem quum vel obiter spectanti appareat speciosius disputari quam verius (alia enim prorsus notio ac natura coloris albi, alia artis musicae), ne refutare quidem dignatur, sed in eo acquiescit ut haec nemini ita videri dicat, *δοκεῖ δ' οὔ* *a*28. — *a*24 *ἢ οὐκ ἀνάγκη κτλ*. De vi part. *ἤ* cf. ad 4. 1030*a* 3.

1031*a* 28 *ἐπὶ δὲ* — *b*22 *ἄμφω*. Ita persecutus accidentia transit ad ea quae per se esse dicuntur, et in iis quidem comprobat idem esse rem et rei *τηε*. Si enim diversa inter se et disiuncta (*ἀπολελύσθαι* *b*4, cf. Phys. I 1. 185*a* 28) esse statuimus, *τὰ τηε* substantiae erunt, iis rebus, quarum continent *τηε*, dignitate superiores, *εἰ τὸ τί ἦν εἶναι οὐσία ἐστίν* *b*2, cf. *b*31: *εἴπερ οὐσία τὸ τί ἦν εἶναι*. Ita vero simul et rerum scientia sublata erit et exsistentia *τῶν τί ἦν εἶναι*, *b*3, 4. Scire enim nobis videmur aliquid, si eius *τὸ τηε* cognoverimus; iam si *τὸ τηε* diversum esset a re ipsa, scire aliquid idem esset ac scire aliud ab illo diversum. Inde scientiam omnino tolli vere disputat; sed quod simul exsistentiam *τῶν τηε* tolli concludit, id nisi fallor per errorem ratiocinandi conficit, *b*8—10. Si volumus, ait, rem disiunctam esse a suo *τηε*, id pariter oportet de omnibus rebus statui; itaque sicuti *τὸ ἀγαθῷ εἶναι οὐκ ἔστιν ἀγαθόν*, ita etiam *τὸ ὄντι εἶναι οὐκ ἔσται ὄν*. Iam vero quod de *τῷ ὄντι εἶναι* dictum est, pariter ad reliqua pertinebit; si *τὸ ὄντι εἶναι* non est, ne ullum quidem e reliquis *τηε*, veluti *τὸ ἀγαθῷ εἶναι*, re vera esse censendum erit. Haec fere Aristoteles, sed vide num recte. Nimirum commune rebus omnibus earumque *τοῖς τηε* hoc est, quod alterum seiunctum ponitur ab altero, *τὸ ἀγαθῷ εἶναι οὐκ ἔστιν ἀγαθόν, τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος*, ac reliqua similiter; proprium vero ac singulare huic uni *τῷ ὄντι εἶναι* hoc est, quod *τὸ ὄν*, i. e. exsistentia ab eo disiungitur, *τὸ ὄντι εἶναι* non est. Iam vero hoc, quod proprium est uni ex omnibus *τί ἦν εἶναι*, id ad omnia trahit

et omnia seiuncta esse censet non modo ab iis rebus, quarum contineant notionem et naturam, sed etiam ab exsistentia.

Hanc ratiocinationem ita persequitur ut ab idearum hypothesi proficiscatur, hae enim profecto ponuntur tamquam naturae quaedam et substantiae quae per se sint neque aliunde pendeant a 29—31; confecta autem argumentatione monet, eius vim ac veritatem non esse inde suspensam, ut ideae ponantur, sed ut omnino ponatur quidpiam, quod per se esse dicatur neque tantummodo relatum ad aliud, *ὅσα μὴ κατ' ἄλλο λέγεται κτλ.* b 13. Sed quoniam, ut est ab idearum hypothesi profectus, errorem in doctrina Platonis demonstravit, seiungentis nimirum ideas a rebus, aliud vitium, in quod per eandem de ideis doctrinam Plato incurrat, adiungit b 15: *ἅμα δὲ δῆλον* — 18 *κατὰ μέθεξιν.* Ideae si sunt substantiae, substratum illud in quo cernuntur ideae — cernuntur autem in rebus sensibilibus — non potest esse substantia; nam quoniam id quod praedicatur de aliquo (ac praedicantur quidem ideae de rebus sensibilibus) *est* per participationem eius de quo praedicatur, inde consequens esset, ut ideae essent per participationem rerum sensibilium neque ipsae per se. At quum Plato rebus sensibilibus essentiam tribuere non induxerit animum, Aristoteles in hac demonstratione Platonicae doctrinae manifesto sua ipsius immiscuit placita, cf. ad Α 6. 987 b 14.

His igitur ex causis idem per se sunt substantiae singulae earumque *τὰ τῆε*, b 18—20; accedit quod singula quaeque tum videmur scire, quum quid sit eorum *τί ἦν εἶναι* cognovimus (cf. Β 3. 998 b 7: *εἰ ἔστι τὴν τῶν ὄντων λαβεῖν ἐπιστήμην τὸ τῶν εἰδῶν λαβεῖν καθ' ἃ λέγονται τὰ ὄντα*), *ὥστε*, ait b 21, *κατὰ τὴν ἔκθεσιν ἀνάγκη ἕν τι εἶναι ἄμφω.* Alexander p. 451, 12 *ἔκθεσιν* idem esse vult atque *ἐπαγωγήν*, sed neque alibi apud Aristotelem, quantum memini, hac notione *ἔκθεσις* legitur, neque vero inductione ad hanc rem demonstrandam Ar. usus est. Dubiam esse h. l. nominis *ἔκθεσις* vim et discrepare videri a vulgari Aristotelis usu (de quo cf. ad Α 9. 992 b 10), non infitior, tamen haud scio an cum eo possit conciliari. Etenim *ἐκθέσθαι* est aliquid ita exserere et ponere, ut seorsim vel esse

iudicetur vel consideretur, cf. *B* 6. 1003a 10: εἰ δ' ἔσται τόδε τι καὶ ἐκθέσθαι τὸ κοινῇ κατηγορούμενον. *M* 9. 1086b 9: ταύτας δὲ τὰς καθόλου λεγομένας (int. οὐσίας) ἐξέθεσαν. cf. Waitz Org. 179a 3. Quod istis locis de universalibus notionibus dicitur, id hoc loco transferri videtur ad rem aliquam et eius τηε: si quis seorsim ponere susceperit rem et eius τηε (κατὰ τὴν ἔκθεσιν), is intelliget, ut possit omnino esse scientia, utrumque potius idem debere esse.'

1031b 22 τὸ δὲ — 1032a 11 εἴρηται. Finita utraque argumentatione, et qua in accidentibus disiunctum a re eius τὸ τηε et qua in substantiis coniunctum utrumque esse comprobavit, quasi appendicis loco quaedam addit, primum de accidentibus, b 22—28, deinde de substantiis, b 28—1032a 6, tum de sophisticis hoc in genere captionibus, a 6—11.

b 22—28. In accidentibus diversum esse τὸ τηε et ipsum accidens, apparere ait ex ambigua accidentium significatione. Album enim qui dicit, is vel rem cogitat colore albo infectam (ᾧ συμβέβηκε λευκόν b 25) vel ipsum per se colorem album. Illam significationem si tenueris, idem est homo et homo albus, siquidem affectus est homo albo colore, τῷ πάθει ταὐτό b 27, sed minime eadem est notio hominis et notio hominis albi.

b 28—a 6. ἄτοπον δ' ἂν φανείη, int. μὴ ταὐτὸ εἶναι τὸ τί ἦν εἶναι καὶ αὐτό, ὅσα καθ' αὑτὰ καὶ πρῶτα, nam ad superioris argumentationis finem, b 18—22, non ad proxima verba haec referri, ex ipsa expositionis sententia apparet. Absurdum esse ait divellere substantiarum τί ἦν εἶναι ab ipsis substantiis, quia ita in infinitum progredi cogamur. Veluti equi τί ἦν εἶναι seiunctum esto ab ipso equo; hoc τηε quo certius distinguatur ab ipso equo, peculiari nomine fac significari; iam quoniam hoc τηε equi substantia est, et ipsum habebit τηε a se ipso, dico a τῷ τηε equi, diversum. Huius seriei infinitio quum absurdum esse ostendat id unde sumus profecti, quoniam alicubi finis est statuendus, quid impedit in ipso statim initio (εὐθύς b 31, i. e. continuo, cf. An. pr. I 16. 36a 6) finem facere, ita quidem ut statuamus, iis in rebus, quae per se sint, idem esse τὸ τηε et ipsam rem.

a 6—11. οἱ δὲ σοφιστικοὶ ἔλεγχοι πρὸς τὴν θέσιν ταύτην. θέσιν hoc loco Aristoteles non angusta illa et defi-

nita notione usurpavit, quam descripsit An. post. I 2. 72a 15: *ἀμέσου δ' ἀρχῆς συλλογιστικῆς θέσιν μὲν λέγω ἣν μὴ ἔστι δεῖξαι μηδ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν μαθησόμενόν τι* (cf. Waitz ad h. l.), sed aliquanto latiore significatione ad denotandam eam propositionem, quam et comprobavit per universum hoc caput et antea proximis verbis breviter est complexus a4: *ὅτι μὲν οὖν ἐπὶ — ἕν ἐστι, δῆλον*. Quibus captionibus sophistae hanc propositionem impugnaverint, licet non explicet Aristoteles, tamen non difficile est divinare; consentaneum enim spuriae eorum philosophiae, si eos ambiguam accidentium naturam, in quibus quummaxime versabantur, adhibuisse et commiscuisse cum substantiis putamus ad labefactandam illam propositionem. Quare iisdem rationibus eos refellendos dicit Aristoteles, quibus diiudicemus, num idem sit necne *Σωκράτης* et *Σωκράτει εἶναι*, nimirum distinctis diligenter substantiis et accidentibus.

CAP. VII.

Explicatis generationis generibus, et naturali — a26, et artificioso — b23, et spontaneo — b30, nihil omnino fieri comprobat, nisi antea aliquid exstiterit — 1033a 5. His adiungit quomodo ex materiae nomine quaedam appellentur — a23.

Alteram orditur quaestionem quae de *τῷ τί ἦν εἶναι* proponenda erat, investigans utrum *τὸ τηε*, sive forma rerum ab omni materia immunis, genita sit necne, eamque persequitur tribus his capitibus 7, 8, 9. Quod ut via ac ratione diiudicari possit, primum distinguit generationis modos et quae sit singulorum ratio explicat.

1032a 12 *τῶν δὲ* — 15 *ἢ ποῦ*. Eadem tria generationis genera distincta legimus Λ 3. 1070a 6. cf. Phys. II 6. 198a 1 — 13. In quovis autem generationis genere tria sunt quae quaeruntur, ex quo quid fiat, *τὸ ἐξ οὗ*, quae sit causa efficiens, *τὸ ὑφ' οὗ*, denique quid sit id quod efficitur, *τὸ τί*, quod quidem diversum esse potest pro categoriarum diversitate. Haec igitur communia omnibus generationis generibus, singulorum autem quae sit propria ac peculiaris ratio deinceps persequitur.

a) Generatio naturalis, *a* 15—26. Naturales eae dicuntur generationes *ὧν ἡ γένεσις ἐκ φύσεώς ἐστιν*, h. e. ut recte interpretatur Alexander p. 454, 16, non *ὧν γενέσεων γένεσις ἐκ φύσεώς ἐστιν*, sed *ὧν πραγμάτων, οἷον φυτοῦ ἀνθρώπου, γένεσις ἐκ φύσεώς ἐστιν*. Naturales autem nominandae sunt hae generationes qualibet ratione, sive quaesiveris ex quo fiat id quod fit, sive quae sit forma secundum quam fit et quam per generationem induit (nam per *καθ' ὅ* *a* 22 idem fere significatur, atque antea per *τί*, cf. *Δ* 18. 1022*a* 15), sive denique respexeris causam efficientem. Etenim haec tria pariter et universe naturae nomine appellanda sunt, *καθόλου δὲ καὶ ἐξ οὗ φύσις* (int. *ἐστί*) *καὶ καθ' ὃ φύσις* (int. *ἐστίν*), — *καὶ ὑφ' οὗ* (int. *φύσις ἐστίν*). De primis duobus, *ἐξ οὗ* et *καθ' ὅ* sive *τί* cf. *Δ* 4. 1015*a* 7—11. Phys. II 1. 193*a* 28: *ἕνα μὲν οὖν τρόπον οὕτως ἡ φύσις λέγεται, ἡ πρώτη ἑκάστῳ ὑποκειμένη ὕλη τῶν ἐχόντων ἐν αὑτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ μεταβολῆς, ἄλλον δὲ τρόπον ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον*. Id enim quod fit tum demum naturam suam habere dicitur, *ἔχειν φύσιν* *a* 23, quum per formam definitum est; Phys. l. l.: *οὔτε δὲ ἐκεῖ πω φαῖμεν ἂν ἔχειν κατὰ τὴν τέχνην οὐδέν, εἰ δυνάμει μόνον ἐστὶ κλίνη, μήπω δ' ἔχει τὸ εἶδος τῆς κλίνης, οὐδ' εἶναι τέχνην, οὔτ' ἐν τοῖς φύσει συνισταμένοις· τὸ γὰρ δυνάμει σὰρξ ἢ ὀστοῦν οὔτ' ἔχει πω τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, πρὶν ἂν λάβῃ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὁριζόμενοι λέγομεν τί ἐστι σὰρξ ἢ ὀστοῦν, οὔτε φύσει ἐστίν*. Denique etiam efficiens causa natura quaedam est, et ea quidem eiusdem generis ac speciei atque id quod generatur, cf. *Θ* 8. 1049*b* 27; gignit enim, quod sollenne est Aristoteli exemplum (cf. 8. 1033*b* 32. *Λ* 3. 1070*a* 8, 28. 4. 1070*b* 34. *N* 5. 1092*a* 16. Phys. II 7. 198*a* 26. de part. an. I 1. 640*a* 25. al.), homo hominem.

b) Generatio artificiosa, *a* 26—*b* 23. Artificiosum generationis genus apte significat nomine *ποίησις*, siquidem *ποιεῖν* operis faciendi habet notionem. *ἀπὸ τέχνης κτλ.* *a* 28, cf. ad *E* 1. 1025*b* 22. De spontaneo et fortuito generationis genere, quae quomodo distinguat Ar. cf. Phys. II 6, *ὕστερον ἐπισκεπτέον*, cf. *b* 23. — In omni generatione artificiosa principium est forma ac species rei sine ulla materiae admistione apud animum cogitata. *εἶδος δὲ λέγω τὸ τί ἦν εἶ-*

ναι καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν, h. e. ipsam naturam rei, qua quid sit ipsa res definitur, cf. 13. 1038b 10. Trendel. Kat. p. 40. (Haec verba εἶδος δὲ — οὐσίαν quasi in parenthesi posita sunt ad explicandam vim voc. εἶδος. Proxima autem enunciatione: καὶ γὰρ τῶν ἐναντίων κτλ. demonstrat omnem generationem artificiosam, etiam eam (καὶ γάρ) quae ad negativum genus pertineat, referendam esse ad τὸ εἶδος. Quomodo inter se cohaereant στέρησις et εἶδος cf. Θ 2. 1046b 8. Δ 2. 1013b 12. Trend. Kat. p. 108 not.) Veluti si quis aedificium exstruere, sanitatem restituere voluerit, principium repetendum est ex ipsa aedificii, sanitatis notione. Ab illa notione profectus animus ad ea progreditur, quae sumi oportet ut illa notio re ac veritate exsistere possit, donec pervenerit ad aliquid, cuius efficiendi facultatem ipse habeat: inde agendo et operando eandem viam repetit usque ad id, unde cogitando exorsus erat. Ille cogitandi regressus ad causas efficientes est νόησις, hic progressus a causis ad effectum ποίησις (cf. Eth. E. II 11. 1227b 32: τῆς μὲν οὖν νοήσεως ἀρχὴ τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως ἡ τῆς νοήσεως τελευτή.). Inde intelligitur, qui dicat sanitatem fieri ex sanitate, domum ex domo, materialem nimirum ex immateriali, mente tantummodo concepta, ὥστε συμβαίνει — ὕλην b 10, 11. Atque eandem dicit rationem esse earum rerum, quae inter primam causam efficientem et ultimum effectum mediae intercedunt, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων τῶν μεταξὺ ἕκαστον γίγνεται b 17. Veluti ad efficiendam sanitatem restituenda est aequalis corporis temperies vel reddendus corpori calor; haec etiam temperies, hic calor eadem ratione efficiatur, ut praecedat νόησις, sequatur ποίησις. Quaecumque igitur per artem fiunt, ea omnia principium habent in notione rei apud animum concepta.

c) Generatio spontanea, b 23—30. Si vero quid ex his rebus, quae possunt fieri per artem, fortuito ac sponte exstiterit, non illa notio, ex qua νόησις primum ac tum demum ποίησις ordiebatur, sed potius id est principium, quod primum erat et principium in faciendo: ἐὰν δ᾽ ἀπὸ ταὐτομάτου (int. γίγνηταί τι), ἀπὸ τούτου (int. γίγνεται), ὅ ποτε (vel potius ὅπερ, «ab eo ipso quod», quae Alexandri lectio videtur fuisse p. 459, 18) τοῦ ποιεῖν ἀρχὴ τῷ ποιοῦντι

ἀπὸ τέχνης, nec vero *τοῦ νοεῖσθαι*. Veluti ex concepta sanitatis notione regressus ad ea, quae ad hanc efficiendam requiruntur, medicus fricandum corpus intelligit; id ipsum, quod artifici principium est faciendi, si fortuito exstiterit, ipsa etiam sanitas fortuito eveniet. *a* 26: *ἡ θερμότης τοίνυν* — 28 *διὰ πλειόνων*. Particula *ἢ* ter posita facile lectorem in eum potest ducere errorem, ut tria eiusdem divisionis membra inter se disiuncta putet; videntur autem potius hunc in modum verba et supplenda esse et conformanda: *ἡ θερμότης τοίνυν ἡ ἐν τῷ σώματι ἢ αὐτή ἐστι μέρος τῆς ὑγιείας, ἢ ἕπεταί τι ἢ αὐτῇ* (h. e. *εὐθύς*, continuo, deinceps) *ἢ διὰ πλειόνων τοιοῦτον, ὅ ἐστι μέρος τῆς ὑγιείας*. Multo obscuriora proxima sunt verba: *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας κτλ.*, quae, ut vulgo exhibentur, nec construi grammatice nec intelligi possunt. Depravata quin sint librariorum culpa non dubito, sed quod Casaubonus in margine editionis ex Alexandri interpretatione colligere sibi visus est, pleniorem illum habuisse textum, vereor ut satis diligenter hunc interpretem adhibuerit, cf. p. 459, 26 sqq.; is enim eadem legisse verba, sed cum levitate quadam interpretis officio videtur defunctus esse. Non longe a vulgata lectione recedemus et, si non genuinam, aptam certe habebimus lectionem, si pro *καὶ τὸ οὕτως* scripserimus *καὶ αὐτό πως*, ut haec sit sententia: *τὸ ποιοῦν* (int. *ἡ τρῖψις*) *τοῦτο* (int. *τὴν θερμότητα*), *ἔσχατον ὄν, καὶ αὐτό πως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας, ὁμοίως ὥσπερ τῆς οἰκίας οἱ λίθοι εἰσὶ μέρος καὶ τῶν ἄλλων ἄλλα*. Haec et cum superioribus concinent, quum quidem calorem partem esse dixit sanitatis, et aptum ad proxima parabunt transitum, quibus docet nihil fieri nisi antea aliud quid exstiterit.

1032*b* 30 *ὥστε* — 1033*a* 5 *ὕλην*. Quod dicit *καθάπερ λέγεται*, *b* 30, potest ille quidem respicere ad superiora verba *a* 20 ubi omnia, quae vel per naturam vel per artem fiunt, materiam habere dixit; sed haud scio an illud tempus praesens *λέγεται* rectius referatur ad placitum illud saepe vel commemoratum vel comprobatum ab Aristotele: non esse infinitam progignendi alterum ex altero seriem, sed, ut omnino possit aliquid fieri, oportere aliud quid antea in re ac ve-

ritate exstiterit, cf. Λ 1. 1069b 2 sqq. Phys. I 6—10. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 417. Et materiam quidem exsistere ante generationem, antea est monitum, ἐνυπάρχει γὰρ καὶ γίγνεται αὕτη, h. e. αὕτη ἐστὶν ὑποκειμένη τῇ γενέσει. Sed etiam ea, quibus forma ac notio rei alicuius constituitur, habent quodammodo quae antea exstitisse oporteat, ἀλλ' ἄρα καὶ τῶν ἐν τῷ λόγῳ a 1, int. ἐστὶν ὕλη, vel ὑπάρξει τι μέρος. Genus enim rei, quod primo loco ponendum est, ubi rei alicuius notionem volumus definire (εἰς ὃ πρῶτον τίθεται a 4, cf. ad Δ 28. 1024b 4), quasi materia est notionis ac speciei definitae, cf. ibid. ad 1024b 3, 8. — Conferri potest cum hac disputatione quod distinctius postea cap. 8 exponit, ipsam rei formam non fieri.

1033a 5 ἐξ οὗ — 23 λέγεται. Facta semel materiae mentione simul ostendit, quomodo ex materia, ex qua res fiunt, nomen etiam accipiant et quae sit eius nuncupationis causa ac ratio.

Dupliciter alterum ex altero dicitur fieri, aut ex privatione aut ex materia (cf. Phys. I 7. 9. 192a 3, et de vario formulae ἔκ τινος usu ad Δ 24); etenim et aegrotans, quae est privatio, et homo, quae est materia, dicitur sanus fieri. Iam privatio, quoniam per ipsam formam, generatione adscitam, aboletur, non adhibetur ad nuncupandum eum statum, quem quid per generationem accepit; materia vero adhibetur ad eum nominandum, siquidem idem et sanus appellatur et homo sanus. Ubi autem privatio incerta est et indefinita, quemadmodum aes privationem continet et statuae et tripodis et aliorum plurimorum, ibi aliquid ex materia, veluti ex aere, ita videtur fieri [1]), sicuti alibi ex privatione. Iam quoniam privationis nomen non potest adhiberi ad nuncupandam formam vel rem concretam, ne in his quidem ipsum materiae nomen formae tribuitur, verum potius nuncupatio quaedam inde flexa et declinata (ἐκείνινον a 7,

1) δοκεῖ γίγνεσθαι a 15. Negatio, quam ante v. δοκεῖ habet Bessario « ex his non dicentur fieri » et fortasse Alexander p. 462, 2, non potest conciliari cum enunciato proxime sequenti: διὸ ὥσπερ κτλ., quum quidem ex hac comparatione colligit Ar., eam materiam, cuius est στέρησις ἄδηλος, non ipsam adhiberi ad nuncupandam formam, quemadmodum privatio, veluti ὁ κάμνων, non adhibetur.

παράγεται a 17, cf. Phys. VII 3. 245*b* 11: *παρωνυμιάζοντες*), statua non dicitur **aes**, sed **aenea**, domus non **lateres**, sed **lateritia**, cf. Phys. l. l.: *τὸ μὲν γὰρ σχηματιζόμενον — οὐ λέγομεν ἐκεῖνο ἐξ οὗ ἐστίν, οἷον τὸν ἀνδριάντα χαλκόν —, ἀλλὰ παρωνυμιάζοντες τὸ μὲν χαλκοῦν τὸ δὲ κήρινον τὸ δὲ ξύλινον κτλ.* I 7. 190*a* 25. Quod autem ex aere et lateribus tamquam ex materia statuam domumque fieri dixit, id ipsum ait in dubitationem vocari posse si acrius attenderis, *ἐπεὶ οὐδ' ὡς κτλ.* a 19; aes enim, quatenus est hoc ipsum aes, nullam subit mutationem ut inde statua fiat; materiae autem, quae proprie ac simpliciter (*ἁπλῶς* a 21) hoc nomine appelletur, hoc est peculiare, ut per mutationem quandam ipsa formam in se recipiat, *διὰ τὸ δεῖν μεταβάλλοντος γίγνεσθαι ἐξ οὗ* a 21. — Universa haec disputatio de nuncupandis ex materia rebus quomodo cum reliquis cohaereat, apte videtur Alexander significare p. 462, 7: *ἢ οὐδεμίαν ἄλλην (χρείαν παρέχεται), ἀλλ' ἐπειδὴ ἔδειξεν ὅτι πᾶν τὸ γινόμενον ἔκ τινος γίνεται, διαρθρῶσαι ἠθέλησε καὶ τὸ πῶς λέγονται τὰ γινόμενα.*

CAP. VIII.

Forma rei non fit sed est, generatur vero id quod e materia et forma compositum est, accedente ad materiam forma — *b* 19; ***sed propterea non est statuendum, formam ipsam per se tamquam rem separatam re vera esse, quae est Platonis sententia*** — *b* 29; ***fiunt enim res non ex ideis tamquam exemplaribus, quae per se exsistant, sed ex aliis rebus eiusdem speciei*** — 1034*a* 8.

1033*a* 24 *ἐπεὶ δὲ* — *b* 19 *τόδε*. Formam non generari ut comprobet, tria illa in memoriam revocat (*ἐπεὶ δὲ* a 24), quae in qualibet generatione inveniantur, *τὸ ὑπό τινος, τὸ ἔκ τινος* (a 26 *διώρισται*, cf. 7. 1033*a* 8), *τὸ τί* (*τὶ* scripsi a 27 secutus et Alexandri auctoritatem p. 462, 18 et constantem Aristotelis usum; pronomen *ὅ*, quod vulgo exhibetur, omnem perturbat enunciati conformationem). Iam is, qui rem aliquam efficit, uti materiam non facit, *ὥσπερ οὐδὲ τὸ ὑποκείμενον ποιεῖ* (int. *ὁ ποιῶν, οἷον*) *τὸν χαλκόν*, ita nec formam facit, nisi forte per accidens formam efficere dicatur, quoniam formae cum materia efficit coniun-

ctionem. Etenim si formae statueremus et ipsius esse generationem (εἰ γὰρ ποιεῖ a 34, τοῦ δὲ σφαίρᾳ εἶναι ὅλως οὐ ἔσται γένεσις b 11, ubi quidem futurum ἔσται ex auctoritate Alexandri p. 463, 17 scripsi ea significatione temporis futuri, de qua dixi Obs. p. 66 sq.), ad hanc generationem iterum requireretur materia et forma, ἔκ τινος ἂν ποιοίη ἄλλου b 1, ἔκ τινός τι ἔσται b 11; altera formae pars, nimirum genus cui subiecta est notio, cf. ad 7. 1033a 4, habenda esset pro materia sive pro eo in quo exsistat quod quis efficit (τὸ μὲν ἐν ᾧ ἔσται ὃ ποιεῖ b 14, i. e. τὸ μὲν ἔσται ὑποκείμενον, ἐν ᾧ τὸ εἶδος ἔσται, ὃ ποιεῖ ὁ ποιῶν περὶ αὐτό Alex. p. 463, 20), alterum pro forma quae in materia insit, τὸ δ' ἐν ἐκείνῳ b 15, et ex utroque forma ita evaderet, ut res sensibilis, veluti aenea statua, ex materia et forma est composita. At ita generationes in infinitum abirent b 4, et ad quamlibet rem generandam infinitas res antea fieri oporteret, quod est manifesto absurdum. φανερὸν ἄρα ὅτι οὐδὲ τὸ εἶδος — οὐ γίγνεται, — οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι b 5 (Negationes οὐδέ — οὐδέ cave pro οὔτε — οὔτε positas putes, ut altera ad alteram necessario referatur; sed prius οὐδέ significat etiam non, nimirum ut materia non generatur, ita nec forma. Alterum autem οὐδέ ea, quae frequentissima est, ratione ad priorem refertur negationem. Denique negatio οὐ post interposita aliquot verba, ἢ ὅ τι — μορφήν, nihil aliud quam priorem negationem iterat.) Qua in propositione quod coniungit τὸ εἶδος et τὸ τί ἦν εἶναι, non ponit eorum discrimen quoddam, sed quid dicat εἶδος adiecta altera formula accuratius definit, quemadmodum saepissime inter se pro synonymis coniuncta legimus εἶδος, τὸ τί ἦν εἶναι, οὐσία. 4. 1030a 12. 10. 1035b 15, 16. 6. 1031a 18. b 22. 7. 1032b 2, 14. 11. 1037a 23, 24. 13. 1038b 14. *A* 3. 983a 27. 7. 988a 35. 10. 993a 18. *Γ* 4. 1007a 20. *Δ* 2. 1013a 26. 17. 1022a 8. *H* 4. 1044a 36. *Λ* 9. 1075a 2. — Non ipsa igitur forma generatur, sed generatio unice cernitur in coniunctione formae cum materia, ἡ σύνοδος γίγνεται b 17, τὸ χαλκῆν εἶναι σφαῖραν ποιεῖ, non τὸ σφαίρᾳ εἶναι b 8, τὸ τί ἦν εἶναί ἐστιν ὃ ἐν ἄλλῳ γίγνεται b 7, non αὐτὸ γίγνεται. — b 16 οἷον, cf. ad *Α* 4. 985b 6.

1033b 19 πότερον — 1034a 8 εἶδος. Ex hac gene-

rationis explicatione facile quispiam eo inducatur, ut formam, quae cum materia coniungatur eamque definiat, ipsam per se praeter res sensibiles re ac veritate esse statuat, *πότερον οὖν ἔστι τις σφαῖρα παρὰ τάσδε* (h. e. praeter singulas et sensibiles, cf. *B* 2. 997*b* 30, 35. *Δ* 2. 1014*a* 22 et ad *A* 9. 990*b* 8) *ἢ οἰκία παρὰ τὰς πλίνθους*[1]). Ad hanc quaestionem ita respondet Aristoteles, ut si formas seorsim esse poneremus, generationem omnino tolli censeat, *ἢ οὐδ' ἂν ποτε ἐγίγνετο εἰ οὕτως ἦν τόδε τι.* (De particula *ἤ* ad significandam responsionem cf. ad 4. 1030*a* 2.) Quod cur ita statuat, colligi potest coll. *Z* 13. 1039*a* 3 sqq.; etenim quoniam ex duabus substantiis, quae quidem actu sint, nunquam una exsistit substantia, si et formam et materiam utrumque per se esse poneremus, nunquam ex utroque exsisteret res definita ac sensibilis, *τόδε τι.* Ponendum potius, si recte assequor Aristotelis sententiam, utrumque ita ut alterum exspectet, materia ut formae definitionem, forma ut materiam definiendam exspectet, neutra vero per se et absolute sit. Ita quidem forma *τὸ τοιόνδε σημαίνει* *b* 21, sive *περὶ οὐσίαν τὸ ποιὸν ἀφορίζει* Cat. 5. 3*b* 20, neque est res seorsim ac per se exsistens, *ἀλλὰ ποιεῖ καὶ γεννᾷ* (int. *ὁ ποιῶν καὶ γεννῶν*) *ἐκ τοῦδε* (i. e. *ἐκ τῆς ὕλης*) *τοιόνδε.* Quare haec certe ratio, *διά γε ταῦτα* *b* 29, non est idonea ut ideae esse inde comprobentur, cf. *A* 9. 991*a* 8. Accedit quod huic generationis explicandae rationi repugnat evidentia rerum naturalium, quae, ut saepe monet Aristoteles (cf. 2. 1028*b* 10. 7. 1032*a* 19 et ad *Δ* 8. 1017*b* 10), quummaxime pro substantiis sunt habendae, *οὐσίαι γὰρ μάλιστα αὗται* 1034*a* 4. (Articulum, qui vulgo additur ante *μάλιστα*, omittendum esse, et ex Alexandri auctoritate p. 465, 17 probabile est, et confirmatur coll. 7. 1032*a* 19: *τοιούτων, ἃ δὴ μάλιστα λέγομεν οὐσίας εἶναι.*) Nam ad hominem equumve generandum non requiritur idea hominis vel equi, sed alius homo, alius equus re vera exsistens, qui illum progignat. Quodsi in iis rebus, quae substantiarum nomen summo sibi iure vindicant, non est opus idearum exemplaribus, multo etiam minus in reliquis id poni licebit, cf. *A* 9. 991*b* 7. —

1) Sepulveda vertit «lateritias»; ac superiori membro: *παρὰ τάσδε* (int. *σφαίρας*), aptius certe responderetur, si scriptum esset: *παρὰ τὰς πλινθίνους.*

*b*26 *ὅλως*, cf. ad *A* 9. 990*b* 17. Opponitur universale rebus singulis, *ἡ σφαῖρα ἡ χαλκῆ ἡδί b*25. — 1034*a* 4 *ἱκανὸν τὸ γεννῶν ποιῆσαι*. Omissum est v. *ποιῆσαι* obiectum, ut quod facile suppleatur, *τὸ γεννώμενον*, cf. 9. 1034*b* 17: *ἀνάγκη προϋπάρχειν ἑτέραν οὐσίαν ἐντελεχείᾳ οὖσαν ἣ ποιεῖ*. — *a*8 *ἄτομον γὰρ τὸ εἶδος*, cf. ad *B* 3. 998*b* 29. *I* 8. 1058*a* 18. 9. 1058*b* 5. An. post. II 13. 97*a* 19.

CAP. IX.

Unde fiat, ut quaedam fortuito perinde ac per artem efficiantur, alia non item — 1034a 21. Quidquid fiat, fieri quodammodo ex re cognomine — b7. Formam quod demonstravit non generari, id non solum ad substantiam, sed pariter ad omnes categorias pertinere — b19.

1034*a* 9 *ἀπορήσειε* — 21 *μέρους*. Alia et per artem fiunt et fortuito, alia non fiunt nisi per artem, cf. An. post. II 11. 95*a* 3: *ἐν δὲ τοῖς ἀπὸ διανοίας τὰ μὲν οὐδέποτε ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ὑπάρχει, οἷον οἰκία ἢ ἀνδριάς, οὐδ' ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἕνεκά του, τὰ δὲ καὶ ἀπὸ τύχης, οἷον ὑγίεια καὶ σωτηρία*. Eius discriminis causam Ar. e materia repetit, *ἡ ὕλη ἡ ἄρχουσα τῆς γενέσεως κτλ. a*11, cf. 7. 1032*b* 31, ubi quidem materiam non eam intelligit, quae ut prorsus indefinita *πρώτως καὶ κυρίως* hoc nomine appellatur, sed eam potius, quae quum una ratione definita sit, veluti lapides et corpus humanum, alia ratione definitioni recipiendae idonea est. Haec igitur materia ut moveatur vel necessario externum quendam motorem requirit, vel non requirit necessario; ac si potest moveri sine externo motore, vel ea potest ratione moveri, quae ad rem aliquam efficiendam necessaria est, vel non talem, sed modo alium motum admittit, veluti lapides possunt illi quidem moveri sine causa externa, nec tamen ita ut efficiant aedificium, sed ut deorsum cadant, *ἀδύνατον ὡδὶ κινηθῆναι* —, *ὡδὶ μέντοι καί a*16. Ex his discriminibus intelligitur, cur alia non possint fieri nisi per artificem, alia possint; quippe haec moventur per eas causas moventes, quae quum non habeant artem, tamen moveri possunt (eum nimirum in modum, ex quo opus exsistat) vel ipsae per se (*αὐτῶν a*20), vel ab aliis artis item

expertibus, ἢ ἐκ μέρους a 21. Quae ex sua ipsorum parte aliqua moventur, ea quodammodo ex se ipsis moveri videbuntur, ut κινεῖσθαι δυναμένων αὐτῶν — ἢ ἐκ μέρους non multum differat; quare haud scio an μέρος h. l. ea vi Ar. usurpaverit, qua supra causam antecedentem rei effectae partem dixit esse, veluti calorem sanitatis partem, cf. 7. 1032b 26. — a 11 τῶν μὲν ἡ ὕλη — ἡ μὲν κτλ. Enunciatio aliter est incepta, aliter continuata. Incepta enim est ac si deinde scribere vellet: τῶν μὲν ἡ ὕλη τοιαύτη ἐστὶν οἵα κινεῖσθαι, τῶν δ' οὔ, continuata vero sic, ac si illud τῶν μέν omnino dictum non esset: τῶν γιγνομένων ἡ μὲν ὕλη τοιαύτη ἐστί — ἡ δὲ κτλ. Quae ad definiendam materiae naturam addidit verba: ἡ ἄρχουσα — πράγματος, ea mutandae constructioni videntur occasionem dedisse.

1034a 21 δῆλον — 30 θερμότης. Quod antea de rebus naturalibus demonstravit (ὥσπερ τὰ φύσει a 23, nam part. ὥσπερ comparationem affert, non exemplum, quod significari putavit Schw. in interpr. vernacula), quamlibet rem generari ex alia eiusdem generis, cf. 8. 1033b 29, idem ad reliqua generationis genera, πάντα a 22, artificiosum et fortuitum, extendi quodammodo docet. Etenim in his etiam, nisi quid per accidens factum est, veluti si domus facta est noxia cuipiam vel salubris, a 25, cf. E 2. 1026b 6, quidlibet progignitur ex re cognomine; fit enim ἢ ἐκ μέρους ὁμωνύμου —, ἡ γὰρ τέχνη τὸ εἶδος a 23, cf. 7. 1032b 12: γίνεσθαι — τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην. Aedificium enim materiale fit ex aedificio immateriali, ab artifice cogitato. Haec aedificii notio pars potest dici aedificii, quoniam sensibile aedificium ex materia et forma coaluit, et ea quidem pars ὁμώνυμος. Omnia igitur fiunt, ait, ἢ ἐκ μέρους ὁμωνύμου —, ἢ ἐκ μέρους ἢ ἔχοντός τι μέρος a 24. Haec quin aliquo librariorum errore depravata sint non dubito; videtur enim ferri vix posse, ut opponantur inter se μέρος ὁμώνυμον et μέρος simpliciter, praesertim quum hoc etiam μέρος cogitandum esse ὁμώνυμον ex superioribus verbis a 22 appareat. Quo sensu voc. μέρος hoc altero loco, a 24, usurpaverit, ex exemplis deinde allatis cognosci vel divinari potest. Nimirum ea, quae in efficienda sanitate, ut Aristotelis exemplum teneamus, ipsam sa-

nitatem antecedunt, veluti calor, aut pro parte sanitatis sunt habenda, aut sequitur ea vel ipsa sanitas vel pars sanitatis cf. 7. 1032*b* 26. Itaque quatenus ex calore efficitur sanitas, sive is consilio medici sive fortuito exstitit, sic etiam quodammodo ex re cognomine dici potest effici.

His si in universum videor Aristotelis sententiam assecutus esse, restant tamen quae interpretatione egeant. Primum enim quaeritur, cur dixerit *ἐξ ὁμωνύμου* omnia fieri, nec potius *ἐκ συνωνύμου*, siquidem et res naturales fiunt ἐκ *συνωνύμων*, et domus cogitata, ex qua sensibilis fit domus, huic est *συνώνυμος*, tamquam *εἶδος τῷ συνόλῳ*, cf. de v. *συνώνυμος* ad *A* 6. 987*b* 10. Sed calorem et sanitatem, quae sunt in altero distinctionis membro, vix recte ex Aristotelis sententia *συνωνύμους* dixeris; propterea eo vocabulo videtur usus esse, quod quum latius pateat ad utrumque possit trahi. — Deinde manifesto depravata sunt verba *a*24: *ἡ ὑπὸ νοῦ*, neque enim possunt haec opponi superiori membro: *ἢ ἐκ μέρους ὁμωνύμου, οἷον οἰκία ἐξ οἰκίας*, quoniam genitivo *οἰκίας* notionem aedificii apud animum cogitatam significat, sed pertinere debent ad explicandum v. *οἰκίας*. Quid scripserit Aristoteles, difficile est dicere; quod enim ad vulg. proxime accedat: *ἢ ὑπὸ νοῦ* (int. *ἐστί*) vel: *τῆς ὑπὸ νοῦ*, non videtur cum Ar. dicendi consuetudine satis concinere. — Denique extrema verba *a*29: *διὸ καὶ* — 30 *θερμότης*, possunt illa quidem quodammodo explicari: propterea calor ex motu ortus dicitur sanitatem efficere, quia illud iudicatur sanitatem efficere, cui tamquam consequens accidit calor corporis, et ex eo nimirum sanitas. Sed contortam hanc esse explicationem, et parum apte aliud subiectum poni v. *ποιεῖ* atque antea verbi *ποιεῖν*, apparet; accedit quod Alex. pro *συμβέβηκε θερμότης* videtur habuisse: *συμβέβηκεν ἡ ὑγίεια*. Hoc reputantibus non improbabile videbitur scriptum fuisse: *διὸ καὶ λέγεται ποιεῖν* (int. *ἡ ἐν τῇ κινήσει θερμότης τὴν ὑγίειαν*), *ὅτι ἐκεῖνο* (int. *τὴν ἐν τῷ σώματι θερμότητα*) *ποιεῖ, ᾧ ἀκολουθεῖ καὶ συμβέβηκεν ἡ ὑγίεια.*

1034*a* 30 *ὥστε — b7 αὐτῶν.* Particula concludendi *ὥστε* non videtur ad universam, quam modo exposuimus, disputationem, *a*21—30, referri posse, sed ad prius distin-

ctionis membrum, a 23, quum quidem domum ex notione domus, id est autem *ἐκ τοῦ τί ἐστιν οἰκία*, effici dixit. Inde intelligitur, quomodo et cognoscendi et faciendi principium sit *τὸ τί ἐστιν*. In cognoscendo enim *ἐκ τοῦ τί ἐστι* fiunt syllogismi (cf. An. post. II 3. 90b 31: *αἱ ἀποδείξεις φαίνονται πᾶσαι ὑποτιθέμεναι καὶ λαμβάνουσαι τὸ τί ἐστιν*), sive per syllogismum *ἐκ τοῦ τί ἐστι* pervenitur ad *τὰ καθ' αὑτὸ ὑπάρχοντα*: in agendo autem generatio *ἐκ τοῦ τί ἐστι* procedit, quod supra, distincta *νοήσει* et *ποιήσει*, 7. 1032b 15, perspicue docuit. (Alia ratione actionem cum syllogismo comparat Ar. Eth. N. VII 5. 1147a 25, cf. Waitz Org. I. p. 372. — Signa parenthesis a 31, 32, a Sylb. primum posita, non debebam in textu retinere, quamquam Alexandri interpretatione ea commendari videntur. His enim positis nec particula *δέ* explicari potest, et *αἱ γενέσεις* falso conferuntur cum v. *ἀρχὴ ἡ οὐσία*, quum debeant potius conferri cum v. *οἱ συλλογισμοί*. Distinguendum potius: *ὥστε, ὥσπερ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς, πάντων ἀρχὴ ἡ οὐσία· ἐκ γὰρ τοῦ τί ἐστιν οἱ συλλογισμοί εἰσιν, ἐνταῦθα δὲ αἱ γενέσεις.*) — Atque eadem naturae ratio. Semen enim, unde animal vel planta gignitur, nisi quid alicubi mutili vel depravati in ordinem naturae irrepserit (*πήρωμα*, cf. de an. II 4. 415a 27. III 9. 432b 22. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 458), iam potentia formam ac speciem animalis in se continet, sicuti artifex eandem formam apud animum concepit. Fortuito autem res naturales non possunt progigni nisi eae, quarum materia suapte sponte eum in motum potest moveri, quem efficit semen, *ὅσα δὲ ἀπὸ κτλ.* b 4, h. e. *ὅσα δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου* (int. *γίγνεται ἐν τοῖς φύσει γιγνομένοις*), *γίγνεται ὥσπερ ἐκεῖ* (int. *ἐν τοῖς ἀπὸ τέχνης*, cf. a 9). — b 7 *ἐξ αὑτῶν*, non ex se ipsis, sed *ἐξ αὐτῶν τῶν ποιούντων*.

1034b 7 *οὐ μόνον* — 19 *μόνον*. Non modo ut substantiae exsistant, verum etiam reliquae ut fiant categoriae (*τῶν πρώτων* b 9, cf. b 14: *τῶν κατηγοριῶν* et *B* 3. 998b 15: *τὰ πρῶτα τῶν γενῶν*), formam antea exsistere oportet, hoc uno discrimine, quod in substantia generanda substantia eiusdem generis actu exsistens requiritur, quae illam efficiat, in reliquis categoriis eadem categoria non actu, sed potentia exsistens. — Brand. et Bk. e codd. *EA*b post *χαλκοῦ* b 12

addiderunt part. εἰ, quod dubito num recte fecerint, quum praesertim apud Alex. nullum eius part. vestigium reperiatur. Etenim vulgata antea lectio hunc videtur in modum explicari posse: γίγνεται γὰρ (int. τὸ ποσὸν ἢ τὸ ποιόν) ὥσπερ ἡ χαλκῆ σφαῖρα, ἀλλ' οὐ σφαῖρα οὐδὲ χαλκός· καὶ ἐπὶ τοῦ χαλκοῦ γίγνεται (int. ὡσαύτως sive ὥσπερ ἡ χαλκῆ σφαῖρα)· ἀεὶ γὰρ δεῖ προϋπάρχειν τὴν ὕλην καὶ τὸ εἶδος, οὕτως καὶ κτλ. — b 18 ἢ ποιεῖ, cf. ad 8. 1034a 4.

CAP. X.

Quaerit quae partes rei adhibeantur ad definiendam rem, ut quae eaedem sint definitionis partes, quae non 1034b 20 — 1035b 3; quae partes toto sint priores, quae non — b 31. Deinde colligit paucis, quae hucusque disputavit — 1036a 12, et exponit quae sit adhibenda cautio, si cui respondendum fuerit ad quaestiones huiusmodi — a 25.

1034b 20 ἐπεὶ δὲ — 1035b 3 ἕκαστον. Duas ab initio movet quaestiones, alteram de partibus rerum et definitionum, b 20 — 28, alteram de toto ac parte utrum ex iis sit prius, b 28 — 32. Et hanc quidem paucis perstringit, siquidem postea 1035b 3 sqq. eandem amplius est persecuturus. Si pars, ait, toto esset prior, angulus acutus prior esset recto, digitus prior homine. At requirimus potius ad definiendum acutum angulum definitionem anguli recti, et homo prior digito vel eadem ratione (cf. 1035b 16) vel τῷ εἶναι ἄνευ ἀλλήλων, i. e. quod homo potest homo esse licet digito careat, digitus non potest esse digitus, nisi fuerit in homine; de qua vi vocabuli πρότερον cf. ad Δ 11. 1019a 3. Ita posita modo thesi et antithesi hanc quaestionem interim omittit et ad priorem illam (b 20 — 28) revertitur. Ea est autem huiusmodi. Quaelibet definitio non conficitur uno nomine, sed quoniam est nominis sive notionis explicatio, λόγος, plures continet partes, quae quidem sunt singulae rei notae. Iam quum inter has definitionis partes modo reperiamus ipsius rei partes, modo secus, quaeritur quae partes vel quarum rerum partes recipiantur in definitionem, quae non. Hanc quaestionem soluturus orditur, qui est Aristotelis in philosophando mos, a distinctione: ἢ πολλαχῶς λε-

γεται τὸ μέρος b23. Distinctis igitur variis notionis μέρος significationibus hanc quaestionem dirimere parat, et eam quidem significationem, ex qua μέρος mensuram rei denotet, b33, cf. Δ 25. 1023b 15, tamquam alienam ab hac re secludit. Quod si diligentius eam distinctionem, quam deinde instituit, spectaveris, non partis notionem dividit, sed ea potius distinguit, ad quae partis notionem adhibemus. Quum enim substantiae nomen latiore sensu et formae et materiae et concretae ex utraque rei tribuatur, distinguendas esse formae partes a partibus materiae. Ac materiae quidem partes in definitione merae et abstractae formae, veluti κοιλότητος, non inesse, inesse vero in definitione rei ex forma et materia concretae, veluti τοῦ μὲν συνόλου ἀνδριάντος μέρος ὁ χαλκός, τοῦ δ' ὡς εἶδος λεγομένου ἀνδριάντος οὔ a6. His addit λεκτέον γὰρ τὸ εἶδος καὶ ᾗ ἔχει εἶδος ἕκαστον, h. e. ex forma res quaelibet nuncupatur, et forma definienda est, si definire voluerimus quid sit aliqua res (cf. Phys. II 1. 193b 1: — τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὁριζόμενοι λέγομεν τί ἐστι σάρξ ἢ ὀστοῦν.), τὸ δ' ὑλικὸν οὐδέποτε καθ' αὑτὸ λεκτέον: materia quae per se nec cogitari nec dici definirive potest, cf. 1036a 8, non admiscenda est ei definitioni, quae ipsam rei essentiam exprimat. Ex hac distinctione explicatur quae obiter rem inspicienti inesse videbatur in definiendo diversitas; elementa orationis, στοιχεῖα τοῦ λόγου a11, modo non materialia cogites, veluti quae in aere vel cera sunt, ad definitionem syllabae adsciscuntur utpote formae partes; non item segmenta circuli ad eius adhibentur definitionem, quoniam ad materiam pertinent, licet propiores sint formae ac notioni circuli quam aes, si aeneum proposueris circulum. Et sicuti ex partibus materialibus constat res concreta, non abstracta forma, ita solvitur in eas res concreta, non forma, καὶ τοῦ μὲν συνόλου μέρη, τοῦ εἴδους δὲ καὶ οὗ ὁ λόγος (nempe ὁ λόγος τοῦ εἴδους ἐστίν, cf. 1035b 34) οὐκέτι· διόπερ οὐδ' ἐν τοῖς λόγοις, a22. Haec extrema verba: ἐν τοῖς λόγοις apud animum revocanda sunt, ut proxima enunciatio possit intelligi: τῶν μὲν οὖν (int. ἐν τοῖς λόγοις) ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων (i. e. ὑλικῶν) μερῶν λόγος, ac verbis τῶν μέν significari res concretas ex altero apparet membro, ubi ad τῶν δ' (int. ἐν τοῖς

λόγοις) *οὐ δεῖ ἐνεῖναι* explicandi causa additur: *ἂν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου*. Hanc ellipsin non intellexisse videtur, qui in margine cod. *E* adnotavit pro *τῶν μὲν* — *τῶν δέ* vel scribi vel scribendum esse *τῶν μὲν* — *τοῖς δέ*.

1035*a* 30 *ὥστ' ἐκείνων μὲν ἀρχαὶ καὶ μέρη τὰ ὑφ' αὑτά, κτλ.* *ἐκεῖνα* dici ea quae e materia et forma coaluerunt; et ex superioribus intelligitur et confirmatur opposito *τοῦ δ' εἴδους*, *a* 31. Sed *τὰ ὑφ' αὑτά* quid significent equidem non possum divinare. Alexander quum haec verba sic interpretetur p. 474, 15: *ὥστε τῶν συνθέτων ταῦτα τὰ ὡς ὕλη εἰσὶ μέρη καὶ ἀρχαί*, non improbabile videbitur eum pro *τὰ ὑφ' αὑτά* in textu habuisse *τὰ ὑλικά* vel *τὰ ὑλικὰ ταῦτα*. — Proximis in verbis quod ante *σφαῖρα*, *a* 32, addidi *χαλκῆ*, cf. Obs. p. 91, confirmatur Alexandri interpretatione p. 474, 17. — Denique *a* 33: *ἔστι γάρ τι ὃ συνείληπται τῇ ὕλῃ*, nisi obstaret Alexandri auctoritas, non dubitarem e codd. *ET* recipere: *ἔστι γάρ τις ὃς συνείληπται τῇ ὕλῃ*. Etenim illud neutrum *τι* satis indefinite dicitur; longe distinctius *τις*, quod ad *κύκλος* referatur. Circulus etiam in segmenta dividitur, est enim quidam circulus qui cum materia coaluit, propterea quod universalis circuli forma et singuli quique ac sensibiles circuli eodem circuli nomine denotantur.

1035*b* 3 *εἴρηται* — 31 *ὁμοίως*. Altera, quam supra proposuit nec diremit, quaestio: quae sint partes toto priores quae non, quum re vera eodem spectet ac superior quaestio, eam ita nunc orditur excutere, ut non novum quidpiam proponere, sed quae ante disputata sunt diligentius explicare videatur, *b* 3, 4. Partes notionis, ait (*τοῦ λόγου μέρη* *b* 4, *τῆς οὐσίας τῆς κατὰ τὸν λόγον* *b* 13, cf. ad *A* 6. 987*b* 21. — *ὀξείας λόγος* *b* 7, cf. 1034*b* 28. *M* 8. 1084*b* 7), i. e. notae ex quibus conficitur notionis descriptio, priores sunt notione, siquidem nota quaelibet cogitari potest nondum cogitata ea, quae inde conficitur, notione, non vicissim notio sine suis ipsius notis. Hoc quidem loco, ubi de notionibus agitur, quod appellatur prius idem significat atque universalius: etenim priores dicuntur notae, quatenus complexum, ut aiunt logici, habent minorem eademque de causa ambitum habent ampliorem et magis sunt universales. Sed caute ubique Ari-

stoteles addit: ἢ πάντα ἢ ἔνια, b 6, 14, 19; potest enim in complexu notionis inesse una vel altera nota, quae ambitu ipsam notionem non superet sed aequet, cf. Alex. p. 476, 6. — Materiales vero partes (μέρη ὡς ὕλη b 12) ipsa rei substantia ac notione sunt posteriores, re autem concreta ac sensibili quodammodo priores, quodammodo posteriores. Id exemplo illustrat hominis. Eius essentiam et naturam cerni in anima (b 14 sqq., cf. Δ 8. 1017 b 16. H 3. 1043 a 35. de an. II 1. Trend. ad h. l. p. 312 sqq. 323 sqq.) inde apparet, quod ne singula quidem corporis humani membra definiri possunt, nisi per earum opus et adhibito ad descriptionem sensu (ὃ οὐχ ὑπάρξει ἄνευ αἰσθήσεως b 18), hoc est autem animae actione (cf. de part. an. I 1. 641 a 1, 5. 645 b 14—20); animae igitur partes vel omnes vel certe aliquot, exceptis nimirum iis quae ambitum notionis ipsius aequant, homine sunt priores. Materiales vero partes substantia hominis sunt posteriores, homine concreto quodammodo sunt priores, quatenus ex iis componitur, quodammodo non, quatenus priora dici ea nequeunt, quae non possunt seorsim ante ipsam compositionem exsistere. Atqui digitus non potest seorsim exsistere, sed seiunctus a corpore animato nomine tantum, non re est digitus, ἀλλ' ὁμώνυμος ὁ τεθνεώς b 25, quia οὐδὲν ζῴου μόριον οὔτε ἄνευ ὕλης οὔτε μόνη ἡ ὕλη, de part. an. I 3. 643 a 25. 1. 640 b 33. 641 a 20. de gener. an. II 1. 734 b. 735 a. de an. II 1. 412 b 31. Pol. I 2. 1253 a 20. Sunt etiam materiales partes, quibus ita inest vivendi causa et principium (κύρια κτλ. b 25, cf. Δ 27. 1024 a 24: κύρια τῆς οὐσίας), ut nec priores sint nec posteriores, sed simul cum ipsa anima; quam quidem dignitatem utrum cordi assignare praeferas cum Aristotele, an cerebro cum Platone, huc non pertinet, sed alius est disputationis, cf. Δ 1. 1013 a 5. Phys. min. 456 a 5. 468 b 28. 469 a 4, 17, 20 sqq. 478 b 33. de part. an. II 1. 647 a 31. 703 a 14.

Hucusque quum ad rem illustrandam hominis vel circuli exemplum adhibuit, hunc unum hominem, Calliam vel Socratem, intelligi voluit et quae eius partes essent priores quae posteriores distinxit. Sed quaeritur quomodo res se habeat, si universe dixeris hominem, equum. Haec universe dicta his significavit verbis b 28: τὰ — ἐπὶ τῶν καθ' ἕκα-

στα, καθόλου δ', quia praedicantur de rebus singulis (*ἐπὶ τῶν κ.*, cf. *κατηγορεῖν ἐπί τινος* Cat. 5. 2*a* 29. Top. IV 2. 122*a* 31) neque ab iis seiuncta sunt, sed universe praedicantur de omnibus (*καθόλου δ'*), non de hoc vel illo. Haec universalia non habere substantiae dignitatem, *οὐκ ἔστιν οὐσία*, postea demonstrabitur, cap. 13, hoc loco ea quasi coaluisse (*σύνολόν τι*) dicit *ἐκ τουδὶ τοῦ λόγου καὶ τησδὶ τῆς ὕλης ὡς καθόλου*. Etenim si universe de homine loquimur, non abstractam et simplicem formae notionem cogitamus, sed etiam materiam, quacum notio coalescat, et eam quidem et ipsam universe, *ὡς καθόλου*, admiscemus. Itaque quum haec universalia ex eadem ratione cogitanda sint ac res singulae, non opus est (id enim, licet non aperte dicat, cogitare tamen videtur), singillatim de iis disserere. — Deinde his verbis: *τησδὶ τῆς ὕλης ὡς καθόλου* opponit: *ἐκ τῆς ἐσχάτης ὕλης*, h. e. carnis et ossium singulorum, ex quibus hic vel ille homo consistit. Utitur enim adi. *ἔσχατος* Ar. ita ut idem fere significet ac *τὸ καθ' ἕκαστον*, cf. *K* 1. 1059*b* 26, 35. Waitz Org. 25*b* 33.

1035*b* 15 *τοῦτο*. De genere neutro pronominis, quum ad *ψυχή* referri potuerit *αὕτη*, cf. quae exempla collegit Waitz Org. 4*b* 4. — *b* 18 *ὥστε* apodosin orditur. cf. Obs. p. 24, 32. Exemplis ibi collectis addi possunt de interpr. 12. 21*b* 10. An. post. I 24. 85*b* 26. 25. 86*b* 36.

1035*b* 31 *μέρος* — 1036*a* 12 *εἴρηται*. Persecutus quae sint partes toto priores quae non, ad priorem redit quaestionem: quae rerum partes adsciscantur ad describendam notionem, quae non adhibeantur. Pars igitur, ait, et formae esse dicitur et rei concretae ex forma et materia (nam addendum est *καὶ τῆς ὕλης* post *ἐκ τοῦ εἴδους*, cf. Obs. p. 92) et ipsius per se materiae. Sed ad notionem, ut quae formam describat et propter id ipsum, quippe abstracta et immunis a rerum singularum diversitatibus, universalem habeat vim ac dignitatem, *b* 34 (cf. *K* 1. 1059*b* 26. *Λ* 5. 1071*a* 29. An. post. II 13. 97*b* 26. et de scientia universalium ad *B* 6. 1003*a* 14), eae tantum adhibentur partes, quae sunt partes formae. Concretae vero rei, quae eadem una est ac definita numero (*τοῦ συνόλου, οἷον κύκλου τουδί* 1036*a* 2), quum contra forma rei ad universale spectet, concretae igi-

tur rei non est omnino definitio *a*5, sed adhibenda est ad eius cognitionem, prouti vel sensibilem habet vel cogitabilem materiam, ea sentiendi cogitandive actio, qua materia percipiatur; atque si res concreta actu esse vel actu percipi desierit, dubium est utrum sit necne, licet etiamtum ex eadem notione universali et appelletur et definiatur. (Quod vulgo exhibetur *a*6 ἀπελθόντας quomodo vel construi possit vel intelligi non video; propterea scripsi ἀπελθόντα, ut haec fere sit sententia: ὅταν δ' ἀπέλθῃ τὰ σύνολα ταῦτα ἐκ τῆς ἐντελεχείας, cf. 15. 1040*a* 2: ἄδηλά τε γὰρ τὰ φθειρόμενα τοῖς ἔχουσι τὴν ἐπιστήμην, ὅταν ἐκ τῆς αἰσθήσεως ἀπέλθῃ. Bessario quidem haud scio an vel scriptum invenerit vel de coniectura ipse dederit ἀπελθόντα, quum vertat «cum vero abeant ab actu, non est manifestum, utrum sint aliquando an non sint.») Materia denique, utpote indefinita, per se cognosci omnino nequit (cf. Phys. III 6. 207*a* 25: διὸ καὶ ἄγνωστον ᾗ ἄπειρον· εἶδος γὰρ οὐκ ἔχει ἡ ὕλη. I 7. 191*a* 7: ἡ δ' ὑποκειμένη φύσις ἐπιστητὴ κατ' ἀναλογίαν. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 419 sq.), sive ea sensibilis est sive cogitabilis (ὕλη νοητή *a*9, cf. 11. 1037*a* 4), qualis est rerum mathematicarum materia, quae licet sit in rebus sensibilibus, tamen non eatenus in iis est, quatenus sunt sensibiles, cf. *M* 2, 3. Quare quum rei concretae non sit notio, materiae ipsius nulla omnino cognitio, sed notione unice forma ac species rei describatur, apparet non alias nisi formae partes adsciscí posse ad definiendam notionem.

1036*a* 12 πρὸς δὲ — 25 εἴρηται. Quaestio de toto ac partibus, quid prius sit quid posterius, quoniam soluta est per distinctionem, si quis universe interrogetur, utrum angulum rectum priorem esse censeat an eius partes, cavendum est ne de re multifariam dicta simpliciter respondeat. Etenim quia angulus rectus, ut in hoc acquiescamus exemplo, et notionem ac substantiam significat, et singularem angulum, materialem eum quidem et sensibilem, probe est distinguendum; sensibilis enim angulus, τὶ μέν *a*19, posterior est et notionis et suis ipsius partibus; immaterialis autem, qualis mente concipitur, notionis partibus posterior, materialibus partibus prior est. Hanc igitur per distinctionem respondendum est, neque vero simpliciter et indistin-

cte. — Quam exhibui loci subobscuri interpretationem, eam me probaturum spero lectoribus, singulis verbis deinceps pertractatis. *εἰ μὲν γάρ ἐστι — ἡ τῆς ὀρθῆς*, h. e. si res quaelibet suam ipsius significat notionem substantialem, veluti *κύκλος τὸ κύκλῳ εἶναι* et *ζῷον ἔμψυχον τὴν ψυχήν* quam supra 1035 b 15 dixit esse *τὸ τί ἦν εἶναι ζῴῳ*, vel *ἕκαστον ἡ ἑκάστου* a 17, i. e. vel si singula quaeque animalia nihil sunt aliud nisi huius unius animalis anima. (*ἡ ἑκάστου* scripsi ex Alex. pro vulg. *ἢ ἑκάστου*, quia his verbis quid faciam non video.) Si igitur quaelibet res suum *τί ἦν εἶναι* significat, *τὶ μὲν καὶ τινὸς φατέον ὕστερον* a 19. Per v. *τὶ μέν* res singulas et concretas significari, ut ex ipso huius pronominis usu Aristotelico consentaneum est (cf. ad Γ 2. 1003 b 33), ita comprobatur verbis oppositis: *ἡ δ' ἄνευ ὕλης* a 22, ex quibus intelligitur *τὶ μέν* esse *τὴν μετὰ ὕλης* vel *τὸ σύνολον*. Hoc *σύνολον* posterius est *τινός*, certo quodam *οἷον* (nempe, cf. ad *Α* 4. 985 b 6) *τῶν ἐν τῷ λόγῳ καὶ τινὸς ὀρθῆς*, i. e. *τῶν ἐν τῷ λόγῳ μορίων καὶ τῶν τινὸς ὀρθῆς μορίων*, utrisque partibus et notionis et sensibilibus posterior est res concreta. Genitivum *τινὸς ὀρθῆς* non pendere ab *ὕστερον*, sed ab articulo *τῶν*, h. e. *τῶν μορίων*, intelligitur coll. a 22: *τῶν μὲν ἐν τῷ λόγῳ ὑστέρα, τῶν δ' ἐν τῷ καθ' ἕκαστα μορίων προτέρα*. Iam quod aptius supra ad protasin *εἰ μὲν γάρ ἐστι κτλ.* addere debebat, non solum notionem anguli recti, sed etiam sensibilem angulum eodem nomine denotari, hoc deinde tamquam ad explicanda verba *τινὸς ὀρθῆς* adiicit: *καὶ γὰρ ἡ — ἕκαστα*. Ita exposito, quibus partibus res concreta, *τὶ μέν*, posterior sit transit ad notionem immaterialem: *ἡ δ' ἄνευ ὕλης — προτέρα*. *ἁπλῶς δ' οὐ φατέον*, i. e. non est respondendum ad quaestionem, nisi antea distinxeris et quae res dicatur et quales partes. — a 24 *εἰ δ' ἑτέρα κτλ.* Haec opponi verbis a 16: *εἰ μὲν γάρ ἐστι*, vere Alex. p. 479, 17 monet. Licet non recte sumpserimus, ait Ar., animalis notionem cerni in anima, tamen quaecunque eius fuerit notio, eadem distinctione utendum est in respondendo.

CAP. XI.

Quaeritur quae sint partes formae et quae rei concretae, ac proinde quae sint adhibendae ad rem definiendam, quae non, 1036a 26—1037a 10; *quae praeterea hac de re investiganda sint significat* — a 20, *et quae hucusque de natura τοῦ τί ἦν εἶναι excussa sunt complectitur* — b 7.

Aristoteles ut constituat quae partes rei ad notionem definiendam adhibeantur, quae non, partes formae a partibus materiae supra distinxit, cap. 10; hac autem distinctione quum quaestio coepta sit dirimi, nondum prorsus diremta, sed etiamnunc quaerendum sit, quae igitur singulis in rebus partes ad formam referendae sint, quae ad materiam, hanc quaestionem solvere nunc suscipit a 26: ποῖα τοῦ εἴδους μέρη καὶ ποῖα οὔ, ἀλλὰ τοῦ συνειλημμένου, i. e. τοῦ συνθέτου sive τοῦ συνόλου, cf. ad *E* 1. 1025b 32. Etenim quoniam definitur universale (cf. *Α* 6. 987b 3. An. post. II 13. 97b 26) et forma rei, tum demum definitio recte potest institui, quum haec quaestio soluta erit. Et id quidem facile est diiudicare, ubi eadem forma in diversis inter se materiis cernitur, ita ut formae unitas et identitas per se a diversitate materiae distinguatur. Difficile vero idem est dignoscere, si qua forma, veluti species humana, non in diversis materiae generibus, sed in eadem ubique materia, carnibus ossibus rel., cernitur. Nihil enim impedit, quominus etiam sic aliquid alienum a forma unice materiae sit tribuendum, sed propter coniunctionis materiae cum forma perpetuitatem haud facile alterum ab altero seiungas.

Ab hac distinguendae a materia formae difficultate exorta esse dicit b 7 Pythagorica quaedam placita. Sicuti enim in hominibus, quamquam ii utique carnibus et ossibus quasi vestiti conspiciuntur, carnes tamen et ossa materiae tantum locum obtinent, ita Pythagoreis in circulo triangulo al., licet semper extensionem quandam habeant et ex lineis constent, haec ad materiam referenda, ipsa notio et forma numeris definienda videtur. (γραμμῆς τὸν λόγον τὸν τῶν δύο εἶναί φ. b 13, cf. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 112.) Haec opinio propagata deinde est ad Platonicos (τῶν τὰς ἰδέας λεγόντων b 13) quorum alii cum Pythagoreis in dualitate (cf. *M* 8.

1084a 37), alii in forma et notione lineae dixerunt contineri ipsam naturam et substantiam lineae, αὐτογραμμήν b14 (cf. 16. 1040b 34). Et illi quidem quibusdam in rebus, in quibus immunis a materia sit forma, veluti in numero binario. rati non posse distingui formam et id cuius sit forma, ταὐτὸ τὸ εἶδος καὶ οὗ τὸ εἶδος b15, cf. 6. 1032a 4, lineam tamen quoniam extensionis contineat materiam, ad hoc genus non referendam putarunt, sed distinguendam formam lineae, nimirum dualitatem, ab ipsa linea. — b17 οὐκέτι, cf. Obs. p. 93.

Ita delatus ad explicandam originem Pythagoricorum de numeris placitorum pauca ad ea refutanda addit b17—20 sensuum et communis omnium opinionis evidentia usus adversus eorum doctrinam. Ex his enim placitis eo adiguntur Pythagorei (συμβαίνει, cf. ad *A* 8. 989a 22), ut unam eandemque speciem, veluti dualitatem, formam esse statuant plurimarum rerum, quas manifestum est (φαίνεται, cf. ad *A* 6. 988a 3) inter se differre, veluti numeri binarii et lineae et aliarum praeterea rerum ex aliis generibus, cf. Brandis Gesch. I. p. 472. Quodsi quis eandem ratiocinationem amplius persequatur, eo potest devenire, ut unam statuendam esse censeat rerum omnium formam ac speciem, reliqua vero omnia infra formae dignitatem deprimat. Atqui ita, quoniam ex forma singularum rerum natura definitur. cf. 10. 1035a 8, omnia essent unum, ἓν πάντα ἔσται b20. quod manifesto est absurdum.

Ex hac Pythagoricae philosophiae comparatione et quae sit difficultas in describendis accurate notionibus apparet, b21. et non posse ubique materiam abstrahi a forma intelligitur. b22; sunt enim (ἴσως, cf. ad *A* 5. 987a 26), quae cogitari aliter nequeant, nisi ut forma insit in materia, τόδε ἐν τῷδε b23 (cf. ad 5. 1030b 18), vel materia certa quadam forma definita, ὡδὶ ταδὶ ἔχοντα. Veluti falso quispiam humanam naturam cum circulo aeneo comparat, ut sicuti circuli notio aeris natura definita non sit, ita hominem sine suis ipsius partibus sensibilibus esse posse dicat, b24—28. (Σωκράτης ὁ νεώτερος b25. Cf. Alex. p. 482, 15: ἢ τὸν Πλάτωνα λέγει, ἤ, ὃ καὶ μᾶλλον, τὸν ὁμώνυμον τῷ τοῦ Πλάτωνος διδασκάλῳ Σωκράτην. ποιεῖται γάρ τινα Σωκράτην ὁ Πλάτων προσδιαλεγόμενον μετὰ τοῦ γηραιοῦ Σωκράτους. cf. Plat.

Soph. 218b. Theaet. 147 c. Pol. 257 c. Altera Alexandri interpretatio unice potest probari, cf. Hermann Plat. Phil. I. p. 661.) Etenim homo, quoniam animal est sensibile, non potest cogitari sine partibus sensibilibus (ἄνευ κινήσεως, cf. ad *E* 1. 1026 a 3), ac vicissim hae partes materiales non sunt partes hominis, nisi ex anima acceperint eum, ad quem tendant, finem, b 31, 32, cf. 10. 1035 b 23. Trend. de an. p. 331. Substantiae dignitatem (1037 a 5: ἡ οὐσία ἡ πρώτη, cf. ad 7. 1032 b 1) in his necessario anima sibi vindicat; corpus substratum est tamquam materia; homo autem, si universe eum dixeris, ex utraque et forma et materia universe concepta coaluit, cf. ad 10. 1035 b 27. *Σωκράτης δὲ καὶ Κορίσκος, εἰ μὲν καὶ ἡ ψυχή, διττόν* a 7. Haec verba obscurius dicta hunc videntur in modum accipienda esse: *εἰ μὴ μόνον τὸ σῶμα λέγεται Σωκράτης, ἀλλὰ καὶ ἡ ψυχή*. Apodosis autem, ut recte interpretatur Alex. p. 484, 11, continetur in v. *διττόν*, i. e. *διττὸν ἔσται ἐξ εἴδους καὶ ὕλης*. *οἱ μὲν γὰρ* (int. *ἐροῦσι τὸν Σωκράτην*) *ὡς ψυχήν, οἱ δ' ὡς τὸ σύνολον*. Sin autem non coniunctim cogitaveris formam cum materia, animam cum corpore, sed simpliciter dixeris hanc animam, hoc corpus, quae universe erat inter animam et corpus ratio, eadem inter hanc unam animam et hoc unum corpus intercedere putanda est, *ὥσπερ τὸ καθόλου*, (int. *οὕτω*) *καὶ τὸ καθ' ἕκαστον*. Particulam *τε*, quam post *καθόλου* et editi libri et scripti ut videntur omnes habent, ex Alexandri auctoritate omisi, flagitante, nisi fallor, ipsa sententiae ratione.

Omisi hucusque in interpretatione ea verba b 32 *περὶ δὲ* — a 5 *νοητή*, quibus Ar. ad mathematicas res definiendas non esse adhibendam materiam docet, quia sententiarum continuitatem importune interrumpunt, quum aptissime inter se cohaereant quae antea, b 32, et quae postea, a 5, disputantur. Ea iusti ordinis perturbatio num ipsius Aristotelis negligentiae sit tribuenda, an, quod voluit Alex. p. 483, 20, editoris incuriae, non possum equidem decernere. — Quae ab initio habemus b 33: *διὰ τί οὐκ εἰσὶ μέρη οἱ λόγοι τῶν λόγων*, admodum negligenter scripta, ex verbis proxime sequentibus hunc in modum apparet intelligenda esse: *διὰ τί οἱ τῶν μερῶν λόγοι οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ τοῦ ὅλου λόγῳ*. — De cogitabili

rerum mathematicarum materia cf. ad 10. 1036a 11; κύκλος καθόλου — καθ' ἕκαστα, cf. 10. 1035a 34 sqq. — a1 καὶ παντὸς κτλ. Quae verba Brand. et Bekk. ex uno cod. Ab in textum receperunt, ea, quoniam interpretationis videntur speciem referre, repetitae fortasse e commentario Alex. p. 483, 30, uncinis secludenda putavi.

1037a 10 πότερον — 20 ὕστερον. Quoniam adhuc de iis notionibus disputavit, quae cum sensibili materia coaluerunt, quaestionem superesse dicit huic disciplinae propriam, num quae sint notiones per se et absolute, cf. Θ 10. Λ; haec enim quaestio quo facilius dirimatur (cf. 3. 1029a 33) de rebus cum materia concretis hucusque disputatum esse, quas investigare physicae potius sit disciplinae. — a17 τῆς κατὰ τὸν λόγον, cf. ad E 1. 1025b 27. — Praeterea quum ex pluribus partibus unam fieri notionem intellectum sit, quaeritur, quomodo hae plures partes unum efficiant, quod proximo capite excutitur; et quum unitatem notionis ex rei unitate repeti consentaneum sit, eadem quaestio de ipsa re oritur. (Ex hac interpretatione et distinctionem a Bekkero institutam a19, 20, et accentum pron. τίνι a20 mutavi.) Eam rem investigat H 6.

1037a 21 τί μὲν — b7 συμβεβηκός. Paucis in memoriam revocat, quae inde a quarto huius libri capite disputata sunt. a21 τί — 22 εἴρηται, cf. cap. 4. — a22 καὶ διὰ τί — 26 συνόλης, cf. cap. 10, 11. — a26 ταύτης — 29 λόγος, cf. 10. 1036a 2 sqq. — a30 ἐκ γὰρ — 33 ὕλη, cf. cap. 5. — a33 καὶ ὅτι — b5 οὐ ταὐτό, cf. cap. 6. — b5 οὐδ' ὅσα — 7 συμβεβηκός, cf. 6. 1031a 19—28. — Quae e textu Bekkeriano mutavi, b1 εἶναι καὶ ἕκαστον, b4 ὕλῃ. b5 οὐδ' ὅσα, ea commendavi Obs. p. 95—97. Pro v. ὅσα, quod b5 inserui, Winckelmann in censura libelli mei (Jahn Jahrb. 1843. 39, 3. p. 288) probabiliorem esse putat articulum τά, ita ut scribatur: οὐδὲ τὰ κατὰ συμβ.

CAP. XII.

Qui fiat ut unum sit id cuius definitio ὁρισμός est.

Definitionis unitatem quoniam repetendam esse dixit ex unitate eius rei quae definiatur, cf. 11. 1037a 19, iam quae-

rit: *διὰ τί ποτε ἕν ἐστιν οὗ τὸν λόγον ὁρισμὸν εἶναί φαμεν* b11 (nimirum non quilibet *λόγος* est *ὁρισμός*, sed latius illius quam huius voc. ambitus patet, cf. 4. 1030a 14); quam quaestionem quod dicit motam esse sed non solutam *ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς*, cf. de interpr. 5. 17a 13. An. post. II 6. 92a 29. — Ac primum quidem duas rationes, quibus explicare quispiam vel definitionis vel rei definiendae unitatem suscipiat, reiicit, partes definitionis ad unitatem coalescere nec *κατὰ πάθος* b14—18, nec *κατὰ μέθεξιν* b18—21. Etenim homo et color albus in unitatem quandam coeunt, quando homo hoc colore est affectus, *ὅταν ὑπάρχῃ καὶ πάθῃ* b16, non coeunt, quando non est affectus; notarum vero in notione unitas extra hanc mutabilem et fortuitam rationem posita est. Nec magis ea unitas est *κατὰ μέθεξιν*. (b18: *ἐνταῦθα δ' οὐ μετέχει κτλ.* Negligentius haec vel scripta sunt vel disputata; ipsa enim verba Ar. eo ducunt lectorem, ut idem esse *κατὰ πάθος* et *κατὰ μέθεξιν* esse putet, quae tamen distincta esse solenni Aristotelis usu constat.) Dicitur enim *μετέχειν τινός* id, quod alterius notionem continet ac recipit, cf. Top. IV 1. 121a 11: *ὅρος δὲ τοῦ μετέχειν τὸ ἐπιδέχεσθαι τὸν τοῦ μετεχομένου λόγον.* VI 6. 143b 14, coll. b21; propterea *τὰ μὲν εἴδη μετέχει τῶν γενῶν, τὰ δὲ γένη τῶν εἰδῶν οὔ*, Top. IV l. l., idemque ad genus et differentiam refertur Top. IV 2. 123a 6: *ἐπὶ πλέον τε γὰρ τὸ γένος τῆς διαφορᾶς δεῖ λέγεσθαι, καὶ μὴ μετέχειν τῆς διαφορᾶς.* Hoc nostro loco generis et differentiarum, ex quibus nimirum confici definitionem sumit, non esse unitatem *κατὰ μέθεξιν*, alia ratione demonstrat, quia ita, quoniam oppositis inter se differentiis genus determinatur, idem genus contraria participaret, b20. Quodsi nihilo secius hanc unitatis explicationem admiserimus, non multum proficimus, ubi in eadem definitione ad determinandum genus plures adhibentur differentiae; eae enim non possunt videri propterea in unitatem coire, quia eidem generi insunt; namque hac ratione, siquidem eidem rei diversissima quaeque inhaerent, ex omnibus unum fieri colligeres, *οὕτω γὰρ ἐξ ἁπάντων ἔσται ἕν* b24.

His igitur rationibus nondum soluta quaestio quum necessario dirimenda sit (*δεῖ δέ γε κτλ.* b24), quoniam *ὁρι-*

σμός utpote substantiae definitio et una et unius rei est descriptio, primum quidem se rem investigaturum dicit in iis definitionibus, quae dividendo et partiendo genere conficiantur, *b*28. Item absoluta disputatione addit: τοσαῦτα εἰρήσθω τὴν πρώτην 1038*a* 35, ut eum ad alium praeterea locum lectores delegare appareat; et conferri quidem potest 13. 1039*a* 22. *H* 6. 1045*b* 23. *Θ* 10, sed nullo ex his locis plane id, quod hic promisit, videtur perfecisse. De conficiendis autem ex divisione generis definitionibus eundem in modum atque hoc loco disputat An. post. II. Top. VI de part. an. I 2, 3; peculiaris metaphysicae disputationi ea est ratio, qua unitatem definitionis explicat.

In definitione nihil continetur aliud nisi genus primum et differentiae, *b*29. Sed quum genus coniunctum cum prima differentia vel cum duabus primis et sic porro iterum genera efficiat, differentiarum numerus maior an minor sit nihil refert; proximum genus si respexeris, ex hoc genere et differentia specifica definitio conficitur, haec igitur duo quomodo in unitatem coalescant quaeritur. Iam vero, quae est potissima Aristotelicae philosophiae a Platonica discrepantia, genus non est praeter suas ipsius species, *a*5, cf. de an. II 3. 414*b* 21 sqq., vel si statuitur esse, tamquam materia esse statuendum est. (Genus quomodo materiae locum obtinere Ar. dicat cf. ad *Δ* 28. 1024*b* 8, de part. an. I 3. 643*a* 24. Quod autem in ipsa forma rei, quae per definitionem describitur, iterum materiam et formam distinguit, perinde est intelligendum, ac si in anima, quamquam ea est ἐντελέχεια corporis organici, tamen in ea ipsa δύναμιν et ἐνέργειαν distinguit. Et quod hic quidem genus materiae locum habere, ultimam vero differentiam ipsam esse rei substantiam dicit, *a* 19, quum alibi genus potissimum idque magis quam differentias aptum esse dicat ad definiendum quid sit res, cf. ad 4 extr., potest ea sententiae diversitas quodammodo vel tolli, ita ut nulla sit, vel certe excusari; etenim primum quidem in definitione ponendum est genus ut habeant differentiae cui inhaereant, sed peculiaris rei natura maxime ultima differentia definitur.) Hanc generis naturam ubi in protasi proposuit et vocis, utpote generis singularum literarum (στοιχεῖα *a* 7, cf. 10. 1035*a* 11) quae ex eo deter-

minentur (*τὰ εἴδη καὶ τὰ στοιχεῖα* a 7, part. *καί* explicandi habet vim, cf. Waitz Org. 93b 26), exemplo illustravit, exspectes Ar. in apodosi concludere, propterea genus et differentias coire in unitatem, cf. *H* 6; at subiunctam potius hanc legimus apodosin: *φανερὸν ὅτι ὁ ὁρισμός ἐστιν ὁ ἐκ τῶν διαφορῶν λόγος* a 8. Nimirum quum genus ad materiae locum depressum definitionis unitati non possit videri obsistere, quaerentes de hac notionis unitate unice ad differentias debebimus attendere; eas si ad unitatem potuerimus redigere, quaestio soluta est. Atque ut u n a m differentiam tamquam formam generi utpote materiae adiungendam esse doceat, duas distinguit notionis per divisionem efficiendae rationes, propriam ac primariam alteram, alteram accidentalem, de part. an. I 2, 3. An. post. II 13. 97a 12. Non licet, ait a 9, ubi descendimus a summo genere ad inferiora, differentias promiscue adhibere, sed *δεῖ διαιρεῖσθαι τὴν τῆς διαφορᾶς διαφοράν*, veluti in exemplo hominis definiendi si quis exorsus a summo genere, animali, ad proximum, *τὸ ὑπόπουν ζῷον*, descenderit, *πάλιν τοῦ ζῴου ὑπόποδος τὴν διαφορὰν δεῖ δ ι ε λ ε ῖ ν ᾗ ὑπόπουν* a 10. (*διελεῖν* enim legendum esse pro vulg. *εἰδέναι* et propter superiora verba, a 9, probabile est et confirmatur auctoritate Alexandri p. 490, 5. Asclepium sane idem iam in textu habuisse quod nunc vulgatur, ex eius commentario cognoscitur, cf. cod. Mon. 298a.) Aliter si quis instituerit generis divisionem, ut accidentales adsciscat differentiae differentias, per ignorantiam verae rationis id fecisse putandus est, *ἀλλὰ διὰ τὸ ἀδυνατεῖν ποιήσει τοῦτο* a 13. Iusta autem ratione quum diviseris summum genus et descenderis usque ad eas differentias, quae dirimi amplius nequeunt (*τὰ ἀδιάφορα* a 16), proxima quaeque differentia superiores in se continet, ut eas saepius enumerare nihil attineat, atque in extrema differentia ipsa cernitur rei substantia. Unitas igitur notionis extra omnem dubitationem posita est. Sin ab hac dividendi ratione discesseris et ad distinguendam differentiam quandam fortuito (*κατὰ συμβεβηκός* a 26) alias adsciveris, quibus non ipsa illa differentia distinguatur, tum sane notio ex tot composita erit differentiis, quoties distinxeris, *καὶ τούτων τῆς τελευταίας κ α τ ά γ ε τὸ ὀ ρ θ ό ν* a 30, i. e. si rectam illam et propriam insti-

tueris dividendi rationem, tum non alia nisi extrema differentia ad definiendam notionem est adhibenda[1]. Superfluum esse, alias praeterea adsciscere, facile apparet (*δῆλον δ' ἂν εἴη κτλ.* a 30), si quis notas notionis in alium transposuerit ordinem, veluti non *ζῷον ὑπόπουν δίπουν*, sed *ζῷον δίπουν ὑπόπουν*. Atqui ita transponere notas licet, quoniam *τάξις οὐκ ἔστιν ἐν τῇ οὐσίᾳ* a 33. In invenienda quidem notione certo quodam ordine a summo genere ad inferiora descendendum est, cf. An. post. II 13. 97a 25: *καὶ ταῦτα τάξαι τί πρῶτον ἢ δεύτερον*, ad ipsam notionem definiendam non pertinet illud dignitatis discrimen, ut unum prius sit alterum posterius.

CAP. XIII.

***Universale non esse substantiam* — 1039a 14; *inde consequens esse, ut substantia quaelibet simplex sit* — a 23.**

1038b 1 *ἐπεὶ* — 9 *λεγομένων*. Ex quatuor illis, quas ab initio proposuit, substantiae significationibus, 3. 1028b 34: *τὸ τί ἦν εἶναι καὶ τὸ καθόλου καὶ τὸ γένος — καὶ τὸ ὑποκείμενον*, quoniam tres pertractavit, *τὸ ὑποκείμενον, τὸ τί ἦν εἶναι, τὸ γένος*, quarta restat quae inquiratur, *τὸ καθόλου*. (Haec quum sit sententiarum ratio, distinguendum esse commate post *τούτων*, nec, quod fecit Bekkerus, post *τί ἦν εἶναι* apparet. Ceterum Aristoteles tria illa, *τὸ τηε, τὸ γένος, τὸ ὑποκείμενον*, non plane ita ut supra enumeravit, hic in memoriam revocat, sed omisso genere addit *τὸ ἐκ τούτων*: nimirum *τὸ γένος* explicuit ubi exponit *τὸ τηε*, sed cum substrato et notione coniunxit id quod ex utroque coniuncto oritur, rem concretam. — b 6 *διχῶς ὑπόκειται*, cf. ad *Δ* 2. 982a 23.) Et quoniam Platonici (*δοκεῖ — τισιν* b 7) universale pro substantia posuerunt (cf. *Λ* 1. 1069a 26).

1) Errare Aristotelem, quod in conficienda per generis partitionem definitione iubet *τὴν τῆς διαφορᾶς διαφορὰν διαιρεῖσθαι*, satis est apertum; possunt etiam differentiae plures, quae ad eandem pertinent notionem definiendam, ex diversis generis dividendi rationibus petitae esse et tamen ad definiendam notionem perinde esse necessariae, quamquam inter se sane coniunguntur *κατὰ συμβεβηκός*. Sed is error prope necessarius videtur, ut ex illa materiae et formae distinctione id quod vult, unitatem dico notionis, possit explicare.

ideas dico, illud praecipue quaerendum est, verene universale substantiae habeat dignitatem. Non esse autem universale substantiam compluribus deinceps rationibus comprobat, quae quum omnes deinceps enumeratae sint quasi singulae per se vim habeant demonstrandi, partim tamen ex aliis demum hanc concludendi vim adsciscunt.

a) *b* 10—15. Proficiscitur ab ea substantiae notione, ex qua substantia est τὸ τί ἦν εἶναι. Hoc enim significari voc. πρώτη οὐσία, cognoscitur coll. *b* 17, 14 et ad 7. 1032*b* 1. Iam vero substantia hoc sensu peculiaris est ei rei, cuius est substantia; universale vero eam habet naturam, ut de pluribus pariter praedicetur (cf. An. post. I 4. 73*b* 26. de part. an. I 4. 644*a* 27); ergo consequitur, ut universale non sit substantia, nisi forte statuere volumus, plura notione ac natura inter se diversa nihilo minus esse unum. (*b* 14: ὧν γὰρ μία ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ἕν, καὶ αὐτὰ ἕν. Comma ponendum est post ἕν, non cum Brand. Bekk. post οὐσία. Hoc enim demonstrare studet, plures res fore unum, si quis universale substantiam esse ponat; atque τὸ τί ἦν εἶναι explicandi causa ad οὐσία appositionis loco additum est.)

b) *b* 15, 16. Substantia est τὸ ὑποκείμενον πρῶτον, 3. 1029*a* 1, sive τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένου ἀλλὰ καθ' οὗ τὰ ἄλλα, 1029*a* 8, cf. ad h. l., universale vero necessario de subiecto aliquo praedicatur, καθ' ὑποκειμένου: ergo universale non est substantia.

c) *b* 16—1039*a* 2. Proxima tria argumenta, — 23, — 29, — 30, ut iustam habeant demonstrandi vim, in unum videntur coniungenda esse. Initium autem argumentationis perplexius est; videtur enim Ar., si recte haec verba intelligo, inchoare ratiocinationem ac statim ut non satis certam omittere. Posuimus, ait, ab initio substantiam esse ipsum τὸ τί ἦν εἶναι et ex eo universale non posse esse substantiam collegimus; iam ponamus universale inesse in τῷ τῆς, veluti animal inesse in substantia hominis. Atqui animalis iterum est definitio, in qua quae continentur, ea tamquam καθόλου ὑπάρχοντα inesse item oportebit in substantia animalis, et sic porro; oportebit igitur, hoc si quis statuerit, in infinitum abiri. Talem fere argumentationem Aristotelem suspicor in mente habuisse, sed omisisse, quia obiici

posset, non esse omnium τῶν ἐν τῇ οὐσίᾳ, *b*20, definitionem. Quod licet concesserimus, ait *b*19, tamen sicuti homo est substantia hominis, ita animal substantia erit cuiuspiam, cui tamquam peculiare tribuitur, id est autem animalis. (*b*22: ἔσται γὰρ ἐκείνου οὐσία, οἷον τὸ ζῷον, ἐν ᾧ ὡς ἴδιον ὑπάρχει, construe: ἔσται γὰρ (int. τὸ καθόλου), οἷον τὸ ζῷον, οὐσία ἐκείνου, ἐν ᾧ ὡς ἴδιον ὑπάρχει. Atque ὡς ἴδιον animal tribuitur non homini, sed ipsi animali.) Atque omnino fieri non potest, ut, si substantia aliqua, veluti homo, composita est ex partibus, veluti animali al., hae partes ex inferiore sint genere quam ipsa substantia, *b*23—29. (*b*27 οὔτε λόγῳ — 29 χωριστά, cf. cap. 1.) Ergo substantiae unius cuiusdam hominis, veluti Socratis, ex his rationibus plures inesse oporteret (ἐνυπάρξει *b*29, futurum conditionale, cf. ad 8. 1033*b* 11) substantias, ipsumque Socratem esse plures substantias, *b*29, 30. Consequens igitur est, si, quae ipsius est Aristotelis sententia, hominem et alia huiuscemodi substantias esse volumus, ut nulla ex partibus definitionis, μηθὲν τῶν ἐν τῷ λόγῳ *b*31, substantia sit, neque vel per se exsistat vel in alio quopiam (ἐν ἄλλῳ *b*32, ἤτοι τῇ ἰδέᾳ Alex. p. 494, 17), sed unice qualitatem substantiae definiat, τοιόνδε 1039*a* 2, cf. *B* 6. 1003*a* 9. *Z* 8. 1033*b* 21. Cat. 5. 3*b* 19: τὸ δὲ εἶδος καὶ τὸ γένος περὶ οὐσίαν τὸ ποιὸν ἀφορίζει, cf. Trendel. Kat. p. 55 sqq. — *b*30 ὁ ἄνθρωπος καὶ ὅσα οὕτω λέγεται. Alex. p. 494, 7 dici putat τὸν μερικὸν καὶ ἄτομον. Quod licet non contendam non posse verum esse et confirmari videatur Cat. l. l., tamen si id significare voluisset Aristoteles, exspectes eum dicturum fuisse: ὁ τὶς ἄνθρωπος sive: Καλλίας, Σωκράτης al. Quare haud scio an voc. ἄνθρωπος κτλ. significare voluerit τὰ ἔσχατα καὶ ἄτομα εἴδη, cf. de part. an. I 4. 644*a* 23: ἐπεὶ δ' οὐσίαι μέν εἰσι τὰ ἔσχατα εἴδη, ταῦτα δὲ κατὰ τὸ εἶδος ἀδιάφορα.

d) 1039*a* 2, 3. Qua ratione ideas non esse demonstratur, eadem substantialis universalium dignitas refutari potest. ὁ τρίτος ἄνθρωπος, cf. ad *A* 9. 990*b* 17.

e) *a*3—13. Substantia quoniam est actu, nec solum potentia, si universalia in singulis vel rebus vel speciebus individuis (cf. ad 1038*b* 30) tamquam substantias inesse sta-

tueremus, necesse esset, ex pluribus substantiis, quae actu sint, unam fieri substantiam. At id fieri nequit, *ἡ γὰρ ἐντελέχεια χωρίζει* a 7, i. e. *ἡ ἐντελέχεια* ita est definita et a reliquis distincta, ut non, quae est *δυνάμεως* natura, aliam insuper vel definitionem vel compositionem in se recipiat, cf. Trendel. de an. p. 302. Ad confirmandam hanc sententiam Democriti placitum adhibet, quamquam is, quod non fieri unam substantiam ex duabus dixit (cf. de coelo III 4. 303a 6. de gen. I 8. 325a 35), aliam cogitavit substantiae naturam, nimirum individua corpuscula, *τὰ ἄτομα*, substantias appellavit, cf. Mullach Democr. p. 387. — a 6 *ἡμίσεων δυνάμει γε*. Eodem *τῆς ἡμισείας* exemplo utitur Ar. ad illustrandum *τὸ δυνάμει ὄν* *Θ* 6. 1048a 33.

1039a 14 *ἔχει* — 23 *μᾶλλον*. His rationibus invitus eo adigitur Aristoteles ut substantiam simplicem esse neque ullis ex partibus compositam confiteri debeat, siquidem neque ex substantiis, 1039a 2—13, neque ex affectionibus, 1038b 30 sqq., potest esse composita. Quod si ita est, definiri substantia non potest; definitio enim constat ex partibus, et adsciscendae quidem in definitionem eae sunt partes, quae ipsius sunt formae ac substantiae partes, cap. 10, 11. Atqui substantiam vel solam vel potissimum definiri posse, antea est expositum, *ἐλέχθη πάλαι* a 19, cf. cap. 4. 5. 1031a 11. Eam repugnantiam postea se soluturum promittit. Ac videtur quidem proximo libro, *H* 6, ad eam redire, sed plane eam illic solvisse non potest putari.

CAP. XIV.

Quae hucusque disputata sunt, ad refutandam Platonicam de ideis doctrinam convertuntur.

Quae antea exposuit, definitionem componi ex genere et differentia cap. 12, universale non esse substantiam nec componi substantiam ex substantiis cap. 13, ea, ut proxime pertinent ad iudicandam Platonis doctrinam de ideis, iam ad eam refellendam Aristoteles convertit, ita tamen, ut hanc doctrinam eatenus tantum excutiat, quatenus ex illis propositionibus refelli potest. Hoc in ipso refutationis exordio significat, quum dicit: propterea idearum patronos in absur-

dum incidere quia ideas seorsim ac per se esse ponant, et simul tamen speciem ex genere et differentiis componant a 25, quae nimirum repugnare inter se ex superiore disputatione apparet. Sed non sufficere ratus Aristoteles hanc internam repugnantiam monstrasse, rem amplius per dilemma persequitur. Si species, ait, re vera sunt (ἔστι a 27 scripsi ut significetur exsistentia; his enim verbis priorem doctrinae partem describit: τὰς ἰδέας λέγουσιν οὐσίας τε καὶ χωριστὰς εἶναι a 25), et si praeterea idea animalis et in hominis et in equi idea invenitur (his altera significatur placitorum pars: καὶ ἅμα τὸ εἶδος — διαφορῶν a 25), duplex admitti potest id cogitandi ratio. Etenim ideam animalis quae in variis inest animalium speciebus, aut ponunt numero unam et eandem esse, aut numero plures; notione enim eam unam esse apparet, a 29, itemque manifestum est eam esse substantiam, siquidem ex ea ut parte exsistit substantia hominis, a 31. Utrum vero a Platonicis poni sumpserimus, pariter in absurda incidimus.

a) 1039 a 33 — b 6. Sumamus idem esse numero animal in diversis animalium ideis; inde consequens est, ut quod idem est numero, id in diversis et seiunctis a se invicem exsistat, quod non minus est absurdum, quam si idem a se ipso seiunctum esse statuas. Nec vero potest, quod necessario requiritur ad stabiliendam hanc sententiam, idem participare contraria, qualia sunt αἱ ἀντιδιῃρημέναι διαφοραί. cf. ad 12. 1037 b 19. Et quaecunque denique ex similitudine rerum sensibilium fingi possunt rationes (σύγκειται, ἅπτεται, μέμικται b 6, cf. H 6. 1045 b 7 sqq.), eae omnes perinde sunt absurdae.

b) 1039 b 7 — 16. In refellendo altero dilemmatis membro videtur quidem Ar. plura proponere argumenta (cf. ἔτι b 9, 11, 14), sed re vera partes eae sunt unius argumentationis, quae coniunctae demum id quod vult Ar. evincunt. — Ponamus, ait, diversas numero esse ideas animalis, quae sunt in idea hominis equi al., ἀλλ' ἕτερον ἐν ἑκάστῳ b 7, intέστω τὸ εἶδος. Atqui manifestum est (οὐκοῦν b 7) innumerabiles prope (ὡς ἔπος εἰπεῖν, cf. ad A 1. 980 a 25) esse eas animalium species, quarum ipsa substantia in idea animalis continetur, siquidem animal non potest pro accidente

haberi hominis equi similium. Nec solum illae species animalium plures sunt, sed ipsa idea animalis in multitudinem abeat necesse est, πολλὰ ἔσται αὐτὸ τὸ ζῷον b 9. Nam (τε γάρ b 9, part. τε referenda est ad part. καὶ ἔτι b 11) id animal, quod in cuiuslibet animalis definitione continetur — et ea quidem multa ac diversa numero esse sumpsimus b 7 —, eius est substantia (οὐ γὰρ κατ' ἄλλο λέγεται b 10, int. ἕκαστον, i. e. ἑκάστου ζῴου οὐκ ἔστιν ἄλλο γένος καὶ οὐσία, ἢ αὐτὸ τὸ ζῷον. cf. de vi praep. κατά ad Α 6. 987 b 9: εἰ δὲ μή, i. e. εἰ δὲ κατ' ἄλλο λέγεται ἕκαστον, ἐξ ἐκείνου, καθ' ὃ λέγεται, ἔσται ὁ ἄνθρωπος, καὶ γένος αὐτοῦ ἐκεῖνο, int. ἀλλ' οὐ τὸ ζῷον. igitur tum exemplum quidem, quo utimur mutandum esset, si animal non poneremus esse genus hominis, res ipsa non mutaretur); atque partes, ex quibus idea aliqua constat, veluti hominis idea in se continet τὸ ζῷον, τὸ δίπουν al., et ipsas ideas esse oportet, nec potest quidquam alius esse substantia, alius idea. Ita quum appareat, ipsam animalis ideam multitudinem in se continere, quaerendum est, si ipsam sequimur Platonicorum rationem, ἐκ τίνος τοῦτο; int. τὸ ἐν ἑκάστῳ ζῴῳ ὂν αὐτὸ ζῷον. Nimirum ex eo, quod ponitur unum esse, αὐτοζῴῳ. At quomodo ex eo cogitari potest exsistere ideas illas animalis plures et inter se distinctas? Haec sententia videtur inesse debere his verbis b 15: καὶ πῶς ἐξ αὐτοῦ ζῴου; quae licet ita possit inde repeti ut αὐτοῦ idem esse dicamus, quod antea per pron. τίνος significatum erat, et ζῷου singularem animalis ideam, facilius tamen apta sententia exsistet, si cum codd. *EST* edd. Ald. Sylb. Bess. αὐτοῦ ζῴου vel cum Alex. p. 498, 6 et v. l. cod. *E* αὐτοζῴου scripserimus. — Eandem difficultatem sequentibus proxime verbis alia ratione significat; antea quaesivit, quomodo ex αὐτοζῴῳ exsistant singulae specierum animalium ideae; iam quaerit, qui possit alterum iuxta alterum seorsim exsistere: ἢ πῶς οἷόν τε εἶναι τὸ ζῷον ὃ οὐσία, τοῦτο αὐτὸ παρ' αὐτὸ τὸ ζῷον. Verba τοῦτο αὐτό, ut nunc textus et exhibetur et distinguitur, admodum sunt languida; nisi fallor lenissima mutatione scribendum est: ἢ πῶς οἷόν τε εἶναι τὸ ζῷον (int. τὸ ἐν ἑκάστῳ ζῷον), ᾧ (sive οὗ) οὐσία τοῦτο αὐτό (int. τὸ ζῴῳ εἶναι, cf. b 8), παρ' αὐτὸ τὸ ζῷον.

Quae hactenus disputata sunt, ad ipsarum idearum inter se rationes pertinent; novas insuper accedere difficultates, si idearum ad res sensibiles rationem respexerimus, quoniam facile est intelligere, significasse Ar. satis habet b 16, 17.

CAP. XV.

***Res singulae non admittunt definitionem, sive eae sensibiles sunt* — 1040a 7, *sive cogitabiles, quemadmodum ideae Platonicae* — 1040b 4.**

Haec quaestio quomodo cohaereat cum consilio universae huius disputationis, quamquam Ar. non significat, non difficile tamen est cognoscere. Quaerit enim in hoc libro *τί ἐστιν ἡ οὐσία*, c. 1, 2, ac semota primum materia, c. 3, substantiae dignitatem tribuendam docet *τῷ τί ἦν εἶναι* eamque rem variis modis pertractat, c. 4—12. Tum ad ea convertitur, quae cum aliqua veritatis specie dignitatem substantiae sibi vindicare videantur; itaque primum universalia non esse substantias demonstrat, c. 13, 14, deinde nec res singulas, c. 15, nec partes rerum singularum sensibilium, c. 16 init., substantiarum loco habendas esse comprobat, denique ne summis quidem *τοῦ ὄντος* et *τοῦ ἑνός* notionibus essentiam tribuendam docet, c. 16 extr. Ita ubi negativis rationibus ea confirmavit, quae de substantia antea exposuit, ad ipsam quaestionem redit, c. 17, et aliunde exorsus denuo quid sit substantia ostendit.

Hoc autem capite non id ipsum demonstrat, res singulas non esse substantias, sed rerum singularum non esse definitionem neque scientiam; nimirum quum substantiae vel unice vel potissimum esse definitionem demonstratum sit c. 4, hoc si comprobat, illud simul est comprobatum.

1039b 20 *ἐπεὶ δ'* — 1040a 7 *ὁρίσασθαι.* Orditur a distinctione et alias saepissime et aliquoties hoc ipso in libro proposita (cf. 3. 1029a 5. 10. 1035a 6, 21, b 22. et ad B 4. 999a 33) rei concretae ab eius notione sive forma, *ἡ μὲν — οὐσία σὺν τῇ ὕλῃ συνειλημμένος ὁ λόγος, ἡ δ' ὁ λόγος ὅλως.* (Voc. *ὅλως* quum suam vim habeat in complectendo notionis alicuius ambitu, cf. ad Α 9. 990b 17. Trend. de an. p. 205, dubito num ferri hoc loco possit, quoniam nihil est

complectendum, sed seiungendus potius ὁ λόγος ab iis quae non sunt λόγος, praecipue a materia. Propterea, quamquam Alexander manifesto ὅλως in textu habuit p. 499, 2, tamen illud suspicor aut omittendum esse cum cod. *A*b, ut quod facile potuerit ex antecedentibus vocabulis ὁ λόγος per errorem iteratis oriri, aut mutandum in αὐτός vel ἁπλῶς.) Non formam fieri, sed rem concretam, *b*22—27, supra est demonstratum c. 8; concreta autem res generationi propterea est obnoxia, quia materiam in se continet, cuius natura ipsa est mutabilis. Iam vero et scientia et demonstratio et definitio earum est unice rerum, quae nullam admittunt naturae mutationem, τῶν ἀναγκαίων *b*31, cf. ad *E* 2. 1027*a* 20; ergo rerum sensibilium non est definitio. (*b*31 ἥ τ' ἀπόδειξις τῶν ἀναγκαίων καὶ ὁ ὁρισμὸς ἐπιστημονικός, int. ἐστιν: respondent sibi invicem τῶν ἀναγκαίων εἶναι et ἐπιστημονικὸν εἶναι, quia ipsa ἐπιστήμη est τῶν ἀναγκαίων. — De notione voc. δόξα cf. ad *Θ* 10. 1051*b* 14 et ad *B* 2. 996*b* 28. Waitz Org. 43*a* 39.) Etenim si quis rem sensibilem definierit eamque definitionem integram et immutatam servaverit, interpellata interim sensuum perceptione ignorabit, utrum eadem definitio etiamtum cum re concinat, 1040*a* 2—5, cf. 10. 1036*a* 6 et Top. V 3. 131*b* 21: ἅπαν γὰρ τὸ αἰσθητὸν ἔξω γινόμενον τῆς αἰσθήσεως ἄδηλον γίνεται· ἀφανὲς γάρ ἐστιν εἰ ἔτι ὑπάρχει, διὰ τὸ τῇ αἰσθήσει μόνον γνωρίζεσθαι. An. pr. II 21. 67*a* 39. Quare quod ad definitionem attinet (*a*6 τῶν πρὸς τὸν ὅρον, gen. neutr. esse arbitror, non masc., ut voluit Alex. p. 500, 3: τῶν πρὸς ὅρον τινὸς πραγματευομένων), si quis res singulas sensibiles definire susceperit, nunquam debebit oblivisci, nihil esse firmi in eiusmodi definitione, sed eam semper tolli posse.

1040*a* 8 οὐδὲ δὴ — *b*3 εἰρημένον. Ideas Platonicas non posse definiri, cur hoc potissimum loco comprobet, ipse Ar. significat; hoc enim cum rebus sensibilibus habent commune, quod et ipsae sunt καθ' ἕκαστον καὶ χωρισταί *a*9.

a) *a*9—22. Qui definire susceperit ideam, nominibus usitatis, κειμένοις *a*11, utatur oportet, ne in iustam obscuritatis reprehensionem incurrat, cf. Top. VI 2. 140*a* 3. At usitata nomina, veluti animal, bipes al., quoniam omnibus ex ambitu eiusdem generis communia sunt, non sufficiunt ad

circumscribendam u n a m numero ideam. Sed dixerit quispiam, ea nomina, quibus quis utatur ad definiendam aliquam ideam, singula quidem per se latius patere, sed coniuncta hanc unam circumscribere ideam. Id ipsum iisdem prope verbis Aristoteles necessarium dicit esse ad conficiendas notiones An. post. II 13. 96*a* 32: *τὰ δὴ τοιαῦτα* (int. *τὰ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενα*) *ληπτέον μέχρι τούτου, ἕως τοσαῦτα ληφθῇ πρῶτον, ὧν ἕκαστον μὲν ἐπὶ πλεῖον ὑπάρξει, ἅπαντα δὲ μὴ ἐπὶ πλέον· ταύτην γὰρ ἀνάγκη οὐσίαν εἶναι τοῦ πράγματος.* Iam quum in hac lege illic acquiescat, ubi de notionis definitione agitur, non item hoc loco quum de idearum definitione disputat, consentaneum est hanc discrepantiam repetendam esse ex eo discrimine, quod ideas inter et notiones intercedit, nimirum quod illae sunt *καθ' ἕκαστον* et *χωρισταί*, hae vero non. Et unam quidem causam, quod sunt *καθ' ἕκαστον*, manifesto respicit in extrema argumentatione *a*27—*b*4, alteram autem, quod sunt *χωρισταί*, in hac prima argumentatione videtur cogitasse, cf. *a*18—22 sed, si recte Aristotelis mentem assequor, ambiguitate quadam dicendi deceptus est. Hoc enim dicit *a*14: *εἰ δέ τις φαίη χωρὶς μὲν πάντα πολλοῖς, ἅμα δὲ μόνῳ τούτῳ ὑπάρχειν, λεκτέον πρῶτον μὲν ὅτι καὶ ἀμφοῖν, οἷον τὸ ζῷον δίπουν τῷ ζῴῳ καὶ τῷ δίποδι.* Ambiguitas verbi *ὑπάρχειν* videtur fraudem fecisse. Nimirum notum est *ὑπάρχειν τινὶ* eodem fere sensu dici ac *κατηγορεῖσθαι κατά τινος*, et eo quidem sensu usurpatum est, quum dicitur: *τὸ ζῷον δίπουν ὑπάρχει μόνῳ τούτῳ, οἷον τῷ ἀνθρώπῳ*, i. e. animal bipes non de alio praedicatur, nisi de homine. Eam si tenemus vim verbi, genus *ὑπάρχει* speciebus, non species generi (cf. Cat. 5. 2*b* 20), igitur *ζῷον* et *δίπουν* dicenda sunt *ὑπάρχειν τῷ δίποδι ζῴῳ*, nec potest dici *τὸ ζῷον δίπουν ὑπάρχειν τῷ ζῴῳ καὶ τῷ δίποδι.* Quod quum nihilo minus contendat Aristoteles, commutatam esse apparet vim voc. *ὑπάρχειν*, ut non significet esse in complexu (*Inhalt*) alicuius notionis, sed contineri in eius ambitu (*Umfang*), quod alibi v. *μετέχειν* significatum legimus, cf. Top. IV 1. 121*a* 12: *τὰ μὲν εἴδη μετέχει τῶν γενῶν, τὰ δὲ γένη τῶν εἰδῶν οὔ.* — Haec si vere disputata sunt, non iniuria fallaciam argumentandi videbor incusasse. Iam vero quoniam in animali bi-

pede distinxit animal et bipes, ut recte dici possit τὸ ζῷον δίπουν ὑπάρχειν τῷ ζῴῳ καὶ τῷ δίποδι, utrumque et genus et differentiam per se et absolute (χωριστόν a 19) ponendum esse demonstrat, si omnino ponantur ideae. Ratiocinatio eadem fere est atque ea, quam habemus 14. 1039b 11, 12. Verba ipsa non satis sunt plana; etenim a 21 εἶθ' ὅτι πρότερα τῷ εἶναι, non videtur per part. εἶτα nova afferri ratio, siquidem eandem iam habemus a 18. Dubito an scriptum fuerit: εἰ δ' ἔσται (int. τὸ γένος παρὰ τὰ εἴδη), καὶ ἡ διαφορὰ ἔσται, ὅτι πρότερα (int. τὸ γένος καὶ ἡ διαφορά) τῷ εἶναι, ταῦτα (an αὐτά?) δὲ οὐκ ἀνταναιρεῖται. Apud Alex. p. 501, 34 nullum certe reperio voc. εἶτα vestigium. Ceterum cf. Top. VI 4. 141b 28: συναναιρεῖ γὰρ τὸ γένος καὶ ἡ διαφορὰ τὸ εἶδος, ὥστε πρότερα ταῦτα τοῦ εἴδους. K 1. 1059b 38: συναναιρεῖται τοῖς γένεσι τὰ εἴδη. Quo sensu hic et alibi, veluti Cat. 7b 37. 8a 4, v. συναναιρεῖν usurpatum est, eundem fere h. l. habet ἀνταναιρεῖν.

b) a 22—27. Quae ad definiendam aliquam ideam adhibentur, ea, utpote simpliciora, et ipsa sunt pro ideis habenda; eaque et praedicari oportet de pluribus et ab iis, quae est idearum natura, participari (πᾶσα ἰδέα μεθεκτή a 27). Huius argumentationis vim equidem non perspicio; videtur Ar. eam respicere repugnantiam, de qua dictum est ad 14. 1039a 25, quod ideae et universales sint notiones, a 25 ἐπὶ πλειόνων κατηγορῆσαι, 26 μεθεκτή, et seiunctam tamen et absolutam habeant exsistentiam. — Pro v. ἔπειτα Alex. p. 502, 6 diserte testatur se habere ἔτι: utrum genuinum sit, non multum refert. Sed idem Alexander non videtur part. εἰ a 22 in textu habuisse, ut haec videatur legisse: ἔτι δὲ ἐξ ἰδεῶν αἱ ἰδέαι· ἀσυνθετώτερα γὰρ τὰ ἐξ ὧν. ἔτι ἐπὶ πολλῶν κἀκεῖνα κτλ. Et ea quidem lectio est sane cur vulgatae praeferatur; in vulg. enim lectione inter protasin et apodosin enunciati conditionalis quae intercedat ratio, difficile est dicere, et offendit legentes part. ἔτι in medio posita enunciato, qua fere novam argumentationis partem ordiri Ar. solet.

c) a 27—b 4. Ut idearum non esse definitionem demonstret, aptissimum, vel potius unice aptum argumentum extremo loco affert. In definiendis notionibus is videtur satis

fecisse, qui neque addiderit notas, quibus omissis non mutatur notio, neque omiserit, quae ad eam necessario requiruntur. Ad ideas definiendas idem non sufficit, propterea quia idea quaelibet est una, *καθ' ἕκαστον*. Iam si quis ideam definivit, notionem quidem circumscripsit, at eidem notioni nihil impedit quominus plura subiiciantur. — Summa igitur rei haec videtur esse. Definitio notionem circumscribit; notio quaelibet est *καθόλου* et potest certe habere ambitum aliquem; ergo res singulae, quatenus sunt singulae, sive sensibiles sive cogitabiles, non possunt definitione includi. — De addito voc. *ἀεί* *a* 32 cf. Obs. p. 98.

CAP. XVI.

***Animalium partes non esse actu substantias* — 1040*b* 16 *Ens et unum non esse substantias* — *b* 26. *Quid fraudi fuerit Platonicae de ideis doctrinae* — 1041*a* 5.**

Quomodo hae quaestiones pertineant ad universum disputationis consilium, significatum est ad c. 15 init.

1040*b* 5 *φανερὸν* — 16 *πήρωσις*. Multa, quae videntur actu substantiae esse, non actu, sed potentia sunt substantiae. Veluti partes animalium non possunt recte cogitari seiunctae ab eo opere, quod iis est proprium, cf. 10. 1035*b* 17: *ἕκαστον τὸ μέρος ἐὰν ὁρίζηται καλῶς, οὐκ ἄνευ τοῦ ἔργου ὁριεῖται, ὃ οὐχ ὑπάρξει ἄνευ αἰσθήσεως*. Itaque licet substantiarum speciem referre videantur, tamen non sunt per se, sed coniuncta demum ita, ut totum corpus efficiant, opus suum exsequuntur. Si vero disiunctae et quasi disiectae sunt partes, veluti manus pedes al., materiae vicem tenent; eadem enim ratione ad corpus totum referuntur, ac terra aër ignis ad carnes vel ossa ex iis composita. Comparari possunt cum *σωρῷ χρυσίνων ἢ καττιτερίνων τεγμάτων*, cf. Alex. p. 504, 21, qui accedente demum ignis vi in unum coalescit; pariter enim accedente demum anima ad unitatem perveniunt. — Quodsi quibus partibus substantiae dignitas tribuenda sit, praecipue vel animae quaedam partes (cf. de an. II 2. 413*b* 13) vel partes eorum animalium, quae dissecta etiam aliquamdiu vivunt (cf. de an. III 10. 433*b* 22. Trend. ad h. l. de motu an. 1. 698*a* 18—*b* 1. phys.

min. 467a 19. 468a 26, b 9. 479a 3. de part. an. IV 6. 682b 30. de inc. an. 6. 707b 2), hoc sibi vindicare videantur, ut utrumque esse censeantur, et potentia substantiae, quoniam cum toto corpore coniunguntur, et actu, quia per se possunt esse. At si totum illud, cuius ipsae partes sunt, ex lege naturae, neque ex vitio quodam naturae (b 16 πήρωσις, cf. ad 9. 1034b 4) unum est, potentia potius quam actu substantiae esse putandae sunt.

b 6 τά τε μόρια. Particulae τε, mutata paulum constructione, deinde opponitur μάλιστα δὲ b 10, cf. Θ 3. 1046b 33, 35. Hartung Partik. I. p. 197. — b 8 post πάντα comma omisi, quia part. ὡς etiam ad vv. καὶ γῆ κτλ. referenda est: partes si seiunctae sunt, ne tum quidem sunt substantiae, sed entia sunt tamquam materia et tamquam aër terra ignis. — b 9 σωρός quod recepi, et codd. auctoritate commendari arbitror et frequenti Aristotelis usu, cf. 17. 1041b 12. *H* 3. 1044a 4. 6. 1045a 9. *M* 8. 1084b 22. — b 12 post γίγνεσθαι comma omisi, quia enunciatum sic puto construendum esse: γίγνεσθαι πάρεγγυς ἄμφω ὄντα καὶ ἐντελεχείᾳ καὶ δυνάμει, quasi dicat: γίγνεσθαι σχεδὸν ὄντα ἀμφοτέρως καὶ ἐντ. καὶ δ.

1040b 16 ἐπεὶ — 27 χωρίς. Ens et unum, quae maxime universe de omnibus rebus praedicantur (cf. *B* 3. 998b 21. 4. 1001a 21. *I* 2. 1053b 20), si essent rerum substantiae, consequens esset, ut omnia essent unum. Eadem ratione omnino universale non esse substantiam docet 13. 1038b 14; cf. de ente et uno ad *B* 3. 998b 14 sqq. — b 19 τὸ στοιχείῳ εἶναι κτλ. cf. *I* 1. 1052b 11. — Propius τὸ ἓν et τὸ ὂν ad dignitatem substantiae accedere quam τὸ στοιχείῳ εἶναι, τὸ ἀρχῇ εἶναι, propterea videtur contendere, quia illa ad ipsam rei essentiam, haec ad eius relationes pertineat. — b 20 τίς οὖν ἡ ἀρχή — ἀναγάγωμεν, cf. *B* 4. 1001a 13.

1040b 27 ἀλλ' οἱ — 1041a 5 δῆλον. Si qua est substantia, ea per se ac seorsim exsistere censenda est; quare idearum auctores, quum substantias esse vellent praeter res sensibiles, id probe perspexerunt, seiunctam et absolutam essentiam iis esse tribuendam, id autem peccarunt, quod in generibus rerum has substantias sibi videbantur invenisse, quae, utpote universalia, substantiarum in numero nequeunt haberi. Delati autem in hunc sunt errorem eo, quod quum

describere cuperent, quae et quales essent illae substantiae nihil poterant aliud invenire, nisi sensibilium rerum notiones et genera, quae exemta e mutabilitate imbuere idearum aeternitate sibi videbantur, cf. ad *B* 2. 997*b* 12. — *b*34 τὸ ῥῆμα, non peculiari illo sensu usurpatum est ut sit τὸ προσσημαῖνον χρόνον, de interpr. 3. 16*b* 6, sive φωνὴ — σημαντικὴ μετὰ χρόνου poët. 20. 1457*a* 14, sed ut universe significet vocabulum, cf. de interpr. 10. 20*b* 1.

CAP. XVII.

Quid sit substantia rerum sensibilium docetur, adhibita ad demonstrationem notione causae; esse eam formam rei — 1041*b* 10, non elementum rei — *b* 33.

Reiectis iis rebus, quae dignitatem substantiae videantur affectare, nec tamen sint substantiae (cf. ad c. 15 init.), iam rediens ad quaerendum, quid sit substantia, aliud ponit quaestionis principium (ἄλλην οἷον ἀρχὴν ποιησάμενοι cf. quas similes formulas, Aristoteli usitatas, collegit Waitz Org. 93*a* 16). Et eam quidem quaestionem quamquam unice nunc ad res sensibiles refert, tamen inde redundaturum aliquid sperat ad investigandam eam substantiam, quae ab omni sensuum perceptione seiuncta sit.

1041*a* 9 ἐπεὶ — *b* 10 τοιούτων. Quoniam substantia inter principia et causas referenda est (cf. *A* 3), a notione causae Ar. proficiscitur. In investiganda autem causa duo requiri censet. Primum enim, antequam quid sit res possimus quaerere, esse eam (τὸ ὅτι καὶ τὸ εἶναι *a* 15) constare oportet; deinde quaestio de causa non refertur ad rem simplicem, sed ζητεῖται τὸ διὰ τί ἀεὶ οὕτως, διὰ τί ἄλλο ἄλλῳ τινὶ ὑπάρχει, *a* 11, i. e. quaeritur cur huic substrato haec insit qualitas vel huic subiecto hoc tribuendum sit praedicatum. Et illud quidem expositum est An. post. II 8, hoc apagogica demonstratione comprobat; scilicet si quaereretur cur homo sit homo, alia id genus, aut nihil quaereretur, aut, si quid omnino, ageretur de unitate et individua natura rei, *a* 19, 20, quae eadem est in qualibet re[1])

1) *a* 11 τὸ γὰρ ζητεῖν διὰ τί ὁ μουσικὸς ἄνθρωπος ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν, ἤτοι ἐστὶ τὸ εἰρημένον ζητεῖν διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μουσικ.

Quaeritur igitur causa iis in rebus, quas esse constat, et quaeritur ubique alterum de altero, veluti cur lateres et lapides domus sint. Haec causa, si universe modo eius notionem spectaveris (*λογικῶς* *a*28, cf. ad *Γ* 3. 1005*b* 22), est *τὸ τί ἦν εἶναι* rei [1]); sin rerum diversitatem respexeris, ea modo est *τὸ τίνος ἕνεκα*, siquidem, quid res sit, ex eius opere definitur, cf. 10. 1035*b* 17, modo principium movens iis in rebus, quae fiunt et intereunt, quia quod rem aliquam per se efficit, id ipsa est rei forma ac notio, aut concepta in animo artificis, aut inclusa *δυνάμει* in ipsa natura ac semine rei, cf. c. 7, 9. Hanc igitur formam, hoc *τί ἦν εἶναι* investigamus, ubi de causa rei quaestionem instituimus. — Atque hoc quidem apertum est in exemplis antea allatis, in quibus subiectum quaestionis distinctum erat a praedicato; latere potest, si in quaestione non dicitur alterum de altero, *μὴ καταλλήλως* *a*33, *οἷον ἄνθρωπος τί ἐστι ζητεῖται διὰ τὸ ἁπλῶς λέγεσθαι, ἀλλὰ μὴ διορίζειν ὅτι τάδε* [*ἢ*] *τόδε*. Particulam *ἢ* in fine enunciati cum eod. *A*b et Alex. expunxi; etenim *τῷ ἁπλῶς λέγεσθαι* sive *τοῖς μὴ καταλλήλως λεγομένοις* opponitur *τὸ διορίζειν* sive *τὸ διαρθροῦν* *b*2, quod cernitur in distinguendo praedicato a subiecto, ut dicamus hoc esse hoc (*ὅτι τάδε τόδε*), veluti lateres et lapides esse domum, hoc corpus esse hominem. Pronomen autem interrogativum *τί* in principio enunciati Alex. p. 510, 27 idem vult valere ac *διὰ τί*, nec dubium videri potest ei, qui attente ratiocinationem sequitur, hic etiam ordiri philosophum a quaestione causae, *διὰ τί*, ac deinde demum eo pervenire, ut causam quaesitam in forma

ἐστιν, ἢ ἄλλο. At *τὸ εἰρημένον ζητεῖν* ex verbis superioribus apparet idem esse ac *ζητεῖν διὰ τί αὐτό ἐστιν αὐτό* *a*14; qui autem quaerit *διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν*, is non quaerit *διὰ τί αὐτό ἐστιν αὐτό*, sed distincto potius subiecto quaestionis, *ὁ ἄνθρωπος*, a praedicato, *μουσικός*, quaerit: *τὶ κατά τινος διὰ τί ὑπάρχει* *a*23. Istud autem alterum quaerendi genus quum his verbis nondum possit significari, scribendum arbitror: *ἤτοι ἐστὶ τὸ εἰρημένον ζητεῖν διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μουσικὸς ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν, ἢ ἄλλο*. Alexandri interpretatio p. 508, 12 hanc coniecturam videtur confirmare.

1) Quod Alex. p. 510, 13 verba: *τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς* *a*28 spuria esse arbitratur, parum idoneis rationibus utitur, nec debebam ei obsequi Obs. p. 130. — Cf. Trend. Kat. p. 41 sq.

ac notione, τί, contineri doceat; sed propter id ipsum, quia a causa ad formam progreditur, non crediderim eum, quum διὰ τί esset scribendum, scripsisse τί, sed praeferendum censeo, quod pro var. lect. cod. E exhibet διὰ τί, in textum recipere. — In his igitur quaestionibus simpliciter propositis latere potest quid quaeratur; sed si attentius rem spectareris, hic etiam quaeri cognosces, cur quae subiecta est materia hoc certo modo definita sit. Haec autem causa definiendae materiae est forma, eaque substantia rei. — Universa haec ratio pertinet ad res e materia et forma compositas; de simplicibus substantiis quid sit cogitandum, alius est indagationis, b 9, 10, cf. Θ 10. Λ 7, 9.

Cur mutaverim textum vulgatum a 25, b 5, 7, expositum est Obs. p. 98. Quod adhibet exemplum βροντῆς a 25, idem habemus An. post. II 8. 93 a 22, b 8. 10. 94 a 3.

1041 b 11 ἐπεὶ δὲ — 33 τὸ β. Substantiam rei compositae in forma eius contineri alia ratione demonstrat. Si quid ex elementis ita est compositum, ut ad unitatem coaluerit nec tantum coacervatum sit (σωρός, cf. ad 16. 1040 b 9), res ipsa distinguenda est ab elementis rei. Manent enim eadem elementa, abolita ipsa re, et eadem quum ponantur elementa, diversae inter se res ex iis possunt componi. Hoc autem, quod accedere oportet ad elementa, nec potest et ipsum esse elementum, quia sic in infinitum eadem quaestio proferenda esset, nec potest esse ex elemento; ita enim ex pluribus esset, quam ipsum est, elementis (b 23: δῆλον ὅτι οὐχ ἑνὸς ἀλλὰ πλειόνων, ἢ ἐκεῖνο αὐτὸ [int. quod ponitur ἐκ στοιχείου esse] ἔσται), ac proinde in explicanda hac re, quam accedere ad elementa diximus, idem in infinitum progressus esset statuendus, atque in ipsa illa re (b 25 ἐπὶ τῆς σαρκὸς ἢ συλλαβῆς), quam posuimus ex elementis componi. Atqui hoc idem, quod accedere oportet ad elementa, quoniam distinguit elementa a re ex iis composita, ipsam rei notionem ac substantiam constituit. Ergo substantia rei non in elementis, ex quibus componitur, sed in forma, qua definiuntur elementa, cernitur.

De grammatica conformatione enunciati: ἐπεὶ δὲ κτλ. b 11 dixi Obs. p. 39; ad significandam anacoluthiam post συλλαβή b 12 posui abruptae orationis signum. — b 28 οὐσία δ'

ἑκάστου μὲν τοῦτο. Particulae *μέν* opponi videtur *δ'* *b*31, quasi dicat mutato verborum ordine: *ἑκάστου δ' οὐσία μὲν τοῦτό ἐστι, τοῦτο γὰρ αἴτιον πρῶτον τοῦ εἶναι.* — *στοιχεῖον δ' ἐστὶν εἰς ὃ διαιρεῖται κτλ.* (cf. *Δ* 3). Quae autem interposita est enunciatio, *b*28 *ἐπεὶ δ' ἔνια* — 31 *ἀρχή*, quo pertineat universum hoc quaestionis genus significat, nimirum hoc *αἴτιον πρῶτον τοῦ εἶναι* non esse quaerendum, nisi in substantiis. — *b*31 *οὐ στοιχεῖον ἀλλ' ἀρχή*, cf. *Λ* 4. 1070*b* 23.

H.

CAP. I.

Quid consilii hoc in libro secuturus sit, Ar. ipse ab initio significat; nec novam orditur quaestionem, neque ad eam, in qua quummaxime versatur, multum novi affert, sed computat ac consummat (*συλλογίσασθαι δεῖ* *a*3, hoc enim v. consummandi, non ratiocinandi vim h. l. habet) quae antea disputata sunt, et coniunctis rei capitibus (*συναγαγόντας τὸ κεφάλαιον* *a*3) ita quaestioni finem imponit. Itaque exorsus inde, ut quae vel haberi vel habenda esse pro substantiis antea expositum sit, paucis in memoriam revocet, 1. 1042*a* 4—24, sensibilium rerum (1042*a* 25) de substantia eundem in sensum, atque antea, sed mutato paullum ordine disputat. Ac primum quidem enumeratis harum rerum partibus materiam et ipsam pro substantia esse habendam confirmat, 1. 1042*a* 25—*b*8; deinde de formali et activa rerum sensibilium substantia exponit, c. 2, 3; tum redit ad explicandam uberius materiae naturam et rationem, c. 4, 5; denique quod in superiore libro quaesitum est de unitate substantiae denuo solvit c. 6.

1042*a* 4 *εἴρηται*, cf. *E* 1. init. — *a*5 *τὰ αἴτια καὶ αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ στοιχεῖα.* De coniunctis his vocabulis cf. ad *E* 1. 1025*b* 3; eadem coniuncta leguntur *Λ* 1. 1069*a* 26. *M* 9. 1086*a* 21. — *a*7 *ὁμολογούμεναι* — 11 *οὐρανοῦ*, cf. *Z* 2. 1028*b* 8—13. *Λ* 1. 1069*a* 31 et ad *Δ* 8. 1017*b* 10. — *a*8 *τὰ ἁπλᾶ σώματα*, cf. ad *A* 3. 984*a* 6. — *a*11 *ἰδίᾳ* — 12 *μαθηματικά*, cf. *Z* 2. 1028*b* 15 sqq. — *a*12 *ἄλλας* — 13 *ὑπο-*

κείμενον. Non per se manifestum est neque hominum opinione vulgatum, sed ex ratiocinatione colligitur (συμβαίνει, cf. ad Δ 30. 1025a 30), τὸ τί ἦν εἶναι et τὸ ὑποκείμενον pro substantiis esse habenda, cf. Z 3, 4. Sed ab ea ratiocinatione, ex qua τῷ τηε et τῷ ὑποκειμένῳ substantiae dignitas tribuitur, illa differt (ἄλλως a14), ex qua genera potius et universalia, quam species et res singulas pro substantiis quidam habent, cf. Z 13. Hoc cadit in Platonicam de ideis doctrinam, a15 τῷ δὲ καθόλου — αἱ ἰδέαι συνάπτουσιν, cf. ad Z 14 init. — a17 ἐπεὶ δὲ — 18 διώρισται, cf. Z 4, 12. — a18 ἐπεὶ — 21 ὁρισμοῦ. De partibus definitionis et rei definiendae cf. Z 10, 11. ἀναγκαῖον καὶ περὶ μέρους ἦν ἰδεῖν, ποῖα τῆς οὐσίας μέρη καὶ ποῖα οὔ, καὶ εἰ ταὐτά, καὶ τοῦ ὁρισμοῦ. Pronomine ταῦτα significata esse debent τὰ τῆς οὐσίας μέρη: et si sunt substantiae partes, definitionis eaedem sunt partes. Alexander quum scribat p. 514, 13: οὐ μόνον δὲ περὶ τούτων ἀναγκαῖον ἦν ἰδεῖν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν μερῶν τοῦ ὁρισμοῦ καὶ τοῦ ὡρισμένου, ἤτοι τοῦ τί ἦν εἶναι, εἰ ταὐτά ἢ ἕτερά ἐστιν, haud scio an talem fere textum habuerit: καὶ εἰ ταὐτὰ τοῦ ὡρισμένου καὶ τοῦ ὁρισμοῦ, quibus quidem verbis aptius etiam, quam vulgato nunc textu, illa disputatio significata videretur. — a21 ἔτι τοίνυν (int. δέδεικται ὅτι, cf. Alex. l. l.) οὔτε τὸ καθόλου κτλ., cf. Z 13. — a22 περὶ — ὕστερον σκεπτέον, cf. M, N.

1) *Materiam rerum sensibilium et ipsam pro substantia esse habendam*, 1042a 24—b8.

Substantia est τὸ ὑποκείμενον, a26—31; atqui in qualibet mutatione est ὑποκείμενον quidpiam, quae est mutationis materia, a32—b7; ergo etiam materia pro substantia est habenda, a32.

Materiae quod vindicat dignitatem substantiae, ea utitur substantiae notione, ut sit τὸ ὑποκείμενον, sive καθ' οὗ τὰ ἄλλα λέγεται, ἐκεῖνο δὲ αὐτὸ μηκέτι κατ' ἄλλου, Z 3. 1028b 36, cf. ad h. l. Atque τοῦ ὑποκειμένου eadem tria genera enumerat, de quibus dictum est ad Z 3. 1029a 2. Materiae eandem notionem habemus Z 3. 1029a 20. Formam cogitatione modo (λόγῳ a29), non re ac veritate (ἁπλῶς a31)

seiungendam esse a materia, nec formam fieri, sed fieri rem concretam, expositum est *Z* 8. Quam antea dixit formam, ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή *a* 28, eandem deinde dicit τὴν κατὰ τὸν λόγον οὐσίαν *a* 31, cf. *E* 1. 1025*b* 27. *Z* 10. 1035*b* 13, 15. 11. 1037*a* 17. Harum substantiarum, τῶν κατὰ τὸν λόγον οὐσιῶν, alias dicit utique coaluisse cum materia, alias per se et absolute esse, *a* 31, cf. *Λ* 7, 9. — Mutationes autem dicit ἀντικειμένας *a* 33, quia in quovis mutandi genere duae inter se oppositae sunt mutationes, veluti γένεσις φθορά, αὔξησις φθίσις al. Mutationis quae quatuor distinguit genera, κατ' οὐσίαν, κατὰ ποιόν, κατὰ ποσόν, κατὰ τόπον, perinde distincta legimus *Λ* 2. 1069*b* 9. *N* 1. 1088*a* 31. Phys. V 1, 2, 6 (cf. VII 2. 243*a* 6. VIII 7. 260*a* 26) de gen. et corr. I 1—5. His mutationibus omnibus necessario subiectum quidpiam esse, quod maneat in mutatione, demonstratur *Λ* 2. 1069*b* 7. Phys. I 7. de gen. et corr. l. l. Et quoniam materia nihil est aliud, nisi formae alicuius vel mutationis recipiendae facultas, quae sunt mutationum genera, eadem distinguuntur genera materiae, ut alia sit ὕλη γεννητὴ καὶ φθαρτή *b* 5, i. e. δύναμις τοῦ γίγνεσθαι καὶ φθείρεσθαι, alia ὕλη τοπική *b* 5 (sive ὕλη κατὰ τόπον κινητή, ὕλη τοῦ πόθεν ποῖ, v. ll. ll.) i. e. δύναμις τῆς κατὰ τόπον κινήσεως, et similiter reliquae, cf. 4. 1044*b* 7. *Θ* 8. 1050*b* 22. *Λ* 2. 1069*b* 26. de gen. et corr. I 4. 320*a* 2: ἔστι δὲ ὕλη μάλιστα μὲν καὶ κυρίως τὸ ὑποκείμενον γενέσεως καὶ φθορᾶς δεκτικόν, τρόπον δέ τινα καὶ τὸ ταῖς ἄλλαις μεταβολαῖς, ὅτι πάντα δεκτικὰ τὰ ὑποκείμενα ἐναντιώσεών τινων. Nimirum non ea est mutationum vicissitudo, ut si quid unius cuiuslibet ex mutationis generibus habet facultatem, idem necessario reliquarum mutationum potentiam in se contineat, sed generationis quidem et interitus materiae necessario inhaeret (ἀκολουθοῦσι *b* 3, cf. ad *A* 1. 981*a* 27) reliquarum mutationum potentia; locum vero et magnitudinem et qualitatem mutandi potestatem habere quidpiam potest, quamquam generationi et interitui non est obnoxium *b* 4, cf. 4. 1044*b* 6. *Θ* 8. 1050*b* 13 sqq. *Λ* l. l. — Denique quia per mutationem quamlibet aut a deteriore statu ad meliorem transitur, veluti per γένεσιν et αὔξησιν, aut a meliore ad deteriorem, veluti per φθοράν et φθίσιν, materia modo

subiecta est mutationi κατὰ στέρησιν *b* 3, ut quae nondum formam in se receperit, modo κατ' εἶδος. — De discrimine τοῦ ἁπλῶς γίγνεσθαι καὶ μὴ ἁπλῶς expositum esse dicit ἐν τοῖς φυσικοῖς, cf. Phys. V 1. de gen. et corr. I 7.

CAP. II.

2) *De forma rerum sensibilium, quae actu sit substantia, cap.* 2, 3.

a) *Enumerata formarum varietate et ad summa quaedam genera redacta, in forma cerni naturam ac substantiam rei cuiuslibet docet,* 1042*b* 9—1043*a* 12.

Materia rerum sensibilium, quam esse substantiam et demonstratum antea est et communi consensu comprobatum (ὁμολογεῖται *b* 9), quoniam passivam habet potentiae naturam (αὕτη δ' ἐστὶν ἡ δυνάμει *b* 10, cf. 1. 1042*a* 27), iam quaerendum est, quae sit ἡ ἐνέργεια, qua materia definiatur (τὴν ὡς ἐνέργειαν οὐσίαν *b* 10, an cum Alex. p. 517, 1 τὴν ὡς ἐνεργείᾳ οὐσίαν scribere malis, non multum differt, quamquam dativus aptius videtur opponi dativo δυνάμει.) Eam ἐνέργειαν cerni in forma rei, ut notum est ex disputatione libri *Z*, ita et proximis verbis significatur (Δημόκριτος — τρεῖς διαφορὰς ἔοικεν οἰομένῳ εἶναι) et universa hac expositione comprobatur. Ac suscepit quidem primus Democritus formam rerum ad tres omnino referre differentias, *b* 11—15, cf. ad *A* 4. 985*b* 13; sed apparet (φαίνονται *b* 15) in his tribus non posse acquiesci, verum multo esse plures differentias quibus rerum formae constituantur, veluti σύνθεσιν, μῖξιν, κρᾶσιν, θέσιν, χρόνον al. (*b* 16 συνθέσει — ὥσπερ ὅσα κράσει κτλ., videtur h. l. eadem vi usurpasse v. σύνθεσις et κρᾶσις, quae alibi diserte distinguit, cf. de gen. et corr. I 10. 328*a* 8. — *b* 29 τὰ μὲν μεμῖχθαι, τὰ δὲ κεκρᾶσθαι. Latius patere nominis μῖξις vim quam v. κρᾶσις, significat quidem Ar. ubi exempli loco has notiones adhibet Top. IV 2. 122*b* 30: οὔτε γὰρ ἡ μῖξις ἅπασα κρᾶσις, ἡ γὰρ τῶν ξηρῶν μῖξις οὐκ ἔστι κρᾶσις: sed ubi ipsas has notiones diligentius investigat, μῖξις et κρᾶσις sine ullo discrimine usurpat ad significandam chemicam coniunctionem, quae distinguenda est a mera compositione, συνθέσει cf. de

gen. et corr. I 10 et ad *N* 5. 1092*a* 24.) Eiusmodi differentiae quot sunt, totidem diversis inter se significationibus ipsum esse usurpatur, *τὸ ἔστι τοσαυταχῶς λέγεται* *b* 25, quoniam quid sint singulae res per has differentias efficitur. Hae igitur differentiae ad summa quaedam genera referendae sunt, veluti ad *ὑπεροχήν* et *ἔλλειψιν*, in his generibus causae et principia quaerenda sunt, cur quidque id sit quod est, *αὗται ἀρχαὶ ἔσονται τοῦ εἶναι* *b* 32, *ἐν τούτοις ζητητέον τί τὸ αἴτιον τοῦ εἶναι τούτων ἕκαστον* *a* 3, hoc est autem: in his quaerenda est substantia *a* 2. Iam eas quidem formas, quae supra pro exemplis adhibitae sunt, veluti *μῖξις θέσις χρόνος*, utpote omnes manifesto ad relativum genus pertinentes, non posse apparet substantiae sibi vindicare dignitatem, ne tum quidem si cum substratis suis coniunctae sint, *οὐσία μὲν οὖν οὐθὲν τούτων οὐδὲ συνδυαζόμενον* *a* 4, sed similitudinem tamen referunt substantiae; atque hanc formam, praedicatam de materia (*τὸ τῆς ὕλης κατηγορούμενον* *a* 6) describimus, quum suscipimus definire quae sit rei natura ac substantia, *a* 5—12.

b 27 *τὸ κρυστάλλῳ εἶναι*. Dativum *κρυστάλλῳ*, quem praeferendum esse ipsa sententia comprobat — describitur enim ipsa forma rei — non dubitavi e commentario Alexandri p. 518, 3 recipere pro vulgato accusativo. Similem in modum ex eiusdem Alex. auctoritate (p. 518, 2: *εἶδος γὰρ οὐδοῦ καὶ τὸ εἶναι οὐδῷ τὸ οὕτως αὐτὸν κεῖσθαί ἐστι*) fortasse etiam proxime antecedentia verba mutanda sunt, ut scribatur: *καὶ τὸ εἶναι αὐτῷ τὸ οὕτως κεῖσθαι*, quamquam genus quidem neutrum *αὐτό*, quod in vulgata lectione ad *οὐδός* referendum est, non debet nos magnopere offendere, cf. ad *Z* 10. 1035*b* 15. — *b* 33 *οἷον τὰ τῷ μᾶλλον κτλ.* Verba propter brevitatem dicendi obscura hunc videntur in modum supplenda esse: *οἷον τὰ γένη τὰ ὄντα αἴτια καὶ ἀρχαὶ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον κτλ. πάντα γὰρ ταῦτα ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψίς ἐστιν*, h. e. haec omnia *ὑπεροχῇ* et *ἐλλείψει* ut summis generibus subiiciuntur. *εἰ δέ τι σχήματι ἢ λειότητι ἢ τραχύτητι* (int. *διαφέρει*, quod ex superiore nomine *διαφορά* repeti potest, vel quod addit Alex. p. 518, 10: *εἰδοποιούμενόν ἐστι*), *πάντα εὐθεῖ καὶ καμπύλῳ*, int. *διαφέρει* vel *εἰδοποιεῖται*. — *a* 2 *ἡ οὐσία αἰτία τοῦ εἶναι*, cf. *Z* 17. —

a 9, 10 κρύσταλλος, συμφωνία. Easdem definitiones legimus glaciei An. post. II 12. 95a 16. de gen. et corr. II 3. 330b 28, concentus An. post. II 2. 90a 19. Definitionem autem domus paullo supra significatam corrigit additis verbis: ἢ ἔτι καὶ — ἐστίν (part. ἢ corrigentis est, cf. Top. VIII 3. 159a 11), quia quid sit domus rectius cognoscimus, quum cognoverimus quo consilio facta sit, cf. 1043a 16, 32.

b) *In definitionibus describitur aut forma rei aut materia aut res e forma et materia concreta,* 1043a 12—28.

Rei naturam ac substantiam demonstratum est cerni in eius forma, a 2—4; sed quia forma inhaeret materiae eamque definit, propterea utrumque et formam et materiam, sive materiae per formam definitionem, veluti ὕδωρ πεπηγός a 10, in exemplis allatis ad describendas res adhibitas videmus. Ex ipsis his exemplis apparet, ὅτι ἡ ἐνέργεια ἄλλη ἄλλης ὕλης καὶ ὁ λόγος a 12, cf. Phys. II 2. 194b 9: ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη. Inde diversitas quaedam in definitionibus conspicua explicatur, quae comparari potest cum diversis τῆς οὐσίας significationibus (cf. Z 10. 1035a 2: οὐσία ἥ τε ὕλη καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ ἐκ τούτων), alii enim unice materiam rei describunt sive rem qualis sit potentia, alii determinato summo genere per singulas deinceps differentias formam et actum definiunt, alii denique utrumque coniungunt, ad rem concretam plene describendam. Ad ultimum hoc definitionum genus eae sunt referendae, quas Archytas comprobabat (ἀπεδέχετο, cf. ad A 6. 987b 4). — a 18 τὴν ἐνέργειαν, codd. et Alexandri lectionem retinui, spreta Bekkeri coniectura τὴν ἐνεργείᾳ, ut quae nec necessaria neque omnino apta esse videatur. Etenim ἡ ἐνεργείᾳ οἰκία esset domus concreta, actu exsistens; at ἡ ἐνέργεια significat, id quod hoc loco significari necesse est, formam, cf. a 6, 20, 28, 30, 33, 35, b 1. Θ 8. 1050b 2, a 16. Λ 5. 1071a 8. — De definitionibus Archytae cf. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 275. — Eadem exempla γαλήνης, νηνεμίας cf. Top. I 17. 108a 11. 18. 108b 25. — a 28 μορφὴ καὶ ἐνέργεια, quod scribendum coniеci Obs. p. 121 pro lect. vulg. μορφὴ ὅτι ἐνέργεια, postea confirmatum vidi Alexandri auctoritate p. 520, 18.

CAP. III.

c) ***Nomine aliquo utrum res concreta an ipsa per se rei forma significetur ad inveniendam rei substantiam nihil differt***, 1043*a* 29—*b*4.

Nomina rerum quoniam e forma et actu repetuntur, non e materia et potentia (cf. *Z* 10. 1035*a* 7: *λεκτέον γὰρ τὸ εἶδος καὶ ᾗ εἶδος ἔχει ἕκαστον, τὸ δ' ὑλικὸν οὐδέποτε καθ' αὑτὸ λεκτέον*), saepe dubium esse potest, utrum aliquo nomine res concreta an ipsa per se forma significetur, veluti hominis nomine utrum homo sensibilis, an anima, quae eius est forma, denotetur; quae quidem eodem nuncupantur vocabulo, non quod ipsa sint idem, sed quod ad idem, nimirum ad formam, referuntur, *ἀλλ' ὡς πρὸς ἕν* *a* 37. Haec ambiguitas quum aliis in quaestionibus probe sit animadvertenda, ad quaerendam tamen rei substantiam propterea nihil valet, quia, sive concretae rei sive ipsius formae substantiam quaesiveris, notio certe substantialis in forma et actu rei cernitur. — *a* 31 *τοῦ κοινοῦ*. Voc. *κοινόν* h. l. idem significat ac *σύνθετον* vel *σύνολον*. — *a* 33 *γραμμή* — *ὅτι δυάς*, cf. *Z* 11. 1036*b* 14. — *a* 35 *ψυχή* — *οὐσία σώματος*, cf. ad *Z* 10. 1035*b* 15. — *b* 2 *ψυχὴ μὲν γὰρ καὶ ψυχῇ εἶναι ταὐτόν*, cf. *Z* 6. — *b* 4 *οὕτω δὲ τινὶ μέν*, h. e. si quis hominis nomine animam modo significet, *τινὶ δ' οὔ*, h. e. si quis hominis nomine sensibilem et concretum hominem intelligi velit.

d) ***Forma, qua quid sit aliqua res constituitur, diversa est et distinguenda ab elementis, ex quibus est composita***, 1043*b* 4—23. ***Antisthenis de definienda rerum natura sententia*** — *b* 32.

1043*b* 4 *οὐ φαίνεται κτλ.* Non coniungenda haec sunt cum disputatione proxime antecedente, 1043*a* 29—*b* 4, qua ambiguitatem nominum paucis attigit, sed referenda potius ad superiorem disputationis partem, 1043*a* 12—28, quum quidem ad definiendas res et materiam et formam adhiberi docuit. Quae quum utraque adhibeatur, iam monet formam non eodem esse loco habendam atque elementa, sed esse aliquid distinctum ab elementis. Obscurius hoc significat

quum dicit: *οὐ φαίνεται — ἡ συλλαβὴ ἐκ τῶν στοιχείων οὖσα καὶ συνθέσεως* *b* 4, h. e. syllaba ex elementis et compositione eorum non ita constat, ut haec eodem loco et ordine habeantur, vel quum deinde scribit *b* 9: *οὐκ ἐκ τοῦ οὐδοῦ ἡ θέσις*, h. e. positio, per quam limen id ipsum habet ut sit limen, non est pars et elementum liminis; apertius eandem sententiam postea explicat *b* 11, debere formam aliquid esse quod praeter elementa sit, *οὔτε στοιχεῖον οὔτε ἐκ στοιχείων*, quibus ex verbis manifesto apparet idem hoc loco significari, quod uberius expositum est *Z* 17. — Hanc diversam ab elementis formam si dempserimus et abstraxerimus, ipsa materia rei relinquitur, *ὃ* (int. *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα ὄν*) *ἐξαιροῦντες τὴν ὕλην λέγουσιν*, *b* 12. Atque hac forma quoniam efficitur, ut res quaelibet id sit quod est, iure eam substantiam rei dixeris, *b* 13, 14. (Ex hac explicatione apparebit, cur *b* 13 *οὐσίας* scripserim pro vulg. *οὐσία* et commate ante voc. *τοῦτο* distinxerim.) Eam formam non generari, sed immunem esse a generatione et interitu, demonstratum est alibi (*ἐν ἄλλοις* *b* 16, cf. *Z* 8), *ὅτι τὸ εἶδος οὐθεὶς ποιεῖ οὐδὲ γεννᾷ, ἀλλὰ ποιεῖται τόδε, γίγνεται δὲ τὸ ἐκ τούτων*, *b* 17. (Extrema enunciati verbi non dubito quin depravata sint; etenim et parum apte vel ex Aristotelis consuetudine bis idem dicitur, et pluralis *τούτων* non habet quo referatur, quia antea forma modo neque vero materia commemorata est. Si comparaveris eum locum libri Z, ad quem ipse Ar. lectores respicere iubet, 8. 1033*b* 9: *ποιεῖ γὰρ ἐκ χαλκοῦ καὶ σφαίρας· εἰς τοδὶ γὰρ τὸ εἶδος ποιεῖ, καὶ ἔστι τοῦτο σφαῖρα χαλκῆ*, non improbabile videbitur. h. l. scriptum fuisse: *ἀλλὰ ποιεῖ εἰς τόδε* — int. *εἰς τὴν ὕλην* —, *γίγνεται δὲ τὸ ἐκ τούτων*, i. e. *ἐκ τοῦ εἴδους καὶ τῆς ὕλης*.) Distinctae vero a rebus concretis utrum hae formae per se et absolute sint, dubitari potest, et in iis quidem rebus, quae per artem conficiuntur, veluti *οἰκία σκεῦος* *b* 20, eas non per se seorsim exsistere apparet, cf. *Z* 8. 1033*b* 19 sqq.; quid quod omnino his rebus vix substantiae dignitas tribuenda est, sed ea rectius restringenda est ad solas res naturales, cf. 2. 1043*a* 4.

b 23—32. His adiungit sententiam ab Antisthene eiusque asseclis propositam: *ὅτι οὐκ ἔστι τὸ τί ἐστιν ὁρίσασθαι*, de-

finitionem enim fieri per longiorem verborum ambitum (*λόγον εἶναι μακρόν*, cf. *N* 3. 1091*a* 7), at rei naturam simplicem nimirum esse et unam. Conferri iuvat quae de eodem Antisthene Ar. refert *Δ* 29. 1024*b* 32: *μηθὲν ἀξιῶν λέγεσθαι πλὴν τῷ οἰκείῳ λόγῳ ἓν ἐφ' ἑνός*: etenim si non licet quidquam significare nisi sua ipsius notione eaque una et individua, definitio plures in se complexa notas admitti non potest. — Quae deinde ex hoc placito colligit Arist. *b* 28: *ὥστ' οὐσίας κτλ.*, possunt illa quidem videri ipsius Aristotelis continere rationem ac sententiam, conferenti *Z* 13. 1039*a* 14 sqq., sed si reputaverimus apud Platonem Theaet. 201 e eandem opinionem coniungi apertissime cum placitis Antisthenis, huius potius philosophi quam suam ipsius conclusionem Aristotelem proponere iudicabimus. Cf. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 115 sq. (*b* 29 *οἷον*, cf. ad *A* 4. 985*b* 6. — De *οὐσίᾳ συνθέτῳ νοητῇ* v. *Z* 11. 1036*b* 35.) — Quod autem ab initio huius disputationis legimus *b* 23: *ὥστε ἡ ἀπορία — ἔχει τινὰ καιρόν*, Alexander quidem interpretatur p. 523, 10: *δεῖ προσυπακούειν ἐξ ὧν εἴπομεν λυθῆναι* (quod interpretamentum irrepsisse videtur in edd. Ald. Sylb. et Bess.), sed eiusmodi additamentum neque ex ipsis verbis videtur repeti posse neque ad rem satis aptum esse. Nimirum demonstratum est antea, licet elementa rei ad eam definiendam adhibeantur, tamen eius naturam non contineri in his elementis, sed esse aliquid ab iis diversum. Hoc reputantibus, videtur dicere Aristoteles, Antisthenis placitum non prorsus ineptum esse sed videri rationem quandam et caussam habere. Verba *ἔχει τινὰ καιρόν* idem fere arbitror significare atque *εὔλογόν τι ἔχει* vel *λόγον τινὰ ἔχει*.

e) ***Notionibus quae intercedat cum numeris similitudo***, 1043*b* 32 — 1044*a* 14.

Platonici quum ideas, i. e. notiones substantiarum dignitate ornatas, ad numeros redegerint (cf. ad *M* 6, 7), Aristoteles secutus ea, quae de definitionibus modo exposuit, quid veri insit in hac sententia quid falsi diiudicat. Nimirum similitudo quidem quaedam intercedit inter definitiones et numeros, sed nec ea quam Platonici esse volunt, nec eiusmodi ut propterea ad numeros redigi notiones possint.

Etenim uti numerus ex certa unitatum individuarum multitudine, ita definitio ex certis quibusdam notis, quae ulterius dividi nequeunt, componitur; nec numerus nec definitio suam servat vim ac naturam, si qua vel unitas vel nota addatur aut dematur. Et numerus et definitio, quum ex pluribus partibus constet, requirit quidpiam quo ad unitatem redigatur (*καὶ τὸν ἀριθμὸν δεῖ εἶναί τι ᾧ εἷς* *a* 3, quae verba manifesto corrupta dubito utrum posito pro accusativo τὸν *ἀριθμόν* dativo *τῷ ἀριθμῷ* emendanda putem, cf. Obs. p. 100 an potius post *τι* excidisse aliquid credam, veluti ἑνοῦν καὶ quod ut in utroque eiusdem est rationis (*τοῦ αὐτοῦ γὰρ λόγου* *a* 7), ita in neutro Platonici explicare valent, cf. *Λ* 10. 1075*b* 34; neque enim propterea numeri sive notiones, quae utraque idem esse Platonici putant, simplices sunt et unae quod unitas illa pro principio posita eorum formam constituat, sed substantia quaelibet una est tamquam actus et natura per se consistens, qua de re disseretur cap. 6. Denique *τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον* nec definitus aliquis numerus capax est, nec formalis substantia, cf. Cat. 6. 6*a* 19 sqq. 5. 3*b* 33.

CAP. IV.

3) *De materia, cap.* 4, 5.

Non hoc agit Aristoteles ut ipsam materiae notionem via ac ratione exponat, sed quoniam naturam ac substantiam cuiuslibet rei in forma eius et actu cerni antea est demonstratum, nec tamen ubique vel potest vel debet secludi materia (cf. *E* 1. 1025*b* 30), iam quaedam adnotat de materiali rerum principio, quae probe tenere eos oportet qui rerum causas indagare susceperint. Atque eo quidem ordine hoc facit, ut primum materiae varietatem explicet 1044*a* 15 — 32, deinde disserat, ubi de materia omnino quaerendum sit ubi non — 5. 1044*b* 29, denique quomodo materia referatur ad formam et privationem, sive ad potiorem et deteriorem formam, demonstret — 1045*a* 6.

a) 1044*a* 15 — 32. Princeps materia omnis formae expers quum omnibus sit rebus communis, tamen proxima, ex qua continuo res generatur, sua cuique rei est et peculiaris, cf. eandem primae et proximae materiae distinctionem

Δ 4. 1015*a* 7. 24. 1023*a* 27. Veluti *φλέγματός ἐστι πρώτη ὕλη τὰ γλυκέα ἢ λιπαρά κτλ.* Recte Alexander p. 525, 20 voc. *πρώτη* explicat addito: *καὶ προσεχής*: intelligi enim proximam materiam ex eo cognoscitur, quod deinde dicit hanc pituitae et diversam ab ea bilis materiam fortasse ex iisdem primordiis et elementis repetendas esse (*ἴσως δὲ ταῦτα ἐκ τοῦ αὐτοῦ* *a* 19), aqua nimirum, terra rel. Et quamquam minime probandum est, quod eodem vocabulo *πρῶτος* nunc usus est ad significandam proximam materiam (cf. 1044*b* 16, 20: *τὸ πρῶτον πάσχον*), quo paullo ante, *a* 16, primam et remotissimam significavit materiam: ea tamen et voc. *πρῶτος* est ambiguitas (cf. ad *Δ* 6. 1016*a* 19) et Aristotelis in scribendo negligentia, ut non putem, quae est Schwegleri sententia, propterea cum cod. *A*b omittenda esse vv. *ἔστι πρώτη ὕλη*. — Sed etiam peculiares materiae plures possunt eiusdem rei esse, veluti pituitae materia et pinguia esse possunt et dulcia, si altera ex alteris oriantur, pinguia dico ex dulcibus. Alia etiam ratione ex bile dici potest pituita fieri, *τῷ ἀναλύεσθαι εἰς τὴν πρώτην ὕλην τὴν χολήν* *a* 22, h. e. ita ut bilem primum resolutam esse cogitemus in prima elementa, ex quibus deinde progigni potest pituita, cf. *a* 24. Etenim e x a l i q u o e s s e latiore dicitur ambitu, quam quem materiae habet notio, cf. ad *Δ* 24; quum enim duplex sit generandi via, altera *γένεσις ἁπλῆ* quum a materia vel a deteriore forma ad definitum corpus vel ad potiorem formam proceditur, altera quae huic est opposita *γένεσις κατὰ συμβεβηκός*, utraque ratione alterum dicitur ex altero fieri, cf. Phys. I 5. 188*a* 15: *καὶ οὐχ ὁ αὐτὸς τρόπος, ὡς πλίνθοι ἐξ οἰκίας καὶ οἰκία ἐκ πλίνθων, οὕτω δὲ καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ ἐξ ἀλλήλων καὶ εἰσὶ καὶ γίνονται.* Illa ratione quum de generatione vere progrediente sive simplice agimus (*ὅτι πρὸ ὁδοῦ ἔσται* *a* 24, h. e. *ὅτι ἔσται προερχομένης τῆς γενέσεως*), pituitam fieri dicimus ex pinguibus et dulcibus elementis; hoc sensu ut intelligamus *τὴν κατὰ συμβεβηκὸς γένεσιν*, quum quidem res definita in materiam vel inferiorem dignitate formam resolvitur (*ὅτι ἀναλυθέντος εἰς τὴν ἀρχήν* *a* 24) pituitam ex bile fieri dicimus. Cf. ad I. 1042*b* 7. — Ex eadem materia possunt interdum per diversitatem causae moventis, veluti artis, diversae res fieri, et

vicissim eaedem res ex alia materia per identitatem causae moventis; sunt vero etiam, quae, ut sunt ipsa diversa, ita diversam ètiam requirunt materiam.

b) 1044*a* 32 — 5. 1044*b* 29. Si quis causam alicuius rei quaerit, quoniam quatuor sunt causarum genera (cf. ad *A* 3. 983*a* 24), quaerendum est quae sit eius rei ex quolibet genere causa, materialis, movens, formalis, finalis; et formalis quidem et finalis causa, saepe, praecipue ubi de naturalibus rebus agitur, ad idem redeunt, *b* 1, cf. de gen. et corr. II 9. 335*b* 5: *ὡς μὲν ὕλη τοῦτ' ἐστὶν αἴτιον τοῖς γενητοῖς, ὡς δὲ τὸ οὗ ἕνεκεν ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος· τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τῆς ἑκάστου οὐσίας.* Zeller Ph. d. Gr. II. p. 410. Et quaerenda quidem singulis in rebus proxima ex quolibet genere causa, veluti hominis causa materialis non est dicenda terra et ignis, sed quae ei propria est et ex qua proxime progignitur, *τὰ καταμήνια* *a* 35, *b* 2. (Menstrua Aristoteli videri esse materiam animalium, semen causam moventem cf. *Λ* 6. 1071*b* 30. de gen. an. I 19. 727*b* 31. 20. 729*a* 28, et ad *Δ* 28. 1024*a* 34.) — Hae quatuor causae omnes reperiuntur in substantiis sensibilibus iis, quae generationi obnoxiae sunt; aeternis autem in substantiis sensibilibus, h. e. in sideribus coelestibus, non est quaerenda materia (aeterna enim immunia sunt materiae, cf. *Θ* 8. 1050*b* 8), vel certe non generationis, sed motionis modo materia, *ὕλη κατὰ τόπον κινητή* *b* 8, cf. *Λ* 2. 1069*b* 25 et ad 1. 1042*a* 34. Item non est quaerenda materia, si qua per naturam quidem fiunt sed non per se ac substantia, *οὐσίᾳ* *b* 8, sunt, veluti defectus lunae, somnus, alia eiusmodi; ad haec enim non requiritur materia, quam formae definiant, sed substantia, cui accidant et quam certo quodam modo afficiant, *τὸ πάσχον* *b* 10. His igitur in accidentibus et affectionibus quaerendum est, quid sit quod proxime afficiatur, *τί τὸ πρῶτον πάσχον* *b* 16, 19 (quae quidem quaestio quaerendae in substantiis materiae locum obtinet), et quid movens, *b* 11, 18, et quae forma atque ea quidem forma, quae causam in se contineat, *b* 12—15, cf. An. post. II 10. de an. II 2. 413*a* 13 et Trend. ad h. l., et quae denique causa finalis, si qua omnino est. — *b* 10 *ἔκλειψις* frequens in hoc quaestionis genere exemplum apud Ar., cf. An. post. II 2. 90*a* 15. 8. 93*a* 23. — *b* 16 *τί τὸ*

πρῶτον πάσχον, cf. de eadem quaestione proximi subiecti Top. VI 6. 145*a* 28. 9. 147*b* 31. — *b* 15 *ὕπνου δ' ἄδηλον τί τὸ πρῶτον πάσχον. ἀλλ' ὅτι τὸ ζῷον; ναί, ἀλλὰ κτλ.* Haec si recte exhibentur verba: *ἀλλ' ὅτι τὸ ζῷον;* ita fere videntur supplenda esse: *ἀλλ' ἴσως ἂν εἴποι τις ὅτι τὸ ζῷόν ἐστι τὸ πρῶτον πάσχον.* Ad quae deinde respondetur: *ναί, ἀλλὰ κτλ.* Sed haud scio an pro *ἀλλ' ὅτι* scribenda sit formula illa in dialogis ad occupandam responsionem admodum usitata: *ἄλλο τι*, vernacule *nicht wahr*, de qua cf. Herm. ad Vig. p. 730. Stallb. ad Plat. Apol. 24 d.

CAP. V.

In his igitur affectionibus et accidentibus, licet non habeant materiam sibi subiectam, at generatio tamen cernitur et interitus, alia vero exstant, quae sine generatione sunt et sine interitu non sunt. Id in formas rerum cadere, supra est demonstratum *Z* 8; iis Ar. hoc loco addit puncta mathematica (cf. *B* 5. 1002*a* 32): *οἷον αἱ στιγμαί, εἴπερ εἰσί*, *b* 22, h. e. siquidem esse re vera iudicantur; scilicet non ex sua sententia hoc dicit, sed ex sententia Platonicorum, rebus mathematicis exsistentiam tribuentium. Formae igitur quum nec fiant nec transeant invicem altera in alteram, ne materiam quidem sibi subiectam possunt habere; materia enim ibi suum habet locum, ubi quid in opposita ita mutatur, ut tertium quidpiam requiratur quod maneat in mutatione, cf. *Λ* 1. 1069*b* 6.

c) 1044*b* 29 — 1045*a* 6. Materiam quum iis in rebus cerni monitum sit, quae mutationem in contraria subeunt, consentaneum est deinde quaeri, quomodo ad haec contraria materia referatur. Atque eadem hic instituitur distinctio, qua *γένεσις ἁπλῆ* seiungitur a *γενέσει κατὰ συμβεβηκός*, cf. ad l. 1042*b* 7. Materia enim quum eadem et potioris formae sit et deterioris, potioris quidem formae materia est, quatenus ad habitum et formam tendit, deterioris vero, quatenus contra naturam, nimirum optima quaeque appetentem, ad privationem et interitum vergit. — Quod autem ex vino acetum, ex homine vivo cadaver fieri dicimus, hoc est autem ex potiore forma deteriorem et privationem, id quum

mathematicarum materia, *Z* 10. 1036*a* 9, 11), differentia autem specifica formam illi materiae affert, cf. ad *Δ* 29. 1024*b* 8. Phys. II 9. 200*b* 7. Zeller Ph. d. Gr. II: p. 405, 1. 415, 1. Quae vero notiones non sunt subiectae superiori cuidam generi, ὅσα δὲ μὴ ἔχει ὕλην, μήτε νοητὴν μήτε αἰσθητὴν *a* 36, ea non per coniunctionem demum formae cum materia, sed suapte natura, εὐθύς *b* 1 (cf. ad *Z* 6. 1031*b* 31), et essentiae et unitatis habent dignitatem. Cadit hoc nimirum in summas categorias, τὸ τόδε, τὸ ποιόν κτλ. *b* 1, ut quae nulli ultra generi communi subiiciantur, cf. ad *Λ* 4. 1070*b* 1. — Ad ὅπερ ἕν τι — ὅπερ ὄν τι cf. quae dixi ad *Γ* 2. 1003*b* 33. Unitatem et essentiam alteram cum altera necessario esse coniunctam cf. ad *Γ* 2. 1003*b* 22 sqq. *I* 2. 1054*a* 13. Non esse autem genus τὸ ὄν vel τὸ ἕν exposuit Ar. *B* 3. 998*b* 20. cf. ad h. l.

Veram istam, quam Ar. exposuit, unitatis causam quum ignorarent philosophi, mira quaedam μεθέξεως συνθέσεως συνουσίας alia eiusmodi vocabula ad eam explicandam effinxerunt, quae quam vana sint facile intelliget, qui ea ubique adhibuerit, ubi adhibenda sunt, si sententiam auctorum constanter servare volueris, *b* 7—16. Inciderunt autem in istas nugas, quia potentia et actus quomodo et differant inter se et uniantur quaerendum sibi putaverunt; at proxima quaeque materia (ἡ ἐσχάτη ὕλη, cf. ad *Z* 10. 1035*b* 30 et de ambigua voc. ἔσχατος vi ad *Δ* 6. 1016*a* 19) idem est atque ipsa forma, praeterquam quod illa potentia est, haec actu, atque per causam motricem illa ad hanc traducitur, *b* 16—23.

In singulis verbis pauca restant, quae vel interpretatione vel emendatione egeant. — *b* 1 ὅπερ ἕν τι εἶναί ἐστιν ἕκαστον. Infinitivum εἶναι omittendum esse et constans huius formulae usus suadet (cf. *b* 3, 4 et ad *Γ* 2. 1003*b* 33) et Alexandri auctoritas confirmat. — *b* 2 διὸ καὶ οὐκ ἔνεστιν κτλ. Quia τὸ ὄν et τὸ ἕν in definitionibus summarum categoriarum propterea non insunt, quoniam τὸ ὄν et τὸ ἓν non sunt γένη, Alexander haec verba *b* 6: οὐχ ὡς ἐν γένει — 7 καθ' ἕκαστα ponenda putat post ποσόν *b* 2, ut voc. causale διό habeat quo recte referatur. Probabilius Schwegl. universum enunciatum *b* 4: διὸ καὶ — 7 ἕκαστα ponendum arbi-

s causis, quae in rebus sensibilibus conspiciuntur, ad nooonem uniendam idonea sit, verum potius definitionis unius repetenda sit ex unitate ipsius rei definiendae, ἀλλὰ τῷ νὸς εἶναι *a* 13, cf. *Z* 11. 1037*a* 19. Res igitur ipsa, veluti omo, licet pluribus notis definiatur, quaeritur unde nihilo iinus sit una. Eam autem quaestionem Platonici (ὥσπερ ασί τινες *a* 16) quod ideas ponunt non solvunt, sed ne ossit omnino solvi efficiunt; quum enim singulas notionis otas, veluti in notione hominis et animal et bipes, tamuam substantias ponunt per se actu exsistentes, quoniam uae duo actu sunt nunquam possunt unum actu esse, cf. *Z* 10. 1039*a* 4, explicari nullo modo potest, qui fiat ut τὸ ὐτοζῷον et τὸ αὐτοδίπουν coeant in unitatem αὐτοανθρώπου nec duo maneant, vel qui fiat ut sensibiles homines unum participent αὐτοάνθρωπον, nec potius duo, αὐτοζῷον et αὐτοδίπουν, *a* 14—20. (*a* 18 οὐδ' ἑνός quod scripsi pro vulg. οὐδενός, ex eo quod opponitur: ἀλλὰ δυοῖν et e superioribus verbis: ἓν ἀλλ' οὐ πολλά *a* 15, satis commendatum videbitur.)

Omittenda igitur Platonica explicandi ratio (ὡς εἰώθασιν ὁρίζεσθαι *a* 21) et ea utendum distinctione, de qua quummaxime disputamus (ὥσπερ λέγομεν *a* 23), materiae et formae; eam si adhibuerimus distinctionem, omnis et difficultas et dubitatio evanuit, οὐκέτι ἀπορία δόξειεν ἂν εἶναι τὸ ζητούμενον *a* 24, οὐκέτι δ' ἡ ἀπορία φαίνεται *a* 29, i. e. ἡ ἀπορία ἣν εἴπομεν ἀφανίζεται. Etenim in rebus singulis et concretis, quae fieri possunt et interire, *a* 31, ut coeat cum materia forma, non alia quaerenda est causa nisi causa motrix, παρὰ τὸ ποιῆσαν *a* 31, *b* 22 (cf. Phys. III 2. 202*a* 7: ἡ κίνησις ἐντελέχεια τοῦ κινητοῦ, ᾗ κινητόν); unitas ipsa materiae et formae ne eget quidem ulla explicatione, ἀλλὰ τοῦτ' ἦν τὸ τί ἦν εἶναι ἑκατέρῳ (int. τῇ ὕλῃ καὶ τῇ μορφῇ) *a* 33, i. e. materiae sive potentiae natura in eo cernitur, ut ad formam et actum transeat, formae vicissim et actus ea est natura, ut materiam definiat vel potentiam compleat. Iam vero ista materiae et formae distinctio pertinet etiam ad definitiones, in quibus genus materiae locum tenet, non sensibilis illius quidem sed cogitabilis materiae (νοητή *a* 34, 36; paullo alia significatione ὕλη νοητή usurpatur de rerum

Θ.

CAP. I.

Transitur a quaestione substantiae ad disputationem de potentia et actu, 1045b 27—35, ac primum quidem τῆς κατὰ κίνησιν δυνάμεως primaria exponitur significatio — 1046a 19, activa et passiva potentia et coniunguntur et distinguuntur — a 29, opponitur potentia impotentiae tamquam suae privationi — a 35.

1045b 27 *περὶ* — **1046a 4** *ἄλλων*. Hunc librum continuo ordine cohaerere cum superiore expositum est in prooemio p. 14. Substantiam, de qua disputatum est in libris *ZH*, appellat *τὸ πρώτως ὄν* b 27, quia ad eam referuntur *αἱ ἄλλαι κατηγορίαι τοῦ ὄντος* b 28, h. e. reliqui modi, quibus esse aliquid dicimus, cf. *Δ* 7. 1017a 23: *ὁσαχῶς γὰρ λέγεται (τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας), τοσαυταχῶς τὸ εἶναι σημαίνει.* Reliquae autem categoriae ad substantiam ita referuntur, ut definiri non possint, nisi adscita, cui inhaereant, substantiae notione, *ἕξει τὸν τῆς οὐσίας λόγον* b 31. Quod quum se exposuisse dicit *ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* b 32, potest ille quidem respicere ad initium totius disputationis metaphysicae *Γ* 2. 1003a 33 sqq., sed quum reliqua omnia pertineant ad libros *ZH*, probabilius est haec verba: *ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* referri ad initium quaestionis de substantia *Z* 1. (*τὸ τί* b 33, i. e. substantia, cf. ad *E* 2. 1026a 36.) — Explicata igitur substantia fundamentum est positum cognoscendi entis, quatenus ens in singulis cernitur categoriis: sed quoniam a categoriis seiuncta est entis in potentiam et actum distinctio (cf. *Δ* 7. 1017a 35. *E* 2. 1026b 1. *Θ* 10. 1051a 34. *N* 2. 1089a 26), de his etiam notionibus disquirendum est, ut appareat actum qualibet ratione potiorem esse potentia, *Θ* 8, ac ponendum propterea pro summo omnium rerum principio actum prorsus immunem potentiae, *Λ* 6—9. — Actum autem quod significat voc. *ἐντελέχεια* b 33, quam exiguo discrimine hoc vocabulum differat ab *ἐνέργεια*, cf. ad 3. 1047a 30; et *ἐκ παραλλήλου* ad *ἐντελέχειαν* addit *τὸ ἔργον*, quia eo nomine et ipso perfectio et consummatio ope-

is significatur, cf. 8. 1050a 22: διὸ καὶ τοὔνομα ἐνέργεια λέγεται κατὰ τὸ ἔργον.

Ac primum quidem de potentia disputat cap. 1—5. Eius duas distinguit notiones, quarum altera maxime propriam ac peculiarem potentiae naturam contineat, sed ad huius disciplinae consilium, ad cognoscendam primam substantiam, minus pertineat, ἡ κατὰ κίνησιν δύναμις a2. Sed quum latius pateat potentiae et actus natura (ἐπὶ πλέον ἐστί a1), neque contineatur intra fines earum rerum quae moventur, de altera potentiae notione ibi se explicaturum promittit, ubi actus notionem exponat, a3, cf. 6. 1048a 27. Itaque voluisse quidem apparet Aristotelem duo potentiae genera distinguere, sed quum accuratam et distinctam definitionem alterius modo generis proposuerit, τῆς κατὰ κίνησιν δυνάμεως, quam esse vult ἀρχὴν μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο, alterum vero genus non definiverit sed exemplis illustrare satis habuerit 6. 1048a 27 sqq., quomodo ea duo genera voluerit distinguere non perinde est apertum. Videtur autem priore potentiae genere vim quandam et quasi nisum significare, quo quid ad efficiendam alia in re vel accipiendam ab alia re mutationem idoneum est; huc et nomen pertinet: ἡ κατὰ κίνησιν δύναμις, h. e. potentia quae tendit ad motum sive mutationem, et definitio, quum quidem potentia principium dicitur esse mutandi, et denique exempla veluti τοῦ θερμαντικοῦ et τοῦ θερμαντοῦ, τοῦ ὑγιεινοῦ et τοῦ ὑγιαντοῦ, τοῦ ἐπιστήμονος et τοῦ ἐπιστητοῦ alia eiusmodi, quippe quae omnia agendi patiendive nisum quendam significare videantur, ita quidem ut mutatio exsistat, in rebus inanimatis certe, simulatque activa et passiva potentia coierint. Altero vero potentiae genere, quum dicitur in ligno potentia esse Mercurius, in tota linea potentia inesse dimidia, 6. 1048a 32, non ille quem diximus nisus significatur, qui sua natura tendat ad mutationem, quem quidem neque in rudi ligno neque in tota linea perinde quispiam inesse statuerit atque in re calefactiva ac similibus, sed hoc unum notatur, posse aliquid fieri. Illud potentiae genus vernacule dicas *Vermögen*, hoc *Möglichkeit*, cf. ad Δ 12 init.; vocabulis parum Latinis illud potentiae, hoc possibilitatis nomine reddere liceat. Ac posse quidem haec duo δυνάμεως genera

distingui nemo infitiabitur; sed et admodum subtile et minutum esse discrimen apparet, neque ipsum Aristotelem satis caute versatum in tenenda ea distinctione, ut alios libros ne adeamus quidem, ex hoc ipso libro, in quo eam distinctionem proposuit, facile potest cognosci. Etenim quum sexto demum capite ad alterum genus potentiae, quam dixi possibilitatem, se transire ipse significet, 6. 1048a 27, tamen tertio iam capite in redarguendis Megaricorum opinionibus a potentiae notione transit ad meram possibilitatem; quod enim dicit 3. 1047a 24: ἔστι δὲ δυνατὸν τοῦτο, ᾧ ἐὰν ὑπάρξῃ ἡ ἐνέργεια, οὗ λέγεται ἔχειν τὴν δύναμιν, οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον, manifesto non potentiam definit, quae est ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο, sed meram possibilitatem. Item capite quarto 1047b 9—30 argumentatio non potest recte referri ad potentiam, sed haec et ipsa tacite a possibilitatis notione proficiscitur.

1046a 4 ὅτι μὲν — 35 λέγομεν. Varias δυνάμεως significationes eundem fere in modum persequitur ac Δ 12, quam ad disputationem respicit a 5: διώρισται ἡμῖν ἐν ἄλλοις. Ac primum quidem eas potentias, quae nomen modo δυνάμεως habent, non notionem (ὁμωνύμως a 6, ὁμοιότητί τινι a 7, cf. Δ 12. 1019b 33: κατὰ μεταφοράν), ab hac quaestione secludit, a 6—9, cf. Δ l. l. Quot autem potentiae ipsam habent δυνάμεως notionem (πρὸς τὸ αὐτὸ εἶδος, cf. de vocc. ὁμωνύμως et πρὸς ἕν ad Γ 2. 1003a 33), eae omnes referuntur ad primariam potentiae notionem, quae est ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο a 11, cf. 1019a 15. (De addita particula ἢ ante ᾗ cf. ad 1019a 16.) Iam singulas potentiae significationes ita enumerat, ut in quavis inesse primariam potentiae notionem appareat (cf. part. causalem γὰρ a 11). Ita passivam potentiam, a 11—13, cf. 1019a 20, et ipsum eum habitum, quo quid mutationi in deterius resistit (ἕξις ἀπαθείας τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον κτλ. a 13—15, cf. 1019a 26), ad principem illam notionem refert. Et quum differat, utrum quid simpliciter agendi patiendive, an bene idem agendi et patiendi potentiam habeat, a 16—19, in his etiam notionibus τοῦ καλῶς δύνασθαι insunt notiones illae τῶν προτέρων δυνάμεων a 18, i. e. τοῦ ἁπλῶς δύνασθαι ποιεῖν ἢ πάσχειν, cf. 1019a 21—26. (Articulum τοῦ ante παθεῖν a 17

mittendum esse docui Obs. p. 56.) — Quod autem deinde 19—21, idem et faciendi et patiendi, veluti calefaciendi et calefiendi, eandem quodammodo esse potentiam hoc comprobare studet argumento: *δυνατὸν γάρ ἐστι καὶ τῷ ἔχειν αὐτὸ δύναμιν τοῦ παθεῖν καὶ τῷ ἄλλο ὑπ' αὐτοῦ*, ambiguitate quadam niti videtur, quae inest in definitione potentiae; quae quod dicta est *ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο*, perinde locum habebit, et ubi *ἀρχή* est in alio, *μεταβολή* in ipso, et ubi in ipso est *ἀρχή*, in alio *μεταβολή*. Sed licet eidem notioni subiiciantur hae duae potentiae, diversis tamen et inter se oppositis insunt rebus, altera rei agenti, patienti altera, *a*22—28, *διὸ ᾗ συμπέφυκεν, οὐθὲν πάσχει αὐτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ* *a*28. (cf. Phys. VIII 4. 255*a* 13: *ᾗ γὰρ ἓν καὶ συνεχὲς μὴ ἁφῇ, ταύτῃ ἀπαθές· ἀλλ' ᾗ κεχώρισται, ταύτῃ τὸ μὲν πέφυκε ποιεῖν τὸ δὲ πάσχειν.*) Tenenda in his est particulae *ᾗ* vis, neque enim negat Aristoteles, posse interdum in eadem re vel eodem homine coniunctam esse agendi patiendique facultatem, veluti si medicus sibi ipsi medeatur, cf. 1019*a* 17, sed etiam is non quatenus idem est et ad accipiendam et ad afferendam sanitatem idoneus suam et exercet et experitur scientiam, sed quatenus in eo distincta ac seiuncta est altera potentia ab altera. — De potentiae et impotentiae oppositione cf. ad 1019*b* 15 sqq., et de privatione ad Δ 22.

CAP. II.

***Potentiae rationales quid differant ab irrationalibus,* 1046*a* 36—*b*24, *cum potentia bene aliquid faciendi necessario coniunctam esse simpliciter faciendi potentiam, non item vice versa* — *b*28.**

1046*a* 36 *ἐπεὶ δ'* — *b*4 *ἄλλο*. Potentiae (*ἀρχαὶ τοιαῦται* *a*36, i. e. *μεταβλητικαὶ ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο*) aliae insunt rebus inanimis, aliae animalibus; illae necessario omnes sunt irrationales, *ἄλογοι*, hae non omnes rationales, *μετὰ λόγου*, veluti *τὸ θρεπτικόν*, *τὸ αὐξητικόν*, sed eae demum ex his, quae insunt in rationali parte animae, *τῆς ψυχῆς ἐν τῷ λόγον ἔχοντι* *a*37, sive *ἐν τῷ λογιστικῷ μέρει τῆς ψυχῆς*, cf. Eth. N. VI 1. 1139*a* 11. Top. V 5. 134*a* 34. 6. 136*b* 11.

8. 138b 2. al. Et rationalibus quidem potentiis adnumerandae sunt artes, b2—4, quippe quae et principia sint mutationis aliis in rebus efficiendae, et suspensae sint a ratione, cf. *A* 1. 981a 5—b6. *Z* 7. 1032a 32 sqq. — b2 διὸ πᾶσαι αἱ τέχναι καὶ αἱ ποιητικαὶ καὶ ἐπιστῆμαι δυνάμεις εἰσίν. Haec ut vulgo exhibentur ne per grammaticas quidem leges ferri possunt, sed addendus esset ante ἐπιστῆμαι articulus αἱ cum Alex. p. 538, 14 et edd. Ald. Sylb., ut hic esset verborum sensus: πᾶσαι αἱ τέχναι καὶ αἱ ποιητικαὶ καὶ αἱ θεωρητικαὶ ἤτοι αἱ ἐπιστῆμαι, ubi quidem τέχνη latiore illa notione usurpatum esset, de qua dictum est ad *A* 1. p. 46. Sed theoreticae disciplinae, quae cognoscendo absolvuntur neque extra se opus ullum perficiunt, non possunt referri ad ἀρχὰς μεταβλητικὰς ἐν ἄλλῳ. Itaque cum Brandisio secutus interpretationes Bess. et Sep. sanandum locum arbitratus sum non addendo articulo sed omittenda part. καί ante ἐπιστῆμαι, quae ex iterata per errorem extrema v. ποιητικαί syllaba facile potuit oriri: πᾶσαι αἱ τέχναι καὶ αἱ ποιητικαὶ ἐπιστῆμαι. Addidisse autem ad τέχνας pro synonymo τὰς ποιητικὰς ἐπιστήμας propterea videtur, quo magis appareat, artes a ratione et scientia rei suspensas esse. Et ἐπιστήμης quidem notionem perinde latius extendit ac *Λ* 9. 1075a 1: ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν ἐπιστημῶν i. e. ἐπὶ τῶν τεχνῶν, cf. Alex. ad h. l. p. 689, 17: ποιητικὰς δὲ ἐπιστήμας καταχρώμενος τῷ τῆς ἐπιστήμης ὀνόματι λέγει οἰκοδομικὴν καὶ τὰς ὁμοίας.

1046b 4 καὶ αἱ — 24 λόγῳ. Rationalium et irrationalium potentiarum hoc est praecipuum discrimen, quod irrationales singulae quaeque unum quidpiam perficiunt, veluti calefactiva potentia calorem neque eadem frigus, rationales vero eaedem contraria possunt efficere, veluti medicina et sanitatem et morbum. Nimirum rationales a scientia rei pendent et λόγῳ, scientia autem eadem est contrariorum, cf. ad *B* 2. 996a 20; quamquam per se quidem scientia pertinet ad εἶδος (δηλοῖ τὸ πρᾶγμα b8, ἔστι δ' ὡς τοῦ ὑπάρχοντος μᾶλλον b9, i. e. τοῦ πράγματος sive τοῦ εἴδους), ad oppositam ei privationem ita tantum refertur per accidens, quia cum affirmatione simul negationem circumscribit (ἀποφάσει καὶ ἀποφορᾷ b13, 15, cf. *Z* 7. 1032b 2: τῶν ἐναντίων τρόπον

τινὰ τὸ αὐτὸ εἶδος· τῆς γὰρ στερήσεως οὐσία ἡ οὐσία ἡ ἐντικειμένη, οἷον ὑγίεια νόσου· ἐκείνης γὰρ ἀπουσίᾳ δηλοῦται ἡ νόσος, ἡ δ' ὑγίεια ὁ ἐν τῇ ψυχῇ λόγος καὶ ἐν τῇ ἐπιστήμῃ.). Etenim ἡ στέρησις ἡ πρώτη τὸ ἐναντίον *b*14: subiectum enunciati arbitror esse τὸ ἐναντίον, quia eius naturam definiendam esse e superioribus verbis *b*14 apparet; contrarii natura, ait, cernitur in privatione, nec tamen in qualibet privatione, sed in prima, i. e. plena ac perfecta, cf. *I* 4. 1055*a* 34: οὐ πᾶσα δὲ στέρησις (int. ἐναντίωσίς ἐστι), πολλαχῶς γὰρ λέγεται ἡ στέρησις, ἀλλ' ἥτις ἂν τελεία ᾖ. Atqui privatio conficitur per negationem, αὕτη δ' ἀποφορὰ θατέρου *b*15 (cf. quae accuratius de negatione privatione contrarietate exposuit Ar. *I* 4. 1055*b* 1 sqq.). Ergo rationales potentiae, quoniam cum affirmatione etiam negationem notionis continent, ad contraria eaedem referuntur. Et quamquam contraria non possunt simul esse in eadem re (cf. *Γ* 3. 1005*b* 26), tamen anima vel ars ab eadem notione profecta (ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς *b*22) et ad eandem notionem referens suam actionem (πρὸς τὸ αὐτὸ συνάψασα *b*22) contraria faciendi habet facultatem. *b*22: διὸ τὰ κατὰ λόγον δυνατὰ τοῖς ἄνευ λόγου δυνατοῖς ποιεῖ τἀναντία, nimirum irrationales singulae singula, rationales eaedem contraria efficiunt: μιᾷ γὰρ ἀρχῇ περιέχεται (int. contraria illa, quae efficiunt potentiae rationales), τῷ λόγῳ. — Secutus in his lectionem Alex. p. 539, 29 et cod. *E* dativum scripsi μιᾷ ἀρχῇ, cui appositionis loco additum sit τῷ λόγῳ, quia vulg. μία ἀρχή explicari nullo modo potest. — *b*15 ἐπεὶ δὲ — 20 ἄμφω. In apodosi duo quidem membra: τὸ μὲν ὑγιεινόν — ψυχρότητα et: ὁ δ' ἐπιστήμων ἄμφω, quasi eodem ordine iuxta se posita sunt, sed ipsa apodosis unice in posteriore membro continetur; prius grammatice coordinatum, re vera subiectum est alteri membro. Cf. de hoc abusu partt. μέν — δέ Xen. Cyr. I 1, 4 et Bornem. ad h. l.

1046*b* 24 φανερὸν — 28 ποιεῖν. Cum potentia bene quidpiam faciendi necessario coniuncta est (ἀκολουθεῖ *b*25, cf, ad *A* 1. 981*a* 27) simpliciter faciendi facultas, non item contra.

CAP. III.

***Distinctam esse ab actu potentiam adversus Megaricos comprobatur*, 1046 b 29 — 1047 a 24, *et quomodo ab eo sit distinguenda explicatur* — b 2.**

1046 b 29 *εἰσὶ* — **33** *ἰδεῖν.* Megarici quibus rationibus adducti potentiae ab actu distinctionem negaverint, qua Aristoteles omnes sibi videbatur veterum philosophorum de generatione dubitationes solvisse (cf. Phys. I 8), et τῷ δυνάμει ὄντι veram exsistentiam tribuere noluerint, acute et perspicue exposuit Hartenstein, Verh. der k. sächs. Ges. d. Wissensch. VI. p. 205 sqq., cf. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 105. Eorum placitis et argumentis ne videatur cedere, suam de potentia doctrinam confirmaturus quam ineptas ad conclusiones illi adigantur (*τὰ συμβαίνοντα ἄτοπα* b 33, cf. ad *A* 8. 989 a 22) exponit. Et primum quidem, 1046 b 33—1047 a 10, placitis eorum sensuum evidentiam opponit, deinde, a 10—20, ex eorum sententia hoc docet consequi ut generatio ac mutatio omnino tollatur.

a) **1046 b 33—1047 a 10.** Megarici neminem contendunt esse architectum, id est autem *οἰκοδομεῖν δυνατόν*, nisi quum occupatus sit in exstruendo aedificio; his ergo est architectus simulatque coepit exstruere aedificium, desiit esse architectus ubi primum desiit aedificare. At hoc inter omnes constat, ad ipsam potentiam, veluti ad aedificandi artem, vel comparandam vel abolendam oportere temporis spatium et causae quaedam intercedant; nemo enim extemplo fit architectus, sed disciplina demum et multa exercitatione eam sibi comparat facultatem, neque extemplo desiit esse, nisi per longius temporis intervallum vel oblivio vel gravior quaedam affectio intercesserit. Repugnat igitur Megaricorum commentum ei veritatis iudicio, quod in communi eaque necessaria cernitur omnium persuasione. — Item si ad res inanimas transfertur Megaricorum sententia, a 4, quam falsa ea sit apparet; consequitur enim ex ea, ut nulla res sensibilis esse omnino censeatur, nisi quum sensu percipitur, quae plane Protagorae est sententia, opinantis res tum ac tales esse, quum et quales percipiantur. Et quoniam sentiendi ne facultatem quidem cuiquam assignari patiuntur,

nisi quum quid sentit, sequitur ut eundem saepe eodem die et caecum esse iudicent et videntem.

Haec universa argumenti ratio; singulis in verbis restant quae explicationem requirant. — *b* 34 *οὔτ' οἰκοδόμος*. Particulae *οὔτε* deinde opposita est part. *δέ* *a* 35: *ὁμοίως δὲ καί*, cf. ad *Z* 16. 1040*b* 6. — *b* 37 *μανθάνοντα*. Et propter sententiam et propter similitudinem alterius v. *λαβόντα* probabilius videtur scribendum esse *μαθόντα*, quod habet Alex. p. 540, 15. — *a* 2 *οὐ γὰρ δὴ τοῦ γε πράγματος φθαρέντος· ἀεὶ γάρ ἐστιν*. Voc. *πρᾶγμα* facillime videtur intelligi posse de materia arti alicui subiecta (cf. Alex. p. 540, 21: *οὐ μὴν τοῦ γε πράγματος καὶ τῆς ὕλης φθαρείσης*), ut Ar. dicat aedificandi aliamve artem non esse inde suspensam, utrum lapides ac ligna suppetant necne. Sed haec interpretatio admitti non potest propter proxima verba: *ἀεὶ γάρ ἐστι*, quae de materia artis profecto dici nequeunt. Itaque eo videmur adigi, ut *πρᾶγμα* esse putemus ipsam artem: artem, ait Ar., amittit quispiam per oblivionem vel aliis de causis, nec vero quod ipsa ars interciderit, ea enim aeterna est. Alexander pro v. *ἀεί* in textu habuit part. *εἰ*, in qua explicanda frustra videtur laborare p. 540, 25. — *a* 3 *ὅταν παύσηται, οὐχ ἕξει τὴν τέχνην*. Haec apodosis parum concinit cum protasi: *εἰ οὖν ἀδύνατον*. Quod enim in protasi dixit: si fieri non potest ut quis aliter amittat artem, nisi oblivio et longius temporis spatium intercesserit, inde non potest concludi: non habebit artem simulatque eam exercere desierit, sed ipsum contrarium. Quare arbitror aut interrogandi particulam *πῶς* in hoc enunciato perinde addendam esse atque addita est in proximo, *a* 4: *πῶς λαβών*, quod confirmari videtur interpretatione Alex. p. 540, 29: *πῶς, ὅταν παύσηται ὁ οἰκοδόμος τοῦ οἰκοδομεῖν — οὐχ ἕξει τὴν οἰκοδομικήν*: aut si haec emendatio audacior videatur, post *τέχνην* lenius distinguendum et haec verba cum sequentibus artius coniungenda esse, quasi plenius sic dictum sit: *εἰ κατὰ τοὺς Μεγαρικοὺς ὅταν παύσηται οὐχ ἕξει τὴν τέχνην, πῶς λαβὼν πάλιν εὐθὺς οἰκοδομήσει*; — *a* 6 *μὴ αἰσθανομένων*. Quamquam codd. Bekk. omnes videntur exhibere lectionem *μὴ αἰσθανόμενον*, tamen non dubitavi cum edd. Ald. Sylb. Bess. scribere id quod sententia flagitat: *μὴ αἰσθανο-*

μένων, int. τινῶν, i. e. nisi si quis sentiat. Cf. de eadem re Γ 5. 1010b 30: οὐθὲν ἂν εἴη μὴ ὄντων τῶν ἐμψύχων. — a 9 καὶ ἔτι ὄν. Admodum languidum et inane hoc est additamentum; etenim στέρησιν, ut quae non mera sit negatio, per se constat non posse tribui nisi ei rei quae est. Quare haud scio an cod. exiguae auctoritatis T, quocum h. l. non solum edd. Ald. Sylb., quae eum fere sequuntur, sed etiam Bess. consentit, genuinam lectionem servaverit: καὶ ἔτι ὡς. Probabilis ea emendatio videbitur conferenti Δ 22. 1022b 30: ὁμοίως δὲ καὶ ἐν ᾧ ἂν ᾖ καὶ καθ' ὃ καὶ πρὸς ὃ καὶ ὡς ἂν μὴ ἔχῃ πεφυκός. Alexander sane vulgatam interpretatur lectionem, p. 541, 20: καὶ ἔτι ὄν, μὴ φθαρέν. quamquam non est praetermittendum, quod cod. Mon. pro ὂν exhibet ὡς οἷον. — a 10 καὶ κωφοί. Haec verba non interpretatur Alexander, et si initium huius exempli respexeris: εἰ οὖν τυφλὸν κτλ., exspectes potius caecitati, ut privationi, opponi eiusdem sensus habitum, quam alius sensus privationem. Quare dubito an quid per librariorum errorem depravatum sit.

b) 1047a 10—20. Qui potentiae et actus discrimen negant, omnem tollunt motum ac mutationem. Nam si id, quod nondum est, ne potentiam quidem habet fiendi, oportet illud esse ἀδύνατον γενέσθαι: ergo, quod nondum est, ne fieri quidem unquam potest. — a 13 τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦτο ἐσήμαινεν, i. e. hanc enim posuimus esse τοῦ ἀδυνάτου vim et significationem, nimirum ut eum errare indicemus, qui τὸ ἀδύνατον fieri vel fore dicat. — a 20 οὐ μικρόν τι, int. κίνησιν καὶ γένεσιν, coll. a 14.

1047a 20 ὥστ' — b 2 ἐστίν. Ita quum Megarici, sua ut placita tueantur, repugnare cogantur sensuum evidentiae, concludit (ὥστ' a 20) falsam esse eam a qua profecti sunt sententiam et esse re vera aliquid δυνάμει ὄν. Posuisse Aristotelem in altero argumento non potentiae sed possibilitatis notionem, supra iam monitum est ad l. 1046b 3: eandem possibilitatis notionem deinde describit, a 24—26 (cuius enunciati distinctionem emendavi Obs. p. 17), et exemplis illustrat, a 26—29. — Potentiae notionem quum duobus vocabulis Ar. significet, τὸ δυνατόν et τὸ ἐνδεχόμενον, haec ubi accuratius usurpat ita videtur distinguere, ut τὸ δυνα-

τόν propria ac sua vi ad principium agendi vel patiendi rei insitum pertineat, τὸ ἐνδεχόμενον autem eam significet possibilitatem, per quam, si quid ponamus esse quod ἐνδέχεσθαι diximus, non verendum sit ne nobis contradicamus ipsi; cf. Waitz Org. I. p. 376. Et τὸ ἐνδεχόμενον quidem nunquam propriam illam τοῦ δυνατοῦ notionem videtur adsciscere; τὸ δυνατόν autem saepe latiore sensu ita usurpatur, ut a τῷ ἐνδεχομένῳ non differat. Id hoc ipso loco fieri apparebit conferenti An. pr. I 13. 32ª 18: λέγω δ' ἐνδέχεσθαι καὶ τὸ ἐνδεχόμενον, οὗ μὴ ὄντος ἀναγκαίου, τεθέντος δ' ὑπάρχειν, οὐδὲν ἔσται διὰ τοῦτ' ἀδύνατον. Phys. VII 1. 127, 12 (ed. Bekk. min.): τοῦ δ' ἐνδεχομένου τεθέντος οὐθὲν προσήκει γίγνεσθαι διὰ τοῦτο ἀδύνατον. — Ceterum apparet in circulo versari quam hic proponit τοῦ δυνατοῦ definitionem, quum quidem τὸ δυνατόν describit per negativae notionis negationem, quasi brevius dicat: δυνατόν ἐστι τοῦτο, ὃ ἐνεργείᾳ εἶναι οὐκ ἔστιν ἀδύνατον. Quod quidem vitium definiendi licet aliquanto minuatur, si τὸ δυνατόν, quod definit, de qualitate quadam rei inhaerente, τὸ ἀδύνατον, quod ad definiendum adsciscit, de interna cogitandi repugnantia intellexerimus (*logische Unmöglichkeit*, cf. Waitz l. l.), tamen inde nondum omnem dirimi difficultatem, quam proponenda hac notione et in principio collocanda An. subiit, videbimus ad 6. 1048ª 30 sqq.

Ad definiendam δύναμιν iam hoc loco adhibet notionem ἐνεργείας, de qua infra demum, inde a cap. 6, uberius disputabit. Quod quidem vocabulum ἐνεργείας quum ab Aristotele cum altero ἐντελεχείας nomine plerumque ita coniungatur et commisceatur, ut idem utrumque videatur significare, voluisse certe Aristotelem discrimen aliquod inter utrumque constituere, id quod vel ex diversitate vocabulorum consentaneum est, ex hoc maxime loco apparet, quod dicit: ἡ ἐνέργεια —, ἡ πρὸς ἐντελέχειαν συντιθεμένη (nisi forte rectius cum Alexandro scribitur συντεθειμένη). cf. 8. 1050ª 23: ἡ ἐνέργεια — συντείνει πρὸς ἐντελέχειαν. Nimirum ἐντελέχεια, ut descendit ab adiectivo ἐντελεχής i. e. plenus, perfectus, perfectionem rei significat; ἐνέργεια vero, derivatum a v. ἐνεργεῖν, eam actionem et mutationem, qua quid ex mera possibilitate ad plenam perducitur essentiam. Quare

ἐνέργειαν suum et peculiarem locum habere dicit ubi agitur de mutatione et motu, eandemque dicit pertinere et tendere, συντείνειν, συντεθεῖσθαι, ad ἐντελέχειαν, perfectum rei statum qui inde conficiatur. Sed licet alterum proprie viam, alterum finem viae significet, tamen haec duo ita inter se cohaerent, ut facile appareat cur saepissime nullo usurpentur discrimine. cf. Trend. de an. p. 397. — a 32 ἐνέργεια quamquam praedicati locum obtinet, tamen articulum ideo sibi videtur adscivisse, ut significetur ea de qua agimus ἐνέργεια. — a 33 ἄλλας δέ τινας κατηγορίας. Non cogitandum de decem summis rerum generibus, sed κατηγορία universali praedicamenti notione accipiendum; non motum, ait, sed alia quaedam de iis, quae non sunt, praedicamus.

CAP. IV.

Falluntur qui dicunt, esse aliquid δυνατὸν εἶναι, *nec tamen unquam futurum*, 1047b 3—14. *Si cum existentia unius rei A necessario coniuncta est exsistentia alterius rei B, etiam cum possibilitate rei A coniuncta est possibilitas rei B, et vicissim e coniuncta necessario possibilitate coniuncta item exsistentia colligi potest* — b 30.

1047b 3 εἰ δ' — 14 ἀδύνατον δέ. Si ea est τοῦ δυνατοῦ significatio, ut si pervenisse ponatur ad exsistentiam nihil propterea accidat impossibile, non licet vere dici: esse quidem aliquid possibile, sed nunquam futurum; ita enim quae sit impossibilitatis vis ac natura prorsus nos fugiet. Veluti dixerit quispiam: Nihil impedit quominus quidpiam, quamquam possibile est esse vel fieri, tamen nec sit nec fiat; itaque equidem dico lineam diagonalem quadrati posse illam quidem mensurari, sed nunquam mensuratum iri. Quae qui dicit, is quid sit impossibile non reputavit. Etenim ex proposita antea τοῦ δυνατοῦ notione (ἐκ τῶν κειμένων b 10, cf. 3. 1047a 24) consequitur, ut, si re vera esse ponamus id quod est possibile, falsum hoc fortasse sit, sed non sit impossibile. At si lineam diagonalem mensurari ponimus, id non solum falsum est, sed impossibile. Ergo possibilitatis et impossibilitatis notiones non perspexit, si quis dicit lineam diagonalem esse quidem δυνατὸν μετρεῖσθαι, nec tamen unquam mensuratum iri, ac perinde aliis in rebus.

b 3 εἰ δ' ἐστὶ τὸ εἰρημένον δυνατὸν ᾗ ἀκολουθεῖ. Construe: εἰ δ' ἐστὶ δυνατὸν τὸ εἰρημένον (int. τοῦτο, ᾧ ἐὰν ὑπάρξῃ ἡ ἐνέργεια, — οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον, 3. 1047*a* 24), ᾗ ἀκολουθεῖ, int. ἡ ἐνέργεια, quod voc. propterea potest suppleri, quia per τὸ εἰρημένον est significatum. — *b* 5 τὰ ἀδύνατα εἶναι. Infinitivus εἶναι suspensus est ab ἀδύνατα, ac perinde dictum est *b* 8 ἀδύνατον εἶναι, δυνατὸν εἶναι ἢ γενέσθαι. cf. Waitz Org. 22*a* 14. Ac διαφεύγει hac ratione τὰ ἀδύνατα εἶναι, quoniam quae re vera ἀδύνατα sunt, ea ad τὰ δυνατά referunt. — *b* 7 μὴ λογιζόμενος τὸ ἀδύνατον εἶναι. Plenius et magis perspicue Ar. addidisset: τί ἐστι, ut recte interpretatur Alex. p. 544, 7: ὁ μὴ λογιζόμενος μηδὲ νοῶν τὸ ἀδύνατον τί ποτέ ἐστι, καὶ τὴν διαφορὰν ἣν ἔχει πρὸς τὸ δυνατόν. Articulum autem ante μή, quamquam tueri videtur Alexander, omittendum putavi cum cod. *T*, quia per hoc partic. ratio affertur cur quis diagonalem dicat δυνατὸν μετρεῖσθαι. Ceterum haec verba: μὴ λογ. τὸ ἀδ. εἶναι quasi in parenthesi ponenda, et proxima: ὅτι οὐθὲν κωλύει coniungenda cum superioribus: si quis propterea sibi videatur vere dicere, diagonalem esse possibilem mensurari, nec tamen mensuratum iri, quia nimirum nihil impediat etc. Particulam autem δέ *b* 8, ut possit haec enunciati pars recte construi (δυνατόν τι ὄν — i. e. quamquam est δυνατόν — εἶναι ἢ γενέσθαι μὴ εἶναι μηδ' ἔσεσθαι), omisi cum cod. *Ab* et Alex. p. 544, 9. — *b* 12 τὸ μετρεῖσθαι (int. τὴν διάμετρον) ἀδύνατον, cf. de διαμέτρῳ ἀσυμμέτρῳ ad *A* 3. 983*b* 16. — *b* 14 ψεῦδος et ἀδύνατον quid differant iisdem prope verbis et iisdem exemplis Ar. illustrat de coelo I 12. 281*b* 3—14.

1047*b* 14 ἅμα — 30 ἀναγκαῖον. Eandem propositionem similem in modum comprobat An. pr. I 15. 34*a* 5 sqq. Coniunctam autem hanc ratiocinationem cum superiore esse (ἅμα δὲ δῆλον *b* 14) propterea videtur significare, quia utraque ex eadem pendet τοῦ δυνατοῦ definitione, qualis proposita est 3. 1047*a* 24. Ab hac profectus notione hac utitur argumentatione indirecta:

Si exsistentiam τοῦ *A* necessario sequitur exsistentia τοῦ *B*, consequens est ut, si *A* possibile est, etiam *B* necesse sit possibile esse. Ponamus enim quempiam contrarium contendere: esse quidem *A* possibile, sed propterea non necessario etiam *B* esse possibile (εἰ γὰρ μὴ ἀνάγκη δυνατὸν εἶ-

ναι *b* 17, int. τὸ *B*, et inf. εἶναι suspensus est a δυνατόν, cf. ad *b* 5). Erit igitur huius e sententia *B* impossibile (οὐθὲν κωλύει μὴ εἶναι — int. τὸ *B* — δυνατὸν εἶναι *b* 17, i. e. οὐθὲν κωλύει εἶναι τὸ *B* ἀδύνατον εἶναι). Iam esto *A* possibile. Atqui hoc si est possibile, si ponatur re vera esse, nihil impossibile propterea accidit, cf. 3. 1047 *a* 24. Ponatur igitur *A* esse, tum consequens est ex ea, quam posuimus, hypothesi etiam *B* esse (τὸ δέ γε *B* ἀνάγκη εἶναι *b* 19). At positum erat ab adversario *B* esse impossibile (ἀλλ' ἦν ἀδύνατον *b* 20). Quod si est impossibile, consequitur necessario, ut etiam *A* impossibile sit (ἀνάγκη καὶ τὸ *A* εἶναι *b* 21, int. ἀδύνατον); at positum est ab initio totius argumentationis *A* esse possibile. Huic igitur hypothesi repugnat quod contendit adversarius *B* non esse necessario possibile et cum ea stare non potest. Ergo refutato sententiae adversario comprobatum est, id quod voluimus, si cum exsistentia τοῦ *A* coniuncta sit exsistentia τοῦ *B*, item cum possibilitate τοῦ *A* coniunctam esse possibilitatem τοῦ *B*, *b* 22—26; ac perinde vicissim, si cum possibilitate τοῦ *A* coniuncta est possibilitas τοῦ *B*, sequitur ut, si est *A*, necessario etiam sit *B*, *b* 26—30.

Secutus sum in interpretando hoc loco duas textus emendationes, quas proposui Obs. p. 123 sq. Et altera quidem quod *b* 19 τεθείη τὸ *A* scripsi pro vulg. τεθείη τὸ *AB*, Alexandri et Bess. auctoritate satis commendata videtur, et confirmatur praeterea collata eadem Analyticorum l. l. ratiocinatione. Quod autem deinde, *b* 19, *A* et *B* inter se commutavi et voc. ἀνάγκη e textu seclusi, id non possum aliter commendare, nisi quod vel necessaria vel apta certe ad ratiocinandi ordinem haec videtur emendatio. Schweglerus ad h. l. aut addendis potius quam omittendis vocabulis textum emendandum putat hunc in modum: εἰ δὴ ἀδύνατον (int. τὸ *B*), ἀνάγκη εἶναι (int. ἀδύνατον) καὶ τὸ *A*, εἰ τοῦ *A* ὄντος ἀνάγκη καὶ τὸ *B* εἶναι: aut universum illum locum *b* 20 ἔστω δὴ — 22 *B* ἄρα cum cod. *A^b* et Alex. qui eum non videtur interpretari, omittendum esse. Omittenda haec verba esse etiam Waitz censet Org. 34 *a* 5. — *b* 25 μὴ ᾖ δυνατὸν τὸ *B* οὕτως, i. e. ἐὰν τὸ *A* ᾖ δυνατόν. — *b* 28, non est cur cum Alex. prius εἶναι omittamus. Prius enim

εἶναι coniunctum cum articulo τό subiectum efficit enunciati: τὸ εἶναι δυνατόν, alterum εἶναι a δυνατόν suspensum est pariter ac b29 δυνατὸν εἶναι, cf. ad b5.

CAP. V.

Diversa potentiae genera quomodo et fiant, 1047b 31—35, *et vim suam exerceant* — 1048a 24.

Refutatis Megaricis confectisque iis quaestionibus, quae cum hac refutatione arte coniunctae sunt, ad eam redit potentiarum distinctionem, quae cap. 2 proposita est, ut alterum sit genus potentiarum rationalium alterum irrationalium. Videtur quidem hoc loco plura distinguere genera, quum alias facultates dicit per naturam insitas esse (συγγενῶν b31); alias exercitatione, alias disciplina comparari; sed re vera quas postremo loco posuit, eae rationalium potentiarum genere comprehenduntur; quas primo loco posuit, referendae sunt ad potentias irrationales. His igitur duobus in generibus distinguit et quomodo fiant et quomodo vim suam exerceant. Ac rationales quidem facultates, quoniam e ratione pendent, ratio autem in actione animi cernitur, non possunt esse, nisi praecesserit illa actio, ἀνάγκη ἔχειν (τὰς μετὰ λόγου δυνάμεις) προενεργήσαντας b33, quae res exemplis illustratur 8. 1049b 29; reliquis vero in potentiis, veluti in sensibus vel in calefactiva ignis potentia, non est opus actum antea exsistere quam potentiam. — Diversum autem in modum ut vim suam exerceant haec duo potentiarum genera eo efficitur, quod irrationales potentiae modo ad unum e contrariis pertinent, rationales vero ad utrumque, cf. cap. 2; illae igitur operantur, ubi activa et passiva potentiae, quatenus sunt potentiae, appropinquant altera alteri, hae vero non item, quoniam sic consequens esset, ut contraria, quorum parem habent facultatem, simul etiam efficiant (ὥστε ἅμα ποιήσει τἀναντία a9, fut. conditionale, cf. Obs. p. 62 sqq.), quod fieri non potest. Aliunde igitur vel ex appetitu vel ex deliberatione et voluntate decernendum est (ἕτερόν τι τὸ κύριον a10), utrum e contrariis perficiat potentia aliqua rationalis. Quod ubi decretum erit, tum vero potentia rationalis necessario id, cuius est potentia, et quemadmodum

est potentia, perficiet; perficiet igitur *παρόντος τοῦ παθητικοῦ καὶ ὡδὶ ἔχοντος* *a* 15, i. e. *ἐπιτηδείου ὄντος πρὸς τὸ παθεῖν*. Externorum impedimentorum absentiam non est quod praeterea requiramus; ea enim iam continetur in notione potentiae accurate descripta (*διορισμός* *a* 2, 20, cf. ad *Γ* 3. 1005*b* 23), quia ita demum est potentia, ut absint externa impedimenta, *a* 16—21. Nec si quis duo contraria simul concupiverit, ea simul potest efficere; neque enim habet potentiam contraria simul efficiendi, *a* 21—24.

a 5, colo distinxi ante *τὰς μέν*, non commate, ut inde apodosin ordiri appareat. — *a* 11 *ὄρεξις* et *προαίρεσις* quid inter se differant, Ar. breviter significat Eth. N. VI 2. 1139*a* 23: *ἡ δὲ προαίρεσις ὄρεξις βουλευτική*, uberius exponit de motu anim. 6, 7, cf. Trend. de an. p. 180 sqq. — *a* 18 *ὡς ἔστι δύναμις*. Quod vulgo exhibetur: *ὡς ἔστι δυνάμει*, construi nullo modo potest. Quare non dubitavi, nominativum, quem Alex. habuit (p. 548, 5: *ὡς γάρ ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ ποιεῖν, οὕτως ἔχει αὐτήν*), e coniectura Brand. in textu scribere. Confirmari videtur haec emendatio coll. *a* 22, 23. — *a* 24 *ἐπεὶ ὧν ἐστὶν οὕτως ποιήσει*, i. e. *ἐπεὶ ὧν ἐστὶ δύναμις τοῦ ποιεῖν, ταῦτα οὕτως ποιήσει ὡς ἔστι δύναμις*.

CAP. VI.

Actus distinguitur a potentia, 1048a 25—b 9; mera possibilitas, quae nunquam ad actum progreditur, ab ea distinguitur potentia, quae perficitur actu — b 17; actus discernitur a motu — b 35.

1048*a* 25 *ἐπεὶ* — *b* 9 *ὕλην*. Exposita propria potentiae notione (*τῆς κατὰ κίνησιν δυνάμεως* *a* 25) transit ad explicandum actum, qua disputatione simul cognitum iri dicit alterum idque latius patens potentiae genus, *a* 28, i. e. possibilitatem, cf. ad l. 1046*a* 1. Atque ut supra 3. 1047*a* 24 possibilitatem explicuit adhibita actus, *ἐνεργείας*, notione, ita nunc ad definiendum actum adsciscit contrariam ei possibilitatis notionem, *a* 30: *ἔστι δ' ἡ ἐνέργεια τὸ ὑπάρχειν τὸ πρᾶγμα, μὴ οὕτως ὥσπερ λέγομεν δυνάμει*, i. e. *ὑπάρχειν μέν, μὴ οὕτως δὲ ὑπάρχειν ὡς καὶ δυνάμει ὑπάρχειν τι λέγομεν*. Quomodo autem ea exsistentia, quae actu dicatur

esse, distinguatur a possibilitate, non notione et notis quibusdam specificis circumscribit, sed satis habet exemplis illustrasse [1]), quia *οὐ δεῖ παντὸς ὅρον ζητεῖν* *a* 36 (cf. Top. I 14. 105*b* 26: *ὁρισμῷ μὲν οὐκ εὐπετὲς ἀποδοῦναι περὶ αὐτῶν, τῇ δὲ διὰ τῆς ἐπαγωγῆς συνηθείᾳ πειρατέον γνωρίζειν*). Itaque exemplorum paria inter se componit, *τὸ οἰκοδομοῦν* et *τὸ οἰκοδομικόν*, *τὸ ἐγρηγορός* et *τὸ καθεῦδον*, *τὸ ἀπειργασμένον* et *τὸ ἀνέργαστον*: altera horum exemplorum membra si uno obtutu complectimur, quid sit *ἐνέργεια* definitum est (*ἔστω ἡ ἐνέργεια ἀφωρισμένη* *b* 5), alteris eorundem exemplorum membris descripta est potentia. — Sed quum omnibus in rebus actus distinctus sit a potentia et eadem quasi proportione (*τῷ ἀνάλογον* *b* 7) hoc discrimen ubique describatur, tamen non eadem prorsus vi *ἐνέργεια* ubique dicitur, sed in aliis ad potentiam refertur *ὡς κίνησις πρὸς δύναμιν*, in aliis *ὡς οὐσία πρός τινα ὕλην* *b* 8, 9. In exemplis afferendis si voluerimus acquiescere, apparet *τὴν οἰκοδόμησιν πρὸς τὸ οἰκοδομικόν* referri *ὡς κίνησιν πρὸς δύναμιν*, contra aedificium ad rudem materiam, hominem ad menstrua referri *ὡς οὐσίαν πρός τινα ὕλην*. Sin autem discriminis ipsam quaesiverimus rationem, duplex cernitur causa; etenim potentiae modo opponitur is motus et actus, quo res ad perfectionem naturae suae perducitur, *κίνησις*, modo ipsa illa perfectio, *ἐνέργεια* sive *ἐντελέχεια*: ac praeterea aliae

1) Ea omnia quam parum sufficiant iustae ac plenae rerum cognitioni, facile est ostendere. Nimirum potentiam et actum ideo distinxit Aristoteles, ut hac distinctione veterum philosophorum de generatione ac mutatione dubitationes dirimerentur. At ipsas has notiones, quas lucem afferre vult rerum naturae, qualem usu et experientia cognoscimus, non potest per suam naturam suasque notas specificas definire, sed illustrare modo adhibita eadem experientia, ad quam illustrandam inventae sunt; perinde ac materiam, quae cum potentia et coniungitur saepissime et necessario cohaeret, dicit *ἐπιστητὴν κατ᾽ ἀναλογίαν* et allatis exemplis describit Phys. I 7. 191*a* 7 sqq. Praeterea possibilitatem ita describit 3. 1074*a* 24, ut quid eam ab actu seiungat nequeat intelligi. Quid enim? Possibile, ait, si ponatur actu esse, nihil inde consequitur impossibile. Quid igitur impedit, quominus possibile ipsum sit actu? Ita quum notione ipsa et ratione parum distincta sit potentia ab actu, nihil prorsus videtur Ar. dicere, quum actum esse significat *τὸ ὑπάρχειν τὸ πρᾶγμα, μὴ οὕτως ὥσπερ λέγομεν δυνάμει*, nec mirum quod Megarici, aliis illi quidem in rebus arguti, in hac autem satis acuti et subtiles, existentiam *τῷ δυνάμει ὄντι* tribuere recusarunt, cf. cap. 3.

sunt ἐνέργειαι, quae externum quoddam opus habeant praeter ipsum actum, veluti aedificium, statuam al., aliae sunt, quae intra motum unice et actum contineantur, cf. ad 3. 1047a 30. 6. 1048b 18 sqq.

a 29 ἢ ἁπλῶς ἢ τρόπον τινά, referri videtur ad discrimen τῆς τοῦ ἁπλῶς ποιῆσαι ἢ παθεῖν et τῆς τοῦ καλῶς δυνάμεως, cf. 1. 1046a 17. Alex. p. 548, 23. — a 30 διήλθομεν retinendum esse, nec scribendum cum Bess. et Sepulv. διέλθωμεν, apparet coll. 1. 1045b 35 sqq. — a 30 ἔστι δ' ἡ ἐνέργεια — 35 τὸ δ' ἐνεργείᾳ. Hoc enunciatum non habeo quomodo ad iustam conformationem redigam. Parenthesi quidem quin includenda sint verba λέγομεν — θεωρῆσαι, quae pertinent ad explicandum v. δυνάμει, vix est dubium, sed ne sic quidem intelligi potest, quomodo vv. τὸ δ' ἐνεργείᾳ superioribus opponi possint; exspectes potius, ut Alexandri interpretatio p. 549, 6 admitti possit, scriptum esse: ἀλλ' ἐνεργείᾳ. Quod equidem in annot. crit. proposui, a vv. τὸ δ' ἐνεργείᾳ, deleta deinde part. δ', novam esse enunciationem incipiendam: τὸ δ' ἐνεργείᾳ δῆλον ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα — ὃ βουλόμεθα λέγειν, id excusationem potius ex difficultate interpretandi habebit, quam sua ex probabilitate commendationem. — a 32 ἐν τῷ ξύλῳ Ἑρμῆς, ἐν τῇ ὅλῃ ἡ ἡμίσεια, usitata Aristoteli exempla, cf. de sens. 6. 446a 6 et ad Δ 7. 1017b 7. — a 34 ἐπιστήμονα καὶ τὸν μὴ θεωροῦντα, cf. 8. 1050a 12. Phys. VIII 4. 255a 33. de sens. 4. 441b 22. de gen. an. II 1. 735a 11. Trend. de an. p. 315. — a 37 τὸ ἀνάλογον συνορᾶν, cf. Top. I 17. 108a 14: τὰ ὅμοια συνορᾶν, b 20: συνορᾶν τί ἐν ἑκάστῳ ταὐτόν, et apud Platonem Phaedr. 265 d: εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, et συνοπτικός de rep. II 537 c. — b 1 τὸ ἐγρηγορὸς πρὸς τὸ καθεῦδον, cf. de gen. an. l. l. de an. II 1. 412a 25. Trend. p. 316. — b 5. Quod vulgo exhibetur priore loco θάτερον μόριον, altero θατέρῳ, id quidem ferri non posse apertum est. Propterea in Obs. p. 101 utroque loco nominativum scribendum conieceram; sed vera esse ratus quae huic coniecturae et interpretationi opposuit Winckelmann (Jahn Jahrb. 1843. 39, 3. p. 290), iam utroque loco cum aliqua certe codd. auctoritate, dativum scribere praetuli, ita quidem ut ἀφορίζειν eundem fere in modum ac-

piatur atque *ὁρίζειν* vel *διορίζειν* (cf. *I* 1. 1053b 4): altero membro definita et descripta sit *ἐνέργεια*, altero *τὸ δυνατόν*. — b 7, quod *τῷ* scripsi pro *τό* et *τόδ'* pro *τὸ δ'*, cf. Obs. p. 47. — b 7 *ἀνάλογον* quid sit, saepe Ar. explicat, veluti *Δ* 6. 1016b 34. Phys. I 7. 191a 8. Eth. N. V 6. 1131a 31. al.

1048b 9 *ἄλλως* — 17 *οὔ*. Quum ad infinitum, ad vacuum, alia eiusmodi, potentiae et actus notiones referimus, alia est earum ratio, atque iis in rebus, quas hucusque pro exemplis adhibuimus, veluti *οἰκοδομικόν* et *οἰκοδομοῦν*, *δυνάμενον ὁρᾶν* et *ὁρῶν*, al.; his enim potentia ita tribuitur, ut possint inde ad actum progredi, infiniti vero ea est potentia, quae nec progrediatur nec possit unquam progredi ad actum [1]). (cf. de infinito Phys. III 6. Trend. de an. p. 309. de vacuo Phys. IV 6.) Infinitum enim dicitur quidpiam, quia p o t e s t sine fine dividi; haec igitur dividendi infinitio (*τὸ μὴ ὑπολείπειν τὴν διαίρεσιν* b 16) efficit ut ipsa *τοῦ ἀπείρου ἐνέργεια* in potentia tantum cernatur, neque unquam ita perficiatur, ut per se et absolute sit, *τῷ δὲ χωρίζεσθαι οὔ*.

b 11 *πολλοῖς* construendum est cum adv. *ἄλλως* b 9, quod cum dativo coniunctum est pariter atque adiectiva et adv. similitudinem vel dissimilitudinem aliaque eiusmodi significantia. — b 15 *τό* cur scripserim pro vulgato *τῷ* ex interpretatione apparere arbitror: *τὸ μὴ ὑπολείπειν* subiectum

1) Mira levitate, ut dicam quod sentio, Ar. his notionibus defungitur, et quum hoc certe loco cognoscere debeat, remanere in notionibus *δυνάμεως* et *ἐνεργείας* difficultatem non minorem ea, quam his ipsis notionibus solvere studebat, satis habet monuisse, intercedere aliquod discrimen inter eam potentiam, qualem in *ἀπείρῳ* cerni Phys. l. l. acutissime et verissime explicuit, et eas potentias, de quibus antea dixit. Nimirum tantum hoc est discrimen, ut notio *δυνάμεως* prorsus tollatur; etenim *δύναμιν* supra docuit 3. 1047a 24 iis tribui rebus, quae p o s s u n t ad *ἐνέργειαν* eam procedere, cuius *δύναμιν* habent; nihilo tamen secius tamquam peculiare quoddam potentiae genus illam significat *τοῦ ἀπείρου δύναμιν*, quae n o n p o t e s t ad *ἐνέργειαν* progredi. Ex hac gravissima difficultate, quibus interna proditur doctrinae repugnantia, mira illa verba videntur prodiisse, quibus etiam in notione infiniti videtur conglutinare voluisse *δύναμιν* et *ἐνέργειαν*, quum dicit: *τὸ γὰρ μὴ ὑπολείπειν* — *οὔ*. Namque *ταύτην τὴν ἐνέργειαν* nihil potest aliud significare, nisi quod certus dividendi finis non potest constitui. Ergo *ἐνέργεια* infiniti cernitur in ipsa *δ υ ν ά μ ε ι τοῦ ἀεὶ τέμνεσθαι*.

est enunciationis, *ἀποδίδωσι* significat: facit ut tribuatur vel praedicetur.

1048b 18 *ἐπεὶ δὲ* — 36 *ἔστω*. Quo pertineat universa haec quaestio, non est dubium, versatur enim in distinguendis *ἐνεργείας* et *κινήσεως* notionibus. *Ἐνέργεια* eam significat actionem, quae id, cuius causa est instituta et quo tendit, simul in se complectitur, nec desinit esse tum quum illud est assecuta; veluti fieri potest ut simul idem viderimus et videamus, cogitaverimus et cogitemus, vel ut bene vixerimus simul et bene vivamus. Cf. de sens. 6. 446b 2: *καὶ εἰ ἅπαν ἅμα ἀκούει καὶ ἀκήκοε καὶ ὅλως αἰσθάνεται καὶ ᾔσθηται κτλ.* Soph. el. 22. 178a 9: *ἆρ' ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ ἅμα ποιεῖν τε καὶ πεποιηκέναι; οὔ. ἀλλὰ μὴν ὁρᾶν γέ τι ἅμα καὶ ἑωρακέναι τὸ αὐτὸ καὶ κατὰ ταὐτὸ ἐνδέχεται. Κίνησις* vero eam modo viam significat, qua quid a potentia ad *ἐνέργειαν* et ad perfectionem essentiae suae traducitur: *κίνησις* non manet, sed esse desinit, ubi id est assecuta quo tendebat; Phys. III 2. 201b 27: *τοῦ δὲ δοκεῖν ἀόριστον εἶναι τὴν κίνησιν αἴτιον ὅτι οὔτε εἰς δύναμιν τῶν ὄντων οὔτε εἰς ἐνέργειαν ἔστι θεῖναι αὐτὴν ἁπλῶς· οὔτε γὰρ τὸ δυνατὸν ποσὸν εἶναι κινεῖται ἐξ ἀνάγκης οὔτε τὸ ἐνεργείᾳ ποσόν, ἥ τε κίνησις ἐνέργεια μέν τις εἶναι δοκεῖ, ἀτελὴς δέ. αἴτιον δ' ὅτι ἀτελὲς τὸ δυνατόν, οὗ ἐστὶν ἡ ἐνέργεια.* de an. II 5. 417a 16: *καὶ γάρ ἐστιν ἡ κίνησις ἐνέργεια μέν τις, ἀτελὴς μέντοι.* III 7. 431a 6: *ἡ γὰρ κίνησις τοῦ ἀτελοῦς ἐνέργεια ἦν.* Eth. N. X 3. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 428. Has distincturus notiones ab eiusmodi proficiscitur actionibus, quae finiuntur (*ὧν ἔστι πέρας* b18) quum id sumus assecuti, cuius causa actionem instituimus, veluti *τὸ ἰσχναίνειν τὸ μανθάνειν τὸ ὑγιάζεσθαι*: harum nulla ipsum agendi finem in se continet (*οὐδεμία τέλος* b18, *μὴ ὑπάρχοντα ὧν ἕνεκα ἡ πρᾶξις* b20), sed desinit ubi ad illud *τέλος* perventum est, et unice circa ea versatur quibus ad *τέλος* pervenitur, *τῶν περὶ τὸ τέλος* b19. Eiusmodi actiones non possunt recte et optimo iure *πράξεις* vocari, siquidem *ἡ πρᾶξις* in se *τὸ τέλος* continet; addendum certe est, non esse eas simplices *πράξεις*, sed imperfectas, *οὐκ ἔστι ταῦτα πρᾶξις ἢ οὐ τελεία γε* b21: pariter neque *ἐνέργειαι* hae possunt actiones vocari, sed sub notionem *κινήσεως* cadunt, *τὴν μὲν οὖν τοιαύτην ἐνέργειαν λέγω, ἐκείνην δὲ κίνησιν* b34.

Hucusque si universam modo spectamus sententiam, omnia extra dubitationem sunt posita; ubi autem ipsa verba explicare suscipimus, tantum non omnia summis sunt difficultatibus implicita. Omittunt universum hunc locum codd. *ET*, non interpretatur Alexander, nec Bessario nec Sepulveda convertit; inde quod apparet defuisse eum iam antiquitus in nonnullis Metaphysicorum exemplaribus, confirmat Joannes Philoponus. Attamen et id quod disputatur cum placitis Aristotelicis optime concinere ex locis supra collatis apparet, et huic potissimum loco, qui in exponenda subtiliter *ἐνεργείας* notione versatur, apta haec quaestio, nec denique disputandi et argumentandi ratio vel ipsa dictio ab Aristotelica consuetudine aliena potest videri. Itaque huic veteri sane librorum dissensioni non possum tantum tribuere, ut universum locum expungendum censeam. Sed librariorum error, ex quo omissus est in quibusdam exemplaribus universus hic locus, idem ad singula videtur verba pertinuisse; ea enim tot scatent corruptelis, ut non alia Metaphysicorum pars cum iis possit comparari, et nisi audacius quaedam immutaverimus non videantur ad iustum ordinem et ad aliquam genuinae formae similitudinem restitui posse. Viderint igitur lectores an aliqua veritatis specie eae commendentur coniecturae, quas in adnotatione critica significavi, unde haec erit universae disputationis forma:

Ἐπεὶ δὲ τῶν πράξεων ὧν ἔστι πέρας οὐδεμία τέλος ἀλλὰ τῶν περὶ τὸ τέλος, οἷον τοῦ ἰσχναίνειν ἡ ἰσχνασία αὐτό (int. *τέλος*), *αὐτὰ δὲ* (int. *τὰ πράγματα*) *ὅταν ἰσχναίνῃ οὕτως ἐν κινήσει, μὴ ὑπάρχοντα ὧν ἕνεκα ἡ κίνησις, οὐκ ἔστι ταῦτα πρᾶξις ἢ οὐ τελεία γε· οὐ γὰρ τέλος· ἀλλ' ἐκείνη, ἐν ᾗ ἐνυπάρχει τὸ τέλος, καὶ πρᾶξις* (int. *ἐστί*)· *οἷον ὁρᾷ ἅμα καὶ ἑώρακε* (cf. Soph. el. l. l.) *καὶ φρονεῖ καὶ πεφρόνηκε καὶ νοεῖ καὶ νενόηκεν· ἀλλ' οὐ μανθάνει καὶ μεμάθηκεν οὐδ' ὑγιάζεται καὶ ὑγίασται. εὖ ζῇ καὶ εὖ ἔζηκεν ἅμα, καὶ εὐδαιμονεῖ καὶ εὐδαιμόνηκεν· εἰ δὲ μή, ἔδει ἄν ποτε παύεσθαι, ὥσπερ ὅταν ἰσχναίνῃ· νῦν δ' οὔ, ἀλλὰ ζῇ καὶ ἔζηκεν. τούτων δὴ δεῖ τὰς μὲν κινήσεις λέγειν, τὰς δ' ἐνεργείας. πᾶσα γὰρ κίνησις ἀτελής, ἰσχνασία, μάθησις, βάδισις, οἰκοδόμησις. αὗται δὴ κινήσεις, καὶ ἀτελεῖς γε· οὐ γὰρ ἅμα βαδίζει καὶ βεβάδικεν, οὐδ' οἰκοδομεῖ καὶ ᾠκοδόμηκεν, οὐδὲ γίγνεται καὶ γέγονεν, ἢ κινεῖ τε καὶ κεκίνηκεν, ἀλλ'*

ἕτερον καὶ κινεῖ καὶ κεκίνηκεν. ἑώρακε δὲ καὶ ὁρᾷ ἅμα τὸ αὐτό, καὶ νοεῖ καὶ νενόηκεν. τὴν μὲν οὖν τοιαύτην ἐνέργειαν λέγω, ἐκείνην δὲ κίνησιν.

CAP. VII.

Quando aliquid dicatur potentia quidpiam esse, quando nondum, 1048b 37—1049a 18; *quomodo ex potentia sive e proxima materia res nuncupentur* — b 3.

1048b 37 *πότε* — 1049a 18 *χαλκός*. Materiae et potentiae notiones, ut pariter ex generatione et mutatione explicanda suam repetunt originem (cf. Phys. I 6), ita saepissime apud Aristotelem coniunguntur et altera ad alteram refertur, cf. *Z* 7. 1032a 21. *H* 1. 1042a 27. 2. 1042b 10. *Θ* 8. 1050b 27. al. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 412. Intercedit tamen, si acrius attenderis, discrimen inter materiam et potentiam. Ὕλη enim nominatur quidpiam, quatenus nondum est determinatum per formam, sive per certam quandam sive omnino per ullam; *δύναμις* vero rei dicitur, quatenus res ex ea fieri potest omnesque fiendi conditiones iam suppetunt. *Id discrimen* quum alibi saepe negligere possimus, hoc loco probe tenendum est ubi quaeritur, quando aliquid dicatur *δυνάμει* esse, sive quae tandem proprie dicatur rei alicuius *δύναμις*. Etenim materia si quaereretur quae proprie ac summo iure appelletur, prima et ab hac certa re remotissima, utpote quae nulla dum forma circumscripta sit et definita, praecipue hoc nomen sibi vindicat; reliquae vero materiae eatenus tantum hoc nomine appellantur, quatenus quum aliquam habeant formam, eam tamen nondum sunt nactae, ad quam definientur. Potentiam vero quum quaerit quae potissimum nuncupetur sive quando quid recte dicatur *δυνάμει* esse, diligentissime id Ar. spectat, ut proximam, *τὴν προσεχεστάτην*, omnibus notis definiat. Tum enim, ait, recte quidpiam dicitur *δυνάμει* esse, quum omnes suppetunt exsistentiae conditiones sive in ipsa re sive extra eam positae. Quamquam eam quidem definitionem non ita universe proponit, sed pro varietate exemplorum variat. Activa potentia rationalis (*τοῦ ἀπὸ διανοίας — γιγνομένου* a 5) tum adest quum res fit simulatque ille voluerit, cui adsignatur potentia, nulla re ex-

terna impediente; passiva tum, quum nihil obstat in ipsa re. Materia aedificii tum dicitur δυνάμει aedificium esse, quum neque accedere nec demi quidquam oportet. a11: καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως, ὅσων ἔξωθεν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως, καὶ ὅσων δὴ ἐν αὐτῷ τῷ ἔχοντι (int. ταῦτα λέγεται δυνάμει τι εἶναι), ὅσα μηθενὸς τῶν ἔξωθεν ἐμποδίζοντος ἔσται δι' αὐτοῦ. Veluti semen tum demum dicitur δυνάμει seges esse sive homo, quum nactum iam est idoneam, in qua nascatur, materiam. Huiusmodi προσδιορισμούς pro varietate potentiarum plures etiam enumerari posse apparet, omnes autem comprehenduntur universali illa, quam supra posui, definitione.

a1. Interrogandi signo distinxi post δυνάμει, ut a part. ἢ ordiatur responsio, cf. ad Z 4. 1030a 3. — a3 ἴσως, cf. ad A 5. 987a 26. — a3 ὥσπερ οὖν κτλ. Particula οὖν si est genuina, non videtur post δυνάμει a5 deesse posse apodosis huius fere sententiae: οὕτως οὐδὲ τὴν γῆν ἔστι λέγειν δυνάμει ἄνθρωπον. Leniore medela enunciati conformatio videtur restitui posse, particula οὖν aut omissa aut mutata in ἄν. — a9 ἐν τούτῳ, i. e. ἐν τῷ δυνάμει ὄντι οἰκίᾳ, ut vv. τῇ ὕλῃ per part. καί explicandi causa addita sint, cf. ad Z 12. 1038a 7. Quominus pron. τούτῳ artificem significari putem, quae est Schwegleri ad h. l. sententia, proximis prohibeor verbis a11: τοῦτο δυνάμει οἰκία, quae non possunt alio, nisi ad materiam aedificii referri. — a10 τοῦ γίγνεσθαι οἰκίαν, genitivus suspensus a v. κωλύει, cf. Xen. H. G. III 2, 21. — a15 δεῖ γὰρ ἐν ἄλλῳ, int. γίγνεσθαι.

1049a 18 ἔοικε — b2 ἀόριστα. Ex ipsa dicendi consuetudine signum quoddam Ar. repetit, unde cognoscatur quae sit potentia vel proxima materia alicuius rei; nimirum ex hac potentia, flexo nomine (ἐκείνινον a19), appellatur res inde orta, veluti quoniam lignum potentia est cistae, cista appellatur lignea, atque ex hac nuncupatione vicissim colligas, lignum esse potentiam cistae; cf. Z 7. 1033a 5 sqq. Quare si quid est quod non ex alia re (κατ' ἄλλο a25) flexo nomine nuncupatur, id nullam ultra habet materiam, sed ipsum princeps est materia. — Similiter quibus rebus affectiones quaedam (πάθη a29) inhaerent, eae flexis harum affectionum nominibus appellantur, veluti quae res candore affe-

ctae sunt, eae non candor, sed candidae nuncupantur. Sed affectionibus subiecta est substantia definita, materia vero indefinita subiecta est formae qua definiatur (*εἶδος καὶ τόδε τι τὸ κατηγορούμενον* a 35), cf. Alex. Aphrod. Quaest. I 8. 17. Itaque comparari inter se quodammodo possunt affectio et materia, utpote utraque indefinita, b 1, ac similem in modum ex utraque res nuncupantur.

a 18 *ἔοικε δὲ κτλ.* Enunciationem continuandam putavi usque ad *ὕστερόν ἐστιν* a 22, ut per anacoluthiam quandam vv. *ἀεὶ ἐκεῖνο κτλ.* pro apodosi habeantur, quasi scriptum sit: *ἔοικε δέ, εἴ τι λέγομεν οὐ τόδε ἀλλ' ἐκείνινον — οἷον τὸ κιβώτιον* (int. *λέγεται*) *οὐ ξύλον ἀλλὰ ξύλινον, οὐδὲ τὸ ξύλον γῆ ἀλλὰ γήϊνον, πάλιν ἡ γῆ εἰ οὕτως μὴ ἄλλο* (int. *λέγεται*) *ἀλλ' ἐκείνινον —, ἀεὶ ἐκεῖνο* (int. *καθ' ὃ λέγεταί τι ἐκείνινον*) *δυνάμει ἁπλῶς* (i. e. *κυρίως*, quo sensu antea est expositum) *τὸ ὕστερόν ἐστι* (sive *εἶναι*, si accuratius ad v. *ἔοικε* respiceretur). — a 23 *ἁπλῶς* h. l. idem esse ac *καθόλου*, ex opposito *τουδί* cognoscitur; cf. *ὅλως* Z 8. 1033 b 26. — a 25 *κατ' ἄλλο* scripsi pro vulg. *κατ' ἄλλου*, quia non praedicatur res de materia (*λέγεσθαι κατά τινος*), sed ex ea nuncupatur, cf. b 1: *λέγεσθαι κατὰ τὴν ὕλην*. Eandem emendationem proposuit Waitz Org. II. p. 403. — a 28 *τὸ καθόλου* cur h. l. comparetur cum substrato, equidem non intelligo.

CAP. VIII.

***Actum priorem esse quam potentiam et cognitione,* 1049 b 10—17, *et tempore* — 1050 a 3, *et substantia* — 1051 a 3.**

Indagaturus utrum actus prior sit an potentia, duplici ratione quaestionem praeparat; etenim et quo ambitu accipienda sit potentiae notio circumscribit, quum actus dicitur prior esse potentia, et diversas distinguit *τοῦ προτέρου* significationes, ad quas utrum pariter illa propositio pertineat quaeritur. Potentia igitur, ait, quum priorem actum esse dicimus, non opus est consistamus intra fines *δυνάμεως τῆς ὡρισμένης* b 6, i. e. potentiae potissimum hoc nomine appellatae et ab initio quaestionis descriptae, *ἣ λέγεται ἀρχὴ μεταβλητικὴ ἐν ἄλλῳ ᾗ ἄλλο*, sed quum natura eo quidem differat a potentia, quod principium est movendi in eodem non in

lio (cf. de coelo III 2. 301^b 17: ἐπεὶ δὲ φύσις μὲν ἐστιν ἐν αὐτῷ ὑπάρχουσα κινήσεως ἀρχή, δύναμις δ' ἡ ἐν ἄλλῳ ἄλλο, et ad Δ 4. 1015^a 3), quatenus autem et ipsa prin-ipium est movendi eodem ac potentia genere contineatur, 8, hic latior generis ambitus, quo et potentia proprie di-ta et natura comprehendantur, intelligendus est, quum po-entia actum priorem esse dicimus. Hoc igitur sensu dicta otentia actus prior est et notione sive cognitione, λόγῳ, 049^b 12—17, et substantia, 1050^a 4—^{b}34, et quodammodo tiam tempore. Ex quatuor τοῦ πρότερον significationibus, quas Δ 11 distinxit (διώρισται ^{b}4) unam omisit, 1018^b 37—1019^a 1, quae in affectionibus rerum cernitur neque ad hanc quaestionem pertinet.

^{b}8 ἢ στατικῆς, cf. Δ 12. 1019^a 35. — ^{b}8 γίγνεται: ἐν ταὐτῷ γάρ. Secutus Alex. et cod. A^b haec verba a textu secludenda putavi. Nimirum verba: καὶ γὰρ ἡ φύσις ἐν ταὐτῷ γίγνεται ita demum recte scribi poterant, si antea dictum esset de aliqua re, quae et ipsa ἀρχὴ ἐν αὐτῷ esset; at hoc ipso differt potentia a natura, quod non est ἐν αὐτῷ ᾗ αὐτό, sed ἐν ἄλλῳ ᾗ ἄλλο. Corruptela inde videtur orta esse, quod verba falso iterata deinde infeliciter emendabantur.

1) 1049^b 12—17 λόγῳ. Notione et cognitione actus prior est potentia, quia definiri non potest potentia nisi adhibito ad definiendum eo actu, ad quem possit progredi. — ^{b}13 τὸ πρώτως δυνατόν idem videtur esse, quod I. 1045^b 36 τὸ κυρίως δυνατόν dicit.

2) 1049^b 17—1050^a 3 χρόνῳ. Ut tempore actum priorem esse potentia demonstret, duas coniungit Ar. nec satis aperte distinguit argumentationes, quarum altera ad generationes omnes pertinet, ^{b}17—29, altera modo ad facultates rationales progignendas, ^{b}29—^{a}3.

a) ^{b}17—29. Demonstratum est ἐν τοῖς περὶ τῆς οὐσίας λόγοις ^{b}27 (i. e. Z 7, 8), quidquid fit, id fieri ἔκ τινος et τί et ὑπό τινος. Hanc causam motricem actu exsistere necesse est (cf. de gen. an. II 1. 734^b 21: ὅσα φύσει γίνεται ἢ τέχνῃ ὑπ' ἐνεργείᾳ ὄντος γίνεται ἐκ τοῦ δυνάμει τοιούτου. Phys. III 2. 202^a 11: οἷον ὁ ἐντελεχείᾳ ἄνθρωπος ποιεῖ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος ἀνθρώπου ἄνθρωπον. de an. III 7. 431^a

3. al. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 430, 2), atque specie eandem esse atque id quod fit, non eandem numero, *b* 18, cf. Z 8. 1033*b* 30: τὸ γεννῶν τοιοῦτον μὲν οἷον τὸ γεννώμενον, οὐ μέντοι τὸ αὐτό γε, οὐδ' ἓν τῷ ἀριθμῷ ἀλλὰ τῷ εἴδει, et ad Z 7. 1032*a* 15 sqq. Ergo tempore actus ita prior est quam potentia, quod ut quid fiat, aliam eiusdem speciei rem actu exsistere oportet, quae illud ad actum producat. — *b* 18 ἀεὶ addidi cum cod. *Ab* et codd. Alexandri *FbM* et edd. praeter Bekkerianam omnibus, quia nisi addideris hanc particulam iteratum idem praedicatum πρότερον ferri non potest. — *b* 27 τὸ κινοῦν ἐνεργείᾳ ἤδη ἐστίν, cf. 3. 1047*a* 32.

b) *b* 29 — *a* 3. Rationales autem facultates si spectamus quomodo fiant, non solum aliam rem eiusdem speciei actu exsistentem priorem oportet esse potentia, sed in eo ipso qui quid discit, actus praecedit potentiam, ὁ γὰρ μανθάνων κιθαρίζειν κιθαρίζων μανθάνει κιθαρίζειν, cf. 5. 1047*b* 33. de an. II 4. 415*a* 18. Quod quum contendimus ne propterea incidamus in sophisticas captiones (σοφιστικὸς ἔλεγχος *b* 33 cf. An. post. I 1. 71*a* 29. Plat. Men. 80 d), reputanda est motus ac mutationis natura, qualis exposita est ἐν τοῖς περὶ κινήσεως *b* 36, i. e. Phys. VIII. VI 6 sq., ubi cf. 236*b* 33: φανερὸν ὅτι πᾶν τὸ κινούμενον ἀνάγκη κεκινῆσθαι πρότερον. (Zeller Ph. d. Gr. II. p. 432.) Quae communis mutationis natura si transfertur ad scientiam alicuius rei vel artem comparandam, apparet, ut possit omnino scientia comparari, aliquam iam cognitionem antea oportere actu exsistere, τὸν μανθάνοντα — ἔχειν τι τῆς ἐπιστήμης *a* 1, cf. ad *A* 9. 992*b* 30. — *b* 35 ante ἀλλά gravius distinxi, quia inde sophisticae argumentationis orditur refutatio.

3) 1050*a* 4 — *b* 34 οὐσίᾳ. Substantia priorem esse actum quam potentiam duabus argumentationibus evincit, 1050*a* 4 — *b* 6, *b* 6 — 34, quarum priorem tribus modis non multum inter se distantibus persequitur: *a* 4 — 7, — 14, — *b* 6.

a) 1050*a* 4 — *b* 6 προτέρα οὐσίᾳ ἡ ἐνέργεια τῆς δυνάμεως.

a 4 — 7. Generandi seriem et ordinem si spectamus, in una eademque re potentiam actu priorem esse et apparet et modo monitum est, 1049*b* 18. Sed quae γενέσει posteriora sunt, eadem οὐσίᾳ esse priora, celebrata est apud Ar. et

ex intima eius philosophia repetita sententia, cf. ad *Α* 8. 989a 15. *Z* 4. 1029b 4. Ergo actus *οὐσίᾳ* prior est quam potentia.

a 7—14. Quidquid fit, *τέλος* quoddam habet quo tendat, quod quidem *τέλος*, vel insitum naturae in generationibus naturalibus (cf. *Z* 9. 1034a 33) vel conceptum ab artifice in generationibus artificiosis (cf. *Z* 7. 1032b 6 sqq.), ipsum est fiendi principium (*ἅπαν τὸ γιγνόμενον βαδίζει ἐπ' ἀρχὴν καὶ τέλος* b 7, *ἀρχή* et *τέλος* ita inter se coniuncta sunt, ut alterum per alterum explicetur, de qua vi part. *καί* cf. ad *Z* 12. 1038a 7.) Atqui hoc *τέλος* cerni in actu rei, *τέλος δ' ἡ ἐνέργεια* b 9, ac potentiam non exsistere nec comparari nisi ut ad actum perveniatur, exemplis comprobat. Ergo actus principium est ac prior potentia. — In iis exemplis, quibus actum *τέλος* esse comprobat, unum affert, quod videri possit huic sententiae refragari, b 12: *οὐ θεωροῦσιν ἵνα θεωρητικὴν ἔχωσιν, εἰ μὴ οἱ μελετῶντες*: exercitatio cognoscendi, quae est *ἐνέργεια*, ad potentiam, *τὴν θεωρητικήν*, tamquam ad suum *τέλος* referri videtur, ita quidem ut potentia, non actus, *τέλος* ideoque principium sit. Refutari huius instantiae vis facile potest eum in modum, qui supra est significatus 1049b 36 sqq.; similem quandam sententiam probabile est inesse verbis: *οὗτοι δ'* — *θεωρεῖν* b 13, 14, quamquam ea quomodo sint interpretanda equidem me non intelligere confiteor.

a 15—b 6. Actum potentia esse priorem cognoscitur etiam si materiam respicimus; ea enim *δυνάμει* est, a 15, quatenus in eius est notione positum, ut ad formam actumque tendat; formam quum est nacta, eum est finem assecuta in quo acquiescat — eumque finem eundem esse principium, ex superioribus est repetendum, cf. ad a 7. Et materiae quidem *ἐνέργεια*, quam petit, certum quoddam est opus, quod conformatur ex materia et per se consistit; nihilo tamen secius ad *ἐνέργειαν* tenditur iis etiam in rebus, quarum finis non in opere externo, sed in ipsa continetur actione, *ὧν κίνησις τὸ τέλος* a 17. Magistri finem suum assecuti sibi videntur esse, quum *ἐνεργοῦντα*, i. e. *ἐνεργείᾳ εἰδότα* discipulum ostenderint; ac perinde natura (*καὶ ἡ φύσις ὁμοίως* a 19) ad suum videtur finem pervenisse, ubi hominem effecit actu

sentientem volentem agentem. Haec duo generationum genera, quorum alterum in ipsa acquiescit actione, alterum externum opus efficit (quod quidem idem est discrimen ac τοῦ πράττειν et τοῦ ποιεῖν, cf. Eth. N. VI 4. Eth. E. II 1. 1219^a 13. Mor. M. I 35. 1197^a 3 et ad *E* 1. 1025^b 25. *Z* 7. 1032^b 10) quid inter se differant, amplius exponit, ^{a}23—36: illius, *τοῦ πράττειν*, *ἐνέργεια* cernitur in eo qui agit, huius, *τοῦ ποιεῖν*, in eo opere quod efficitur. Et in illo quidem (*ἔνθα μέν* ^{a}27) manifesto ipsa *ἐνέργεια τέλος* est ideoque prior quam potentia; in hoc (*ἔνθα δέ* ^{a}27) quamquam ipsum *τέλος* in opere effecto continetur, tamen *ἐνέργεια*, veluti aedificatio, quoniam simul cum aedificio et fit et est, ^{a}29, magis est *τέλος* quam potentia, ideoque potentia prior. In utroque igitur generationum genere actum potentia priorem esse apparet. — ^{a}20 *ὁ Παύσωνος Ἑρμῆς*. De hoc Pausonis vel Pasonia, Passonis Mercurio, lapidi pellucido artificiose incluso, copiose Alex. ad h. l. exponit. — ^{a}22 *διὸ καὶ τοὔνομα κτλ.* cf. ad 3. 1047^a 30. — ^{a}27 *ἔνθα μέν* Alex. p. 561, 3 ad *οἰκοδόμησιν*, *ἔνθα δέ* ad *ὅρασιν* referri vult. Quam supra dedi verborum interpretationem huic contrariam, ea et propter vv. *μᾶλλον τέλος*, quae non possunt nisi ad aedificandi actionem comparatam cum ipso aedificio referri, et apertius etiam propter sequens proxime enunciatum: *ἡ γὰρ οἰκοδόμησις κτλ.* necessaria est. — ^{a}31 *ἡ ἐνέργεια ἐν τῷ ποιουμένῳ ἐστί*, cf. de an. III 2. 426^a 4: *ἡ γὰρ τοῦ κινητικοῦ καὶ ποιητικοῦ ἐνέργεια ἐν τῷ πάσχοντι ἐγγίνεται.* — ^{b}1 *ἡ εὐδαιμονία.* De beatitudine, quae cernatur in *ἐνεργείᾳ* vitae ad rationem accommodatae, cf. Eth. N. X 6 sqq. — ^{b}4 *ὥσπερ εἴπομεν*, cf. 1049^b 17—29. — ^{b}5 *τὸ ἀεὶ κινοῦν πρώτως*, cf. *Λ* 6, 7.

b) 1050^b 6—34 *κυριωτέρα ἡ ἐνέργεια τῆς δυνάμεως.*

Antea Ar. demonstravit in qualibet re, ubicunque et actus cernatur et potentia, illum *οὐσίᾳ* priorem esse; iam quum plures distinguat substantiarum gradus, eas substantias, quae summo iure hoc nomen sibi vindicent, aeternas nimirum et necessarias, actum esse sine potentia comprobat (cf. de interpr. 13. 23^a 23: *τὰ μὲν ἄνευ δυνάμεως ἐνέργειαί εἰσιν, οἷον αἱ πρῶται οὐσίαι*), et inde colligit maiorem utique in actu quam in potentia esse substantiae dignitatem. Aeter-

nas autem substantias esse ἐνεργείας potentiae immunes, demonstrat comparatis inter se potentiae et aeternitatis notionibus. Potentiae enim hoc est proprium, ut quod potest esse idem sine interna repugnantia poni possit non esse; quae autem suapte natura aeterna sunt, ea ne poni quidem possunt non esse. Ergo aeterna, quatenus aeterna sunt, potentiam non admittunt, sed eatenus tantum potentiae materiaeve in se recipiunt notionem, quatenus mutationi alicui, veluti loci mutationi, obnoxiae sunt, et quae simpliciter aeterna sunt, ea simpliciter omnem excludunt potentiae communionem. — Idem ex necessitatis notione concludi potest, *b* 18, 19, de cuius cum aeternitate coniunctione cf. ad *Δ* 5. 1015*b* 14. Quae necessaria sunt, ea potentiae respuunt ambiguitatem; atqui (*καίτοι* *b* 19) quae necessaria sunt, eadem sunt prima, quia sine iis nihil omnino posset esse (cf. *B* 4. 999*b* 5. *Z* 7. 1032*b* 30 et ad *Δ* 6, 7); ergo primae substantiae sunt *ἐνέργειαι ἄνευ δυνάμεως*. — Quodsi quis est motus aeternus, quali fertur coelum stellarum fixarum, *a* 22, cf. *Λ* 6, 7, ne is quidem potentia est, sed actus; propterea nec desinit unquam nec laborem affert iis rebus quae moventur (*οὐδὲ κάμνει κτλ.* *b* 24, cf. *Λ* 9. 1074*b* 28. de coelo II 1. 284*a* 14), quia in ipsa earum substantia motus inest. Aeternorum siderum ad similitudinem (cf. de gen. et corr. II 10. 337*a* 2) simplicissima naturae elementa (*οἷον γῆ καὶ πῦρ* *b* 29), quamvis interitui obnoxia, ita tamen accedunt, ut in ipsa substantia motum habeant ideoque continuo moveantur. Quae vero potentiae tantum sunt, eae omnes, sive rationales sunt sive irrationales, ad contraria perinde pertinent.

Cum universa ratiocinatione, qua substantias aeternas demonstrat esse *ἐνεργείας ἄνευ δυνάμεως* cf. *N* 2. 1088*b* 14—28. de coelo I 12. de interpr. 13. 23*a* 21: *φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι τὸ ἐξ ἀνάγκης ὂν κατ' ἐνέργειάν ἐστιν, ὥστε εἰ πρότερα τὰ ἀΐδια, καὶ ἡ ἐνέργεια δυνάμεως προτέρα. καὶ τὰ μὲν ἄνευ δυνάμεως ἐνέργειαί εἰσιν κτλ.*

b 10 *δυνατὸν εἶναι* et *ἐνδέχεσθαι* quomodo differant, cf. ad 3. 1047*a* 26. — *b* 21 *πόθεν ποῖ· τούτου δ' ὕλην κτλ.* cf. ad *H* 1. 1042*a* 34. — *b* 24 *οἱ περὶ φύσεως*. Ex veteribus physiologis Empedoclem potissimum respici, quae est Alexandri sententia p. 564, 2, non improbabile videtur coll. de

coelo II 1. 284a 26. — b27 ἡ γὰρ οὐσία (int. τῶν φθαρτῶν, coll. b25) ὕλη καὶ δύναμις οὖσα, οὐκ ἐνέργεια, αἰτία τούτου (int. τοῦ ἐπίπονον εἶναι αὐτοῖς τὴν συνέχειαν τῆς κινήσεως). — b31 ἐξ ὧν διώρισται, cf. quae de potentiis rationalibus et irrationalibus exposuit cap. 2. — b33 τῷ καὶ εἶναι καὶ μή, cf. 5. 1048a 6. Δ 2. 1013b 12. Phys. VIII 1. 251a 31.

1050b 34 εἰ ἄρα — 1051a 2 τούτων. Appendicis loco ex hac argumentatione concludit, non debuisse Platonicos αὐτοεπιστήμην vel κίνησιν ac similia tamquam ideas, i. e. tamquam aeternas substantias ponere; haec enim ad genus potentiae pertinent, at aeternae substantiae alienae sunt a potentia. — Appellat autem Platonicos τοὺς ἐν τοῖς λόγοις, quia circa notiones universales eorum doctrina versatur, cf. Α 6. 987b 31: ἡ τῶν εἰδῶν εἰσαγωγὴ διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἐγένετο σκέψιν. Μ 8. 1084b 25.

CAP. IX.

Bonis in rebus actus melior, malis in rebus deterior est quam potentia, 1051a 4—17, *unde colligitur non esse malum seorsim quidpiam ac per se exsistens* — 21. *Propositionum mathematicarum demonstrationes inveniuntur per ducta ad actum potentia* — 33.

1051a 4 ὅτι δὲ — 21 ἐστίν. Potentia ad utrumque e duobus contrariis pariter est idonea, veluti potentia sanitatis eadem est potentia morbi; actus vero alterum utrum e contrariis continet excluso altero, ideoque necessario aut bonus est aut malus. (ὥστ' ἀνάγκη τούτων — int. τῶν ἐναντίων — θάτερον εἶναι τἀγαθόν a13, ait Ar., quasi contraria quaelibet discrimini boni et mali ita liceat subiicere, ut alterum necessario sit bonum, alterum malum.) Ergo bonae rei actus, ut qui integrum bonum contineat, melior est quam potentia, malae rei actus, ut qui integrum malum habeat, deterior potentia, quoniam ea mixtum etiamtum et coniunctum habet bonum cum malo. (Ad explicandam hanc ratiocinationem Alex. p. 565, 31 apte adhibet Top. III 5. 119a 27: τὰ τοῖς ἐναντίοις ἀμιγέστερα μᾶλλον τοιαῦτα, οἷον λευκότερον τὸ τοῦ μέλανος ἀμιγέστερον.) Quem in hac argumen-

atione significavi errorem — iudicium morale de bono et nalo immisceri falso iis rebus, a quibus illud est alienum — ei non dissimilem Ar. in proxima argumentatione, si re- :te eius sententiam intelligo, videtur admisisse, quum qui- lem malum non esse *παρὰ τὰ πράγματα* a18, seorsim ac ›er se exsistens, demonstrare conatur. Malum, ait, demon- tratum est esse *ὕστερον τῆς δυνάμεως*: atqui eas substan- ias, quae per se exsistunt, aeternas et necessarias, ut quae int *ἐνέργειαι ἄνευ δυνάμεως* (cf. 8. 1050b 6 sqq.), oportet esse ιρότερον τῆς δυνάμεως. Ergo malum non est praeter res ingulas tamquam substantia per se exsistens. Erratum, nisi 'allor, in hoc syllogismo per fallaciam termini medii, quam licunt logici; etenim *πρότερον, ὕστερον*, quae notiones ter- nini medii habent locum, in propositione maiore virtutis, in ninore essentiae discrimen significant. Alium in modum, ıon alienum illum quidem a doctrinae Aristotelicae indole, ;ed alienum tamen ab his ipsis verbis, Alex. p. 566, 13 sqq. huius argumentationis vim explicat. Ceterum haud dubie Platonicum placitum Ar. respicit et refutat, cf. *A* 6. 988a 14: *ἔτι τὴν τοῦ εὖ καὶ τοῦ κακῶς αἰτίαν τοῖς στοιχείοις ἀπέδω- κεν ἑκατέροις ἑκατέραν.*

a7. Quam in textu posui coniecturam, *καὶ νοσεῖν ἅμα* pro vulg. *καὶ τὸ νοσοῦν καὶ ἅμα*, eam commendavi Obs. p. 101.

1051a 21 *εὑρίσκεται* — 30 *εὑρίσκεται*. Ad confir- mandam potiorem *ἐνεργείας* dignitatem denique res mathe- maticas adhibet; etenim propositionum mathematicarum de- monstrationes (*τὰ διαγράμματα* a22, cf. ad *B* 3. 998a 25) ita inveniuntur, ut lineas parallelos, perpendiculares, diago- nales al., quae potentia insunt figurae, actu ducamus iisque secemus (*διαιροῦντες* a22) figuram. Cuius demonstrandi ra- tionis duo affert exempla. Qui demonstrare vult angulos trianguli duobus rectis esse pares, is ubi *ἐνεργείᾳ* duxit eam lineam parallelum lateri opposito per verticem trianguli, quae potentia inest figurae, tum videt tres trianguli angulos sin- gulos pares esse tribus angulis circa unum verticem (*αἱ περὶ μίαν στιγμήν* a24) sitis, ideoque duos rectos aequare. (a24 *δύο ὀρθαὶ τὸ τρίγωνον*, solenne apud Ar. exemplum, quod modo pleniore formula significat: *τὸ τρ. δύο ὀρθαῖς*

ἴσας ἔχει, τὸ τρ. δύο ὀρθὰς ἔχει, τῷ τρ. δύο ὀρθαὶ ὑπάρχουσι, cf. An. 48a 36. 67a 15. 71a 19. 73b 31. 74a 25, 39. 84b 7. 87b 35. 90b 8. al., modo breviore: τὸ τρ. δύο ὀρθαῖς ἴσον, τὸ τρ. δύο ὀρθαῖς, τὸ τρ. δύο ὀρθαί, cf. An. 67a 17, 19, 25. 73b 32. 74a 28. 86a 25. 91a 4. al., ubi quidem per voc. τρίγωνον non ipsam formam triquetram, sed eius angulos significari vere monet Waitz Org. 67a 17. — a25 εἰ οὖν ἀνῆκτο ἡ παρὰ τὴν πλευράν. Ad art. ἡ non potest suppleri, quae Schw. est sententia, γωνία, quia non γωνία ἄγεται vel ἀνάγεται, sed γραμμή. Nec vero potest, quod vult Alex. p. 567, 29, vv. παρὰ τὴν πλευράν lateris unius supra verticem productio significari, sed videtur potius praep. παρά ea vi usurpata esse, quam habet Top. VIII 3. 158b 31, ut lineam parallelum denotet. Hunc in modum supra verba interpretatus sum.) Similiter si quis demonstraturus est, quemlibet (καθόλου a27) angulum periphericum in hemicyclio esse rectum, ducenda quaedam linea ἐνεργείᾳ, quae potentia inest figurae; coniungendus enim vertex anguli cum centro diametri, tum ita secatur triangulum, ut basis duplicem habeat mensuram (ἥ τε βάσις δύο a27) eius lineae, quae e media basi ad verticem ducta est, ex quo deinde reliqua facile colliguntur. Aristoteles quod dicit: ἡ ἐκ μέσου ἐπισταθεῖσα ὀρθή a28, singularem illum figurae modum respexit, ubi vertex anguli in medio est hemicyclio, ut linea ab eius vertice ad mediam ducta diametrum rectum angulum cum ea faciat. Cf. idem exemplum An. post. II 11. 94a 28. pr. I 24. 41b 17. — Apparet igitur ex his exemplis demonstrationes geometricas inveniri perducta ad actum potentia.

1051a 30 αἴτιον — 33 ἀριθμόν. His verbis quid dicat Ar. plene perspicere non possum. Prioribus enim verbis: αἴτιον — γιγνώσκουσιν, singularem rerum mathematicarum naturam videtur significare. Res mathematicae exsistunt per abstractionem, abstracta a rebus sensibilibus simplice earum forma, cf. *M* 2, 3, itaque ἡ ἐνέργεια rerum mathematicarum est νόησις, a30. Quapropter ipsa earum δύναμις, quod possunt lineis quibusdam secari, ex ἐνεργείᾳ cogitandi orta est, ac cognoscuntur, si eam potentiam perducimus ad actum. Sed haec si recte videor interpretatus esse, quo-

nodo cum his cohaereant extrema verba: ὕστερον — ἀριθμόν, quum quidem singulis in rebus actum generatione posteriorem esse dicit quam potentiam (cf. 8. 1049^b 18), difficile est intelligere.

CAP. X.

Ens, quod veritatem significat, et contrarium ei non-ens quando locum habeat vel in compositis rebus vel in simplicibus.

1051^a 34 ἐπεὶ δὲ — 1052^a 4 τις. Eandem entis distinctionem, quam ab initio huius capitis instituit, persequitur *Δ* 7. 1017^a 22 sqq. cf. ad h. l. Iam postquam ex iis entis generibus, quae pro diversitate categoriarum distinguuntur, summum ac primum explicuit, substantiam dico (*Z*, *H*), itemque deinde de discrimine actus et potentiae disseruit (*Θ* 1—9), iam consentaneum est tertiam entis significationem, τὸ ὂν τὸ ὡς ἀληθές, proponi ad inquirendum; quod quidem ὂν ὡς ἀληθές quamquam ostendit non singularem quandam significare entis naturam ac propterea in hac disputatione omittendum (cf. *E* 4. 1028^a 2: οὐκ ἔξω δηλοῦσιν οὖσάν τινα φύσιν τοῦ ὄντος. διὸ ταῦτα μὲν ἀφείσθω), tamen propterea nunc videtur in quaestionem trahere, quia progressus in superioribus (*Θ* 8) ad simplices eas et aeternas substantias, quae sunt ἐνέργειαι ἄνευ δυνάμεως, iam quomodo in his aliter atque in compositis rebus veritas cernatur explicandum sibi putat, cf. *E* 4. 1027^b 28. Propterea non assentior Schweglero, qui hoc caput exterminari iubet e Metaphysicis.

Veritas omnino in eo cernitur, ut cogitatio ipsam aequet rerum naturam, cf. de interpr. 9. 19^a 33: ὁμοίως οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὥσπερ τὰ πράγματα. Iam duo distinguenda sunt rerum genera, compositarum rerum alterum, alterum simplicium. Compositae autem quas dicit non sunt intelligendae eae, quae ex pluribus elementis coaluerunt, sed eae potius, in quibus cum substantia coniungitur accidens aliquod, veluti homo albus, homo sedens, diagonalis irrationalis ac similia. His in rebus veritas omnino tum obtinet, quum quis quae re coniuncta sunt cogitando pariter coniungit (κατα-

φάσκει), disiungit vero (*ἀποφάσκει*) quae re disiuncta sunt. Accidentia autem quum alia fortuita sint et modo adhaereant substantiae modo non adhaereant, alia necessaria nec unquam seiungi possint a substantia (cf. ad *Δ* 30. 1025ᵃ 30), propositiones, quae de illis sunt rebus, pariter atque ipsas res mutationi obnoxias et modo veras esse modo falsas apparet, *b* 13: his vero de rebus, ut quae accidentium mutationem admittant nullam, eandem propositionem semper aut veram aut falsam esse oportet (*ἀεὶ ταὐτὰ ἀληθῆ καὶ ψευδῆ* *b* 17, part. *καὶ* idem videtur h. l. significare ac part. *ἤ*). Simplicibus vero in rebus, quae non habent distincta a substantia accidentia nec coniunctam cum actu aliquo potentiam contrarii, sed integrae sunt substantiae et *ἐνέργειαι*, his igitur in rebus non potest veritas inde repeti, quod cogitando reddiderimus ipsius rei coniunctionem vel disiunctionem, sed alia harum rerum est ratio. Simpliciter enim quasi per tactionem quandam [1]), *b* 24, 25, harum rerum na-

1) Aristotelis philosophia sicuti admodum est perspicua ubi mediis in rebus cognoscendis explicandisque versatur, ita plurimum relinquit obscuritatis ubi ad ipsa rerum principia ipsosque cognoscendi fines acceditur, cf. prooem. p. 29. Pauca ut exempla in memoriam revocemus, potentiae et actus distinctione facillime Ar. solvit, quaecunque veteres philosophi de generatione dubitaverant, ipsas autem potentiae et actus notiones non potest satis discernere (cf. ad 6. 1048ᵇ 9); de definiendis ex genere et differentiis notionibus luculenter Ar. disputat, sed obscura manent, quae de primis definitionum elementis, de notionibus simplicibus, significat magis quam explicat (cf. ad *Z* 13. 1039ᵃ 14). Similis huius quaestionis est ratio, quum expositurus est, quomodo ad veritatem perveniatur in simplicibus substantiis; quod enim tangendo, *τῷ θιγεῖν* ᵇ 24, eas comprehendi dicit, ea vero similitudo est a rebus sensibilibus petita, qualem alibi Ar. acerrime vituperat, cf. ad *Α* 9. 991ᵃ 22, nec vero ipsius rei explicatio, cf. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 441. Quae quum manifesto manca sint et debilia, sufficiat significasse, quomodo videatur Ar. hanc rem sibi effinxisse. Singuli sensus, veluti videndi audiendi sensus, in percipiendis iis rebus, quae ipsis proprie subiectae sunt, ab omni sunt errore liberi; vident aut non vident, audiunt aut non audiunt, error autem non est in sensu, sed in phantasia potest accedere (cf. ad *Γ* 5. 1010ᵇ 3). Pariter mens activa, *ὁ ποιητικὸς νοῦς*, sibi subiectas habet simplices aeternasque substantias, quae nihil sunt aliud nisi id ipsum substantiae et ἐνέργειαι, harumque cognoscit naturam, cf. de an. III 6. 430ᵇ 26: *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις τὶ κατά τινος, ὥσπερ ἡ κατάφασις, καὶ ἀληθὴς ἢ ψευδὴς πᾶσα· ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς, ἀλλ' ὁ τοῦ τί ἐστι κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι ἀληθής, καὶ οὐ τὶ κατά τινος· ἀλλ' ὥσπερ τὸ ὁρᾶν τοῦ ἰδίου ἀληθές, εἰ δ' ἄνθρωπος τὸ λευκὸν ἢ μή, οὐκ ἀληθὲς ἀεί, οὕτως ἔχει ὅσα ἄνευ ὕλης.*

ura (τὸ τί ἐστι —, οὐκ εἰ τοιαῦτα κτλ. b32) aut percipitur aut non percipitur; hae res aut sciuntur aut ignorantur, error in iis locum non habet, ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός b26, i. e. nisi forte per abusum quendam vocabuli ipsam ignorantiam dixeris errorem. Cf. de an. III 6. 430a 26: ἡ μὲν οὖν τῶν ἀδιαιρέτων νόησις ἐν τούτοις, περὶ ἃ οὐκ ἔστι τὸ ψεῦδος· ἐν οἷς δὲ καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές, σύνθεσίς τις ἤδη νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων.

b3 οἰόμενος διῃρῆσθαι quamquam unus habet cod. Ab, reliqui omnes οἰόμενος διαιρεῖσθαι, ita tamen per naturam sententiae flagitatur, ut in textu ponere non dubitaverim; idem tacite recepit Trend. El. §. 1. — b11 καί cur putaverim ante τὸ μέν inserendum esse, expositum est Obs. p. 35. — b14 δόξα. Opinationem, δόξαν, a scientia Plato, fortasse secutus Parmenidem, ita distinxit, ut quomodo generatio medium inter ens et non-ens locum habet, ita δόξα medium quidpiam sit inter scientiam rei et ignorantiam, cf. Conv. 202a: ἔστι δὲ δήπου τοιοῦτον ἡ ὀρθὴ δόξα, μεταξὺ ἀμαθίας καὶ φρονήσεως. de rep. V 477a. Theaet. 190a. Soph. 263. Phil. 37a. al. Idem discrimen Ar. exponit An. post. I 33. 89a 2: λείπεται δόξαν εἶναι περὶ τὸ ἀληθὲς μὲν καὶ ψεῦδος, ἐνδεχόμενον δὲ καὶ ἄλλως ἔχειν. — ἥ τε γὰρ δόξα ἀβέβαιον, καὶ ἡ φύσις ἡ τοιαύτη. — ὡς τοῦ μὲν τοιούτου δόξαν οὖσαν, τοῦ δ' ἀναγκαίου ἐπιστήμην. Quamquam non ubique servari hoc discrimen cf. ad *B* 2. 996b 28. — b17 ταὐτά scripsi pro vulg. ταῦτα, secutus ea verba quae paullo ante leguntur b14: καὶ ὁ λόγος ὁ αὐτός. — b20 ἀσύμμετρον τὴν διάμετρον, cf. ad *A* 2. 983a 15. — b24 οὐ γὰρ ταὐτὸ κατάφασις καὶ φάσις. Etenim φάσις simpliciter φησί τι, κατάφασις vero κατηγορεῖ τὶ κατά τινος. Ita apparet cur illa ad substantias simplices referatur, haec ad compositas. Saepe tamen promiscue haec voc. ab Ar. usurpari expositum est ad *Γ* 4. 1008a 9. — b29 τὸ ὂν αὐτὸ οὐ γίγνεται, cf. *Z* 8. 1033b 17: τὸ μὲν ὡς εἶδος ἢ οὐσία λεγόμενον οὐ γίγνεται. — b33 τὸ δ' εἶναι — 1052a 1 νοεῖν αὐτά. Duo veritatis genera in memoriam revocat, quorum alterum in compositis rebus, in simplicibus alterum cernatur. Ac per voc. ἓν μέν ἐστιν b34 id significari genus, quod est in compositis rebus, facile apparet; dubium vero videtur, qui-

bus a verbis incipienda sit alterius generis descriptio. Et Alexander quidem quod a verbis τὸ δὲ ἓν alterum illud membrum ordiri putat (p. 573, 5: τὸ δὲ ἕν, τουτέστιν ἄλλον δὲ τρόπον κτλ.), eam sequitur speciem, quae primum legenti haec verba prope necessario offertur, sed deinde ad explicationem admodum contortam adigitur. Itaque videndum an aptius a vv. εἰ δὲ μὴ οὕτως alterum ordiamur membrum hunc in modum: τὸ δ' εἶναι ὡς τὸ ἀληθές, καὶ τὸ μὴ εἶναι ὡς τὸ ψεῦδος, ἓν μέν ἐστιν (i. e. ἕνα μὲν τρόπον ἐστίν), εἰ σύγκειται (int. τὸ κατηγορούμενον τῷ ὑποκειμένῳ συγκειμένων καὶ τῶν πραγμάτων), ἀληθές, τὸ δ' εἰ μὴ σύγκειται (int. τὸ κατηγορούμενον τῷ ὑποκειμένῳ καίπερ συγκειμένων τῶν πραγμάτων), ψεῦδος· τὸ δὲ ἓν (i. e. τοῦτο δὲ τὸ ἀληθὲς τότε ὑπάρχει), εἴπερ ὂν οὕτως ἐστίν (i. e. εἴπερ τὸ ὂν ἐν τῷ συγκεῖσθαι ἔχει τὸ εἶναι καὶ ἐν τῷ διῃρῆσθαι τὸ μὴ εἶναι)· εἰ δὲ μὴ οὕτως (int. τὸ ὂν ἔχει τὸ εἶναι), οὐκ ἔστιν (int. τὸ ἀληθὲς ἐν τῷ συγκεῖσθαι καὶ τὸ ψεῦδος ἐν τῷ διῃρῆσθαι τὰ συγκείμενα)· τὸ δὲ ἀληθὲς (i. e. ἀλλὰ τότε τὸ ἀληθὲς σημαίνει) τὸ νοεῖν αὐτά.

1052a 4 φανερὸν δὲ — 11 ἔχοντος. Quum supra inter exempla rerum compositarum commemoratum sit τὸ ἀσύμμετρον τὴν διάμετρον a20, quod quidem pertinet ad ea accidentia quae necessario ac semper suae inhaerent substantiae, ad eadem rectius referendum erat quod hic habemus τὸ τὸ τρίγωνον δύο ὀρθὰς ἔχειν, cf. Δ 30. 1025a 32. Adiunxisse autem hoc exemplum ei disputationi, quae est de veritate in rebus simplicibus conspicua, hac videtur ratione ductus. Simplicibus in rebus nullus omnino error locum habet; aeternis in rebus is certe error abest, qui e temporis et mutationis varietate repetitur. Ita triangulum semper angulos habet duobus rectis pares aut semper non habet, nec vero potest modo habere modo non habere. Haec una ambiguitas potest remanere, ut quum eodem nomine plures significentur res immutabiles, de nonnullis aliquid praedicetur, de aliis idem negetur; veluti inter numeros pares est qui dici possit πρῶτος, i. e. indivisibilis (cf. ad Α 6. 987b 34), nimirum dyas, sunt alii qui non possint dici πρῶτοι, sed unus idemque numerus par (ἀριθμῷ δὲ

περὶ ἕνα *a* 9, i. e. *περὶ δὲ ἕνα ἀριθμῷ*, quod opponatur superioribus verbis, quibus significatur *περὶ ἕνα τῷ εἴδει*, cf. ad *Δ* 6. 1016*b* 31) hanc ambiguitatem non admittit.

I.

CAP. I.

Quatuor distinguuntur modi, secundum quos unitas alicui rei assignatur; 1052*a* 15—*b* 1. *Deinde ipsa unitatis notio explicatur, quae cernitur in individua alicuius rei natura ac praecipue vergit ad significandam mensuram* — 1053*a* 14. *Mensurae ratio et usus amplius exponitur* — *b* 3. *Denique paucis complectitur Ar., quae de notione unitatis antea exposuit* — *b* 8.

1052*a* 15 *τὸ ἓν* — *b* 1 *λόγον*. Unitatis priusquam ipsam notionem explicat, primum eas res, quibus unitatem vulgo tribuere solemus, circumspicit et ad genera quaedam redigit. Quamquam enim unitas multifariam dicitur (*εἴρηται πρότερον* *a* 16, cf. *Δ* 6), tamen multiplex ille usus, quoniam ex cognatione quadam ipsius rei pendet, ad genera quaedam et capita potest referri (*οἱ συγκεφαλαιούμενοι τρόποι* *a* 17, cf. *Δ* 2. 1013*b* 30: *οἱ κεφαλαιούμενοι τρόποι*. *H* 1. 1042*a* 4: *τὸ κεφάλαιον συνάγειν*. *A* 7. 988*a* 18: *κεφαλαιωδῶς*). Quae quidem genera quod hic quatuor distinguit, alibi (*Δ* 6. Phys. I 2. 185*b* 7) modo plura modo pauciora partim eadem partim diversa, id nec mirandum nec subtilius excutiendum; ubi enim a primaria notione descenderis ad eas res, in quibus illa cernitur, harum quidem genera varia ratione et comprehendere et distinguere licet. Hoc igitur loco omissis iis rebus, quibus per accidens unitas tribuitur, *a* 18, cf. *Δ* 6. 1015*b* 16—36, quatuor distinguit unitatis genera, *τὸ συνεχές*, *τὸ ὅλον*, *τὸ καθ' ἕκαστον*, *τὸ εἶδος*, *a* 35. Continui ad notionem definiendam quod adhibet notionem motus, cf. ad *Δ* 6. 1015*b* 36. Quum autem duo sint continui genera, latius (*ἁπλῶς* *a* 19) alterum, quod qualibet ratione coaluit, alterum angustius, cuius naturalis est continuitas, huic potius

quam illi unitatem tribuendam monet. (Voc. ἁπλῶς saepe notio intra suum ipsius ambitum continetur, ut coniungatur cum πρώτως, τῇ φύσει, et opponatur vv. κατὰ συμβεβηκός, πως, πῃ, τρόπον τινά, δυνάμει, cf. Δ 7. 988b 15. Γ 6. 1011b 22. Δ 11. 1018b 11. E 2. 1027a 5. Z 4. 1030a 30. b 5. 1031a 13. Θ 6. 1048a 29, b 12. Sed quoniam si qua notio simpliciter praedicatur, nihil est additum quod eam distinctius definiat et in angustiorem ambitum cogat, ideo ἁπλῶς saepe idem fere significat atque ὅλως, καθ' ὅλου, cf. ad Δ 15. 1020b 33. E 2. 1026a 33. Z 10. 1035b 1. 17. 1041b 1. Θ 7. 1049a 23. K 8. 1064b 15. al. Et hac quidem vi h. l. accipiendum est.) Idem discrimen in altero cernitur unitatis genere, a 22—28, quum τὸ ὅλον, i. e. id quod ad certam formam definitum est et perfectum nec moles modo indigesta (cf. ad Δ 6. 1016b 11—17. 2. 1013b 22. 26. 1023b 36: opponitur σωρός, cf. ad Z 16. 1040b 9), unum esse dicitur: nam hic quoque distinguuntur quae per artem et vim quandam coaluerunt, ab iis, quibus ipsa natura unitatis formam indidit. Ceterum primam motionem ex Aristotelis sententia localem esse motum, φοράν a 27, et in ipso motu locali orbicularem lationem principem tenere locum, ex Physicis satis est notum, Phys. VIII 7—9. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 445. — His duobus sed cognatis inter se unitatis generibus, quippe quum utrumque ad externam rei formam referatur, ea opponuntur, quae notionis e natura repetuntur. Hac autem ratione unitas assignatur vel speciebus rerum, quae quum non amplius angustiores in species distinguantur individuae iure dici possunt, veluti homo, leo al. (cf. ad Z 12. 1038a 16. 13. 1039b 30), vel rebus singulis, in quibus et notionis et numeri cernitur unitas. Speciebus autem quum assignatur unitas ex natura notionis, illud praecipue et optimo iure hanc sibi vindicabit unitatem, quod est ταῖς οὐσίαις αἴτιον τοῦ ἑνός, id est autem τὸ τί ἦν εἶναι, cf. Z 17. — a 35 τὸ καθ' ὅλου. Distinctius idem antea dixit εἶδος, a 31, 32. Quid differat καθ' ὅλου a v. γένος et εἶδος, cf. ad Z 3. 1028b 34.

1052b 1 δεῖ δὲ — 1053a 14 εἴρηται. Aliud est quaerere quibus rebus unitatis notionem assignare liceat, aliud indagare, quae sit ipsa notio unitatis, τί ἐστι τὸ ἑνὶ εἶναι 13. perinde ac differt utrum quaeramus, quae res pro elementis

vel pro causis sint habendae (ἐπὶ τοῖς πράγμασι διορίζοντα *b*8), an quae sit ipsa elementi vel causae notio (τοῦ ὀνόματος ὅρον ἀποδιδόντα *b*9). Sicuti enim ignis, vel infinitum vel alia pro elementis possunt haberi, ipsa autem elementi notio in eo cernitur, ὅτι ἔστι τι ἐκ τούτου ὡς πρώτου ἐνυπάρχοντος, *b*14 (cf. Δ 3), ita unitas tribuitur quidem omnibus iis rebus, quae uni ex quatuor illis modis antea enumeratis subiiciuntur (ᾧ ἂν ὑπάρχῃ τις τούτων τῶν τρόπων *b*4), sed ipsa notio unitatis cernitur in individua natura, τὸ ἑνὶ εἶναι τὸ ἀδιαιρέτῳ ἐστὶν εἶναι *b*16, ideoque redigi potest ad notionem mensurae (τὸ ἑνὶ εἶναί ἐστι — μάλιστα τὸ μέτρον εἶναι κτλ. *b*18). Ac praecipue quidem quantitatis in mensura cognoscitur notio unitatis; si enim quantitas quaelibet vel per unitatem vel per numerum aliquem mensuratur, numeri autem iterum mensura ac principium unitas est, sequitur ut quaelibet quantitas per unitatem cognoscatur, *b*18—24. A quantitate ad alia etiam rerum genera mensurae nomen et ratio transfertur, *b*24 sqq.; ubique enim simplex quidpiam et individuum quaeritur, quo reliqua metiamur, sive illa est quantitatis, sive qualitatis et notionis simplicitas, *b*34. Et optimo quidem iure nihil aliud nisi numeri mensura unitatis nomen sibi vindicat, quia in ea fieri non potest ut vel dematur quidquam vel addatur; reliquis in rebus imitantur quidem omnes, sed non assequuntur accuratam huius mensurae naturam. Sensum enim secuti omnes id, quod ad nostrum sensum divisionem non amplius admittit, pro mensura ponunt, ἀφ᾽ οὗ πρῶτον κατὰ τὴν αἴσθησιν μὴ ἐνδέχεται (int. ἀφαιρεθῆναί τι), τοῦτο πάντες ποιοῦνται μέτρον *a*5. Quare quoniam neque in musica minus intervallum quam δίεσις (cf. An. post. I 23. 84*b* 38), neque in sermone minor sonus quam syllaba videtur percipi posse, propterea haec ut minima pro mensuris sui utrumque generis ponunt. καὶ ταῦτα πάντα (nimirum ἡ δίεσις, τὸ στοιχεῖον, ἡ ταχίστη κίνησις τοῦ οὐρανοῦ) ἕν τι οὕτως, οὐχ ὡς κοινόν τι τὸ ἕν, ἀλλ᾽ ὥσπερ εἴρηται, *a*13, i. e. non ipsa unitas, tamquam notio universalis, mensurae cuiusque naturam et essentiam constituit, sed unaquaeque mensura certum quidpiam est, ἕν τι, quo reliqua eiusdem generis mensurantur.

Haec universae argumentationis ratio et ordo; in ipsis verbis multa praeterea vel explicationem requirunt vel emendationem. — *b* 4 *καὶ ἕκαστον ἔσται ἓν τούτων, ᾧ ἄν τις ὑπάρχῃ τούτων τῶν τρόπων.* Pron. *τούτων* priore loco positum nihil videtur aliud significare posse nisi *τὸ συνεχές, τὸ ὅλον, τὸ καθ' ἕκαστον, τὸ εἶδος*: at eadem iterum significantur verbis: *τούτων τῶν τρόπων.* Quod quum absurde dictum esse appareat, locum corruptum esse persuasum habeo; illud vero dubito, utrum pron. *τούτων* ab Aristotele priore tantum loco scriptum — *ἔσται ἕν, τούτων ᾧ ἄν τις ὑπάρχῃ τῶν τρόπων* (cf. de collocatione verborum *Θ* 3. 1047*a* 27) — et quum a librariis in eum, qui aptior iis videretur, locum translatum esset, falso utrobique haesisse putem, an ex interpretatione Alex. p. 576, 28 coniiciam pro *τούτων* scriptum fuisse: *τῶν ὄντων.* Sed utrum probaveris, haec erit sententia: quidquid sub unum ex quatuor illis modis cadit, unum esse censetur. — Proximis verbis, *b* 5 *τὸ δὲ ἑνὶ — 7 ἐκεῖνα*, quae inest obscuritas, ea vero ipsi scriptori est assignanda. Notio unitatis, ait Ar., modo alicui tribuitur iis ex rebus, quas antea enumeravimus, modo alii cuipiam, quod ad ipsam nominis notionem propius accedit. Ac mensuram quidem, *τὸ μέτρον* *b* 18, intelligendam esse, ut quae notionem unitatis magis proprie referat, quam vel continuum vel totum vel reliqua, recte videtur Alex. interpretari. Quibus verbis quod addit: *τῇ δυνάμει δ' ἐκεῖνα*, pron. *ἐκεῖνα* non potest alio referri nisi ad quatuor illos modos antea enumeratos unitatis, vocabulum *δυνάμεως* autem paullum deflexisse Ar. videtur a propria et genuina significatione, ut hoc dicat: continuum vel totum vel reliqua (*ἐκεῖνα*) possunt pro praedicato habere unitatis notionem, illud aliud vero, quod ad unitatis notionem propius accedit, necessario secum coniunctam habet unitatis notionem neque aliter potest cogitari nisi ut sit unum. — *b* 3 *λέγεται — 7 ἐκεῖνα* parenthesis signis includenda putavi, quia proxima verba *ὥσπερ καὶ κτλ.* coniungenda sunt cum superioribus *οὐχ ὡσαύτως ληπτέον λέγεσθαι*, quae autem interposita sunt, ea pertinent ad explicanda illa verba: *ποῖά τε ἓν λέγεται — καὶ τίς αὐτοῦ λόγος.* — *b* 10 *τὸ ἄπειρον.* Respicitur Anaximander, cf. Brandis Gesch. I. p. 128.

*b*16 τὸ ἑνὶ εἶναι τὸ ἀδιαιρέτῳ ἐστὶν εἶναι, ὅπερ τῷδε ὄντι καὶ ἀχωρίστῳ ἢ τόπῳ ἢ εἴδει ἢ διανοίᾳ. Haec lectio si est genuina, ἀχώριστος eadem significatione est accipiendum qua ἀδιαίρετος, ut his verbis idem fere dicat ac supra *a*36: πάντα δὲ ταῦτα ἐν τῷ ἀδιαίρετον εἶναι τῶν μὲν τὴν κίνησιν, τῶν δὲ τὴν νόησιν καὶ τὸν λόγον. At si voluisset Ar. explicare, quot modis individuum quidpiam possit dici, ea explicatio addenda erat ad τὸ ἀδιαιρέτῳ εἶναι, non ad ὅπερ τῷδε ὄντι, quorum verborum longe diversa est significatio; et, id quod gravissimum est, ἀχώριστος ne potest quidem idem significare atque ἀδιαίρετος. Etenim χωριστός constanti Aristotelis usu non significat quod dividi potest, sed quod potest seiungi ab alio vel exsistentia vel cogitatione, ut per se vel sit vel cogitetur, cf. ad *E* 1. 1025*b* 28. 1026*a* 9, eique oppositum est ἀχώριστος, ibid. 1026*a* 14. In tantis horum verborum difficultatibus non videtur negligenda esse lectio cod. *A*b, quam eandem apud Alexandrum p. 578, 28 ex Sepulv. putavi restituendam esse, ἰδίᾳ χωριστῷ exhibentis pro ἀχωρίστῳ. Hanc si probaveris lectionem, hoc videbitur Ar. dicere: unitatis notio in individua cernitur natura; sed non ipsa unitas natura et essentia est eius quod dicitur unum (quam quaestionem uberius cap. 2 adversus Pythagoreos et Platonicos excutit), sed subiecta ei est certa ac definita substantia, hoc aliquid, ὅπερ τῷδε ὄντι, et ea quidem per se exsistens, seiuncta vel loco et exsistentia vel certe notione, καὶ ἰδίᾳ χωριστῷ ἢ τόπῳ ἢ εἴδει ἢ διανοίᾳ. — Extremis autem verbis definitionis: ἢ καὶ τῷ ὅλῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ, quid faciam non video. Particula καί priore loco, καὶ τῷ ὅλῳ, quum in duobus modo libris incertae fidei legatur, nihil magnopere obstat quin eam omittamus; praeterea fortasse ea corruptela verba liberanda sunt, quae saepissime a librariis commissa est quum τῷ pro τό scriberent, ut legendum sit: ἢ τὸ ὅλῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ, h. e. τὸ ἑνὶ εἶναι τὸ ἀδιαιρέτῳ ἐστὶν εἶναι κτλ., ἢ τὸ ὅλῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ sc. εἶναι, h. e. sive notio unitatis in eo consistit, quod aliquid totum est et individuum. Ὅλον, totum et absolutum, quod nihil praeterea aliunde requirit (cf. *Δ* 26), idem esset, quod antea verbis χωριστὸν ἢ τόπῳ κτλ. uberius exposuit; haec igitur verba eandem, quam antea pluribus exhibuit de-

finitionem, in brevius contractam redderent. Sed in re tam dubia nihil audeo decernere. — Ante *μάλιστα* non debebam gravius distinguere, quoniam huius etiam enunciati subiectum est *τὸ ἑνὶ εἶναι*.

*b*23 *ᾧ πρώτῳ ποσὰ γιγνώσκεται*. Voc. *ποσά* si est genuinum, necessario videtur aut articulus addendus: *ᾧ πρ. τὰ ποσὰ γ.*, aut mutandus accentus: *ᾧ πρώτῳ πόσα* (int. *ἐστὶ*) *γ.*, cf. Alex. p. 579, 14. Sed rectius videtur ipsum voc. *ποσά*, quod ex uno cod. *A*^b Bekk. in textum intulit, omitti, ut e superioribus verbis *τὸ ποσόν* suppleatur.

*b*23 *τὸ ἓν ἀριθμοῦ ἀρχὴ ᾗ ἀριθμός*, cf. ad *Δ* 6. 1016*b* 18.

1053*a* 1 *τὴν μονάδα — πάντῃ ἀδιαίρετον*, cf. ad *Δ* 6. 1016*b* 29.

*a*8 *κίνησιν* — 11 *ταχίστην τὴν τοῦ οὐρανοῦ*, cf. de coelo II 4. 287*a* 23: *ἔτι δ' εἰ τῶν μὲν κινήσεων τὸ μέτρον ἡ τοῦ οὐρανοῦ φορὰ διὰ τὸ εἶναι μόνη συνεχὴς καὶ ὁμαλὴς καὶ ἀΐδιος, ἐν ἑκάστῳ δὲ μέτρον τὸ ἐλάχιστον, ἐλαχίστη δὲ κίνησις ἡ ταχίστη, δῆλον ὅτι ταχίστη ἂν εἴη πασῶν τῶν κινήσεων ἡ τοῦ οὐρανοῦ κίνησις*.

1053*a* 14 *οὐκ ἀεὶ δὲ* — *b*3 *λέγειν*. Mensura ipsa suapte natura unum quidpiam est et individuum, sed non est necesse eiusdem generis rerum unam modo esse mensuram. Veluti musicam artem qui subtilius inquisiverunt, quoniam hemitonii duo sunt genera, *λεῖμμα* et *ἀποτομή* (cf. Böckh. Bildg. d. Weltseele etc. in Daub u. Creuz. Stud. III. p. 59), etiam *διέσεως*, quae est dimidia pars hemitonii, duo distinguunt genera et duas inde inveniunt intervallorum mensuras, quamquam illud quidem intervalli discrimen non tam audiendi acie quam computandis intervallorum rationibus arithmeticis repererunt (*αἱ μὴ κατὰ τὴν ἀκοὴν ἀλλ' ἐν τοῖς λόγοις* *a*16). Pariter sermo plus unam habet mensuram *a*17, ubi quidem haud scio an longarum et brevium syllabarum discrimen Aristoteles voluerit indicare. Denique quod lineam diagonalem et latus quadrati et *τὰ μεγέθη πάντα*, i. e. nisi fallor plana omnia, duabus mensuris mensurari dicit, hoc videtur significare, et rationem quae diagonalem inter et latus intercedit, et cuiuslibet planae figurae magnitudinem non definiri una linea mensurata, sed duabus mensuratis et mensurae numeris inter se multiplicatis. — Proba-

bilem hanc interpretationem dixi, certam non habeo quam proponam. Alexander statim ab initio verba *ἐν τοῖς λόγοις* falso interpretatus manifesto a veritate longe aberrat.

Reversus deinde (*οὕτω δή* *a* 18) ad individuam mensurae naturam iterum, quod supra iam monuit, non eodem iure sensibilibus quantitatis mensuris, veluti lineae pedali, et unitati numeri individuam assignari naturam explicat, *a* 21 sqq. Et sententia quidem verborum satis aperta: unitas qualibet ratione individua est, pes ita ad res sensibiles metiendas adhibetur, ac si esset individuus. Hoc enim fere dicere voluisse Aristotelem inde cognoscitur, quod adiecto *ὥσπερ εἴρηται ἤδη* *a* 23, superiora verba legentibus in memoriam revocat 1052*b* 33: *χρῶνται ὡς ἀτόμῳ τῇ ποδιαίᾳ*, et quod deinceps addit, sua natura, utpote continuam, lineam pedalem non esse individuam. (*ἴσως* *a* 24, cf. ad *A* 5. 987*a* 26.) Sed quomodo e verbis: *τὸ δ' εἰς ἀδιαίρετα πρὸς τὴν αἴσθησιν ἐθέλει*, eiusmodi sensus vel aliqua omnino sententia elici possit alii viderint. Fortasse scriptum fuit: *τὸ δ' εἶναι ἀδιαίρετον πρὸς τὴν αἴσθησιν ἐθέλει*, quod consentiret cum verbis superioribus *a* 2: *ἐν τοῖς ἄλλοις μιμοῦνται τὸ τοιοῦτον.*

Mensura eiusdem generis est (*συγγενές* *a* 24, cf. *B* 1. 995*b* 12. *M* 1. 1076*a* 18) atque id quod mensuratur, veluti magnitudinis magnitudo mensura est, gravitatis gravitas et reliqua similiter. Ita unitatum unitas dicenda est mensura, neque vero numerorum numerus: *καίτοι ἔδει, εἰ ὁμοίως* *a* 28, h. e. *καίτοι ἔδει λαμβάνειν τὸν ἀριθμὸν μέτρον τῶν ἀριθμῶν, εἰ ὁμοίως ἐπὶ τούτῳ τε εἶχε καὶ ἐπ' ἐκείνοις.* Quibus verbis deinde opponit: *ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἀξιοῖ κτλ.* h. e. numerorum qui numerum mensuram esse dicit, videtur ille quidem similiter statuere atque in exemplis antea allatis, re autem vera non statuit similiter; numerus enim, licet singulari nominis forma significetur, tamen multitudinem in se comprehendit, nimirum unitatum; quare numerorum si quis numerum diceret mensuram, eodem iure unitatum non unitatem sed unitates contendere deberet mensuram esse.

Scientiam vel sensum si dicimus rerum esse mensuram, *a* 31, ad rem longe diversam mensurae nomen transferimus, ea una ratione adducti quod et per mensuram et per scien-

tiam sensumve aliquid cognoscimus; ceteroquin enim omnia plane contraria. Nam quoniam scientia non definit, quales res sint, sed contra ad rerum naturam certam iam ac definitam sese accommodare debet ut veritatem assequatur (cf. Θ 10. 1051b 6), res potius scientiae dicantur mensura esse quam scientia rerum. Similis igitur hic est abusus nominis mensurae, ac si videmur, ut utar Aristotelico exemplo parum illo quidem feliciter adhibito, ipsi nos mensurasse, ubi mensurati potius sumus alio mensuram nobis afferente; videmur autem ipsi nos mensurasse, quoniam ipsi cognovimus magnitudinem nostram. — Protagorae vero vox, ἄνθρωπος ἁπάντων μέτρον (cf. ad Γ 5. 1009a 6) re vera nihil absconditum, nihil sapiens (περιττόν, cf. Plat. Axioch. p. 370e et ad A 2. 983a 2. Waitz Org. 118a 6. 141b 13) continet sed illam ipsam eloquitur sententiam parum veram, sensum esse mensuram rerum.

1053b 4 τὸ ἑνὶ εἶναι, quod primus Brand. mutavit in τὸ ἓν εἶναι, reduxi, secutus et Alexandri auctoritatem p. 584, 12 (cf. Addenda ad Alex.) et codd. *ET* veterumque editionum fidem. Ac vel sine his testimoniis reponendus erat dativus, quoniam de definienda notione agitur (κατὰ τὸ ὄνομα ἀφορίζοντι), cf. 1052b 16.

CAP. II.

Unitatem non esse substantiam, sed subiectam sibi habere substantiam, 1053b 9—16, duobus demonstratur argumentis, primum quia unitas notio est universalis — 24, deinde quia in reliquis praeter substantiam categoriis subiicitur quidpiam unitati — 1054a 13. Unum idem fere significat atque ens — a 19.

1053b 9 κατὰ δὲ — 1054a 13 ἕν. Unum, τὸ ἕν, utrum pro substantia sit habendum, quae fuit Pythagoreorum et Platonis sententia, an semper subiectum sibi quidpiam habeat, de quo praedicetur, ad inquirendum et proposuit et dialectice in utramque partem disputavit ἐν τοῖς διαπορήμασιν b 10, i. e. B 4. 1001a 4—b 25. Eam quaestionem, quamquam proposita in superioribus notione unitatis iam solvit, hoc capite ita pertractat, ut duabus usus ratiocinationibus,

*b*16—24, *b*24—*a*13, unum non esse substantiam demonstret. (*b*9 κατὰ τὴν οὐσίαν, i. e. quod attinet ad substantiam, utrum substantiae dignitas unitati tribuenda sit necne. φύσις autem tamquam synonymum coniungitur cum οὐσίᾳ, ea vi vocabuli quae explicatur *Δ* 4. 1015*a* 11. — *b*14. Quod in proponenda quaestione legimus: καὶ πῶς δεῖ γνωριμωτέρως λεχθῆναι καὶ μᾶλλον ὥσπερ οἱ περὶ φύσεως, non videtur ita ab Aristotele scribi potuisse. Quoniam enim nondum diiudicatum est sed etiamtum quaeritur, utra statuendi ratio scientiae et veritati accommodatior sit (γνωριμωτέρως), non potest additis verbis καὶ μᾶλλον κτλ. iam significare physicorum sibi rationem videri veriorem et ad eam accedere oportere eum, qui scienter rem velit iudicare. Sed hoc ipsum in quaestione ponendum est, sicuti posuit Alexander p. 584, 29: καὶ πῶς δεῖ γνωριμωτέρως λεχθῆναι, ἆρα ὥσπερ οἱ περὶ φύσεώς φασιν. Inde suspicor scribendum potius esse: ἢ μᾶλλον ὥσπερ κτλ. — *b* 15 φιλίαν, ἀέρα, ἄπειρον. Respicit Ar. Empedoclem, Anaximenem, Anaximandrum.)

a) *b*16—24. Nihil quod universe de multis praedicatur, h. e. nulla notio universalis, substantiae habet dignitatem, ut demonstratum est ἐν τοῖς περὶ οὐσίας — λόγοις, i. e. *Z* 13; quin hoc ipsum, substantia ipsa (αὐτὸ τοῦτο οὐσία *b*18), non exsistit tamquam unum quidpiam et seiunctum praeter singulas, quae in re ac veritate sunt, substantias, siquidem communiter de omnibus praedicatur. Atqui unitas pariter atque ipsum esse (τὸ ὄν) quummaxime de omnibus universe praedicantur. Ergo unitas non est substantia. — Eandem ratiocinationem deinceps paullo immutatis verbis iterat et auget, *b*21—24, hunc in modum: genera rerum non possunt haberi pro naturis et substantiis seiunctim exsistentibus; unum autem quum pariter atque ens ne genus quidem rerum sit, quod ostensum est *B* 3. 998*b* 22 sqq., eo minus substantiae dignitatem sibi potest vindicare. (*b*16 εἰ δὲ μηθὲν κτλ. Quum ab his verbis Aristoteles ordiatur demum argumentationem, particula opponendi parum videtur apta; sed quoniam respicit ad ea, quae aliunde nota ut certa et firma ponuntur, scripsisse eum arbitror: εἰ δὴ μηθέν. Hanc particulam etiam Alexandrum coniicias legisse p. 585, 7: εἰ δὴ — μηθὲν τῶν καθόλου οὐσία ἐστίν.)

b) *b*24—*a*13. In reliquis praeter substantiam categoriis si ponimus unum, quo reliqua eiusdem generis metiamur et numeremus, illud unum ubique certum quidpiam est eiusdem generis, velut in coloribus metiendis et numerandis colorem, in sonis sonum tamquam unitatem ponimus, nec vero usquam ipsum per se unum. Iam vero eandem oportet omnium esse categoriarum rationem, *b*24, *a*8, 9. Ergo etiam in substantiis una quaedam substantia tamquam unitas quaerenda est, qua ceteras metiamur, nec ponenda ipsa per se unitas, quae in eo, quod est unitas, suam habeat essentiam.

Haec fere argumentandi ratio; in constituendo textu aliquoties vel recessi a recensione Bekk. vel recedendum esse arbitror. Pronomen indefinitum *τις*, *τι* aliquoties ubi maiore cum vi pronunciatum videtur, ut certum quidpiam et definitum significet et opponatur notioni universali (cf. ad *Γ* 2. 1003*b* 33), retento accentu scripsi, licet per grammaticas leges eum transferre debeat in vocabulum antecedens, veluti *b*26: *ἐν τοῖς ποιοῖς ἐστὶ τὶ τὸ ἓν καὶ τὶς φύσις*, certum quidpiam et definitum, definita quaedam natura est illud quod ponitur unum. Item: *τὸ ἓν ἂν ἦν τὶ ἕν* *b*36, 1054*a* 7. Secutus in his sum exemplum, quod ipse Bekkerus alibi proposuit, cf. *B* 4. 999*b* 19. *Z* 13. 1038*b* 33. al. — Deinde *b*29 *ἀλλὰ μὴν ἕν γε χρώμασίν ἐστι τὸ ἓν χρῶμα*, ante *τὸ ἓν* ex cod. *E* addendum videtur idem, de quo nunc disserui, pronomen *τὶ*, praesertim quum eam lectionem Alexandri auctoritas videatur confirmare p. 585, 30: *ἔστι γὰρ ἐν χρώμασι τὶ τὸ ἓν οἷον τὸ λευκόν*. — Tum 1054*a* 8 quum libri scripti plerique habeant: *ἀλλ' οὐχὶ τοῦτο αὐτοῦ ἡ οὐσία*, unus autem *A*b: *ἀλλ' οὐχὶ τοῦτο αὐτὸ ἡ οὐσία*, genuinam lectionem ex utraque putavi coniungendam: *ἀλλ' οὐχὶ τοῦτο αὐτὸ αὐτοῦ ἡ οὐσία*. Huc ducit et comparatio locorum simillimorum 1053*b* 28: *ὅτι τοῦτο αὐτὸ ἡ φύσις αὐτοῦ*, 1054*a* 10: *καὶ οὐθενὸς τοῦτό γ' αὐτὸ ἡ φύσις τὸ ἕν*, et Alexandri explicatio p. 586, 22: *καὶ οὐκ ἐν τούτῳ αὐτῷ ἐν τῷ ἑνὶ εἶναι οὐσίωται*, et vero Bessarionis interpretatio: «non autem hoc ipsum substantia eius sit.» — Denique *a*12 cur *τε* omiserim post *αὐτό*, quam particulam editiones habent omnes, exposui Obs. p. 18.

1054*a* 13 ὅτι — 19 εἶναι. Per universam alteram argumentationem, 1053*b* 25—1054*a* 13, quum per omnes categorias persequatur τὸ ἕν, eam respicit Aristoteles propositionem, quam ab initio pro fundamento argumentandi posuit *a*25: λέγεται δ' ἰσαχῶς τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν. Eam iam confecta ipsa ratiocinatione paucis confirmat. Unum, ait, ad idem fere redit atque ens, quia utrumque ad omnes pertinet categorias neque intra ullam ex iis comprehenditur, deinde quia unum si ad praedicatum adieceris pariter ac si ens adieceris, nihil novi addideris (τῷ μὴ προσκατηγορεῖσθαι κτλ. *a*16); nam τὸ ἑνὶ εἶναι nihil significat aliud nisi singularem et seiunctam a reliquis rei exsistentiam. — Eadem placita uberius exposita legimus *Γ* 2. 1003*b* 22—1004*a* 5. cf. *Z* 4. 1030*b* 8—12. *K* 3. 1061*a* 18. — In grammatica autem verborum conformatione notandum est, quod in utroque enunciati causalis membro ab infinitivo ad modum finitum Ar. transit: τῷ τε παρακολουθεῖν — ἀλλ' ὁμοίως ἔχει, τῷ μὴ προσκατηγορεῖσθαι — καὶ τὸ ἑνὶ εἶναι (sc. ἐστὶ) τὸ ἑκάστῳ εἶναι. Conferri potest haec constructionis mutatio cum notissimo illo Graecae linguae usu, quum ab enunciatione relativa ad demonstrativam transitur.

CAP. III.

Unum et multitudo quomodo inter se sint opposita, 1054*a* 20—29. *Exponuntur aliquot notiones, quae vel ab unitatis vel a multitudinis notione pendent,* τὸ ταὐτόν *a*32—*b*3, τὸ ὅμοιον *b*3—14, τὸ ἕτερον *b*15—23, τὸ διάφορον *b*23—1055*a* 2.

1054*a* 20 ἀντίκειται — 32 ἄνισον. Exposita ipsa unitatis notione iam transit ad explicandas eas notiones, quae vel oppositae sunt unitati vel ab unitate oppositaque ei notione suspensae. Et oppositum quidem unitati constat esse multitudinem; non eandem ubique huius oppositionis esse rationem (κατὰ πλείους τρόπους *a*20) h. l. breviter significat, proximis capitibus 4—6 idem uberius expositurus. Sed quum quatuor omnino sint oppositionis genera, ἀντίφασις, στέρησις, ἐναντιότης, τὰ πρός τι (cf. ad *Δ* 10. 1018*a* 20), una ratio, qua unitatem et multitudinem inter se opponimus,

quum unitatem dicimus esse τὸ ἀδιαίρετον, multitudinem τὸ διαιρετόν vel τὸ διῃρημένον, ad contrarietatem referenda est. Ac suapte quidem natura τὸ ἀδιαίρετον, utpote simplicius aptius est ad cognoscendum; nobis vero, quoniam a sensuum perceptione cognitionis repetimus originem, τὸ διαιρετόν facilius cognoscitur (cf. τὸ φύσει γνωριμώτερον, τὸ πρὸς ἡμᾶς γν. ad *Z* 4. 1029*b* 4). Inde fit ut etiam notio (τῷ λόγῳ *a* 28) τοῦ ἀδιαιρέτου per negationem redigatur ad notionem τοῦ διαιρετοῦ. — Ad hanc autem summam unitatis et multitudinis oppositionem referenda esse alia quaedam notionum paria, veluti τὸ ταὐτό et τὸ ἕτερον, τὸ ὅμοιον et τὸ ἀνόμοιον, τὸ ἴσον et τὸ ἄνισον alibi in libris de bono Ar. demonstravit (ἐν τῇ διαιρέσει τῶν ἐναντίων *a* 30, cf. ad *Γ* 2. 1004*a* 2); iam aliquot ex his notionibus uberius explicat. — *a* 24 οὔτε cur scripserim cum cod. *A^b* et Alex. pro vulg. τούτων et quae praeterea videantur in ordine verborum mutanda esse, exposui Obs. p. 101. Sed haud scio an vulgata lectio ferri possit, si reputaverimus, contrarietatem ad privationem ita referri, ut contrarietatis natura in plena ac perfecta cernatur privatione, cf. 4. 1055*b* 14, 26. Hoc enim Ar. videtur dicere: alterum ex his (τούτων *a* 24, int. τοῦ διαιρετοῦ καὶ τοῦ ἀδιαιρέτου) quoniam est privatio alterius, et plena quidem privatio (hoc enim esset supplendum), τὸ ἀδ. et τὸ διαιρ. contraria inter se sunt, neque vel ad contradictionem vel ad relationem referri possunt.

a) 1054*a* 33—*b* 3 τὸ ταὐτόν. Identitas quot modis dicatur expositurus, quum dicit Ar.: λεγομένου δὲ τοῦ ταὐτοῦ πολλαχῶς, [καὶ] ἕνα μὲν τρόπον κατ' ἀριθμὸν λέγομεν ἐνίοτε αὐτό, recte Bekk. secutus cod. *E*, accedente Alexandri p. 588, 5 sqq. et Bess. auctoritate, particulam καί expungendam censuit, quae omnem enunciati conformationem perturbat. Sed ex eodem cod. *E* et cod. *T* proximis in verbis *a* 34 Bekk. τὸ δ' pro τοῦτο δ' recipere debebat. Etenim si τοῦτο δ' legimus, «hoc est», idem modus identitatis, qui primis verbis est propositus, uberius explicatur; sin autem τὸ δ' praeferimus, alter proponitur modus, diversus ille a superiore. Atqui re vera alterum proponi, ipsa verba manifesto arguunt; in priore enim modo ad identitatem unice unitas numeri, in altero et numeri et notionis unitas requi-

ritur. Ita recte distinxit Alexander in commentario, ut vel eius auctoritate ad confirmandam lectionem τὸ δ' uti liceat. — Tria igitur distinguit Ar. identitatis genera, quorum primum ex mera numeri unitate, alterum ex unitate et numeri et notionis, tertium ex unitate notionis substantialis pendeat. Primi generis exemplum non attulit, sed quum numeri unitatem unice requirat, et opposito proximo genere notionis et substantiae unitatem tacite excludat, Alexander dubium non est quin vere accidentalem identitatis vim intellexerit, de qua dictum est ad *Δ* 9. 1017*b* 24 sqq. Atque hoc identitatis genus quum a propria et plena identitatis vi aliquantum recedat, adiecto adverbio *ἐνίοτε* id videtur significasse. Alterum genus ipse Aristoteles adhibito exemplo illustravit. In tertio autem genere definiendo quam dicit *πρώτην οὐσίαν* ea est primaria rei natura, qua quid sit res definiatur seiunctis omnibus accidentibus, sive ipsum *τὸ τί ἦν εἶναι*, cf. *Z* 7. 1032*b* 1: *εἶδος δὲ λέγω τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν*. Hoc autem genus quum ab omni materiae et accidentium contagione liberum sit, primo generi, quod in ipsa materiae et numeri unitate cernebatur, est oppositum. — *Τὰ ἴσα καὶ ἰσογώνια τετράγωνα* *b*2, quadrata quae et magnitudine et angulis aequalia sunt, eadem esse dicuntur, licet numero sint plures, quoniam haec numeri pluralitas externam exsistentiam, non rei essentiam et notionem tangit. Articulus *τά*, qui in editionibus omnibus ante *ἰσογώνια* additur, omittendus est cum Alex. p. 588, 15, quia non possunt duo significari quadratorum genera, quorum alterum extensionis alterum angulorum aequalitate definiatur, sed utraque aequalitas in eodem genere requiritur, ut recte dici possit *ἐν τούτοις ἡ ἰσότης ἑνότης*.

Identitatis genera Ar. paullo aliter distinguit *Δ* 9. 1018*a* 6. Top. I 7. 103*a* 6. VIII 1. 152*b* 31, cf. 151*b* 29.

b) 1054*b* 3—13 *τὸ ὅμοιον* (cf. *Δ* 9. 1018*a* 15). Similitudinis genera ita enumerat, ut deinceps in proximo quoque genere minor ac debilior cernatur formae unitas. Primum enim genus, quum similia ea dicuntur, quae, licet differant per concretam exsistentiam (*κατὰ τὴν οὐσίαν τὴν συγκειμένην* *b*4, cf. *οὐσία σύνθετος* *H* 3. 1043*a* 30. *Δ* 24. 1023*a* 31, et *τὸ συνειλημμένον* ad *E* 1. 1025*b* 32), tamen

eadem sunt κατὰ τὸ εἶδος, h. e. per eam formam, quae ipsam rei essentiam constituit, adeo est propinquum ultimo identitatis generi, ut vix alia possis exempla afferre, nisi ubi formae identitas maneat in diversitate magnitudinis; et aptissime quidem pro exemplo attulit quam mathematici tamquam vocabulo artis similitudinem appellant. In altero genere *b* 7—9, quamquam iterum τὸ αὐτὸ εἶδος requirit, alio tamen et inferiore quidem sensu accipi τὸ εἶδος apparet ex verbis adiectis *b* 8: ἐν οἷς τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. Inde enim colligimus non id intelligi εἶδος, quod ipsum est οὐσία rei, si quidem οὐσία non recipit τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον, cf. Cat. 3 *b* 33, sed qualitatem aliquam, ποιόν τι sive πάθος: qualitas enim, quum eadem maneat, crescendi tamen et decrescendi est capax. Et in altero quidem genere eiusdem affectionis idem etiam gradus requiritur, in tertio sufficere videtur, si eadem affectio in altero maiorem, minorem in altero habeat gradum. (Distinxi *b* 10 commate post λευκόν, ut appareat quomodo verba coniungenda sint: τὰ δὲ λέγεται ὅμοια, ἐὰν ᾖ τὸ αὐτὸ πάθος καὶ ἐν τῷ εἴδει σφόδρα καὶ ἧττον, οἷον τὸ λευκόν.) Denique ad assignandam rebus similitudinem sufficit, si communia habent plura quam diversa, sive ea communia essentiam spectant, sive ad externam, quae in promptu est, speciem pertinent, ἢ ἁπλῶς ἢ τὰ πρόχειρα *b* 12. In exemplo autem quod affert quum prorsus lateat, qua demum ratione plumbum album auro simile esse iudicetur, verba ἢ χρυσῷ seclusi, praesertim quum Alexandrum ea non habuisse in textu appareat p. 589, 14. Aliam loci emendationem tentaveram Obs. p. 103.

1054*b* 13 ὥστε — 14 λέγεται. Exspectes ex his verbis Ar. utramque et alteritatis (si licet ita Graecorum ἑτερότητα interpretari) et dissimilitudinis notionem explicaturum, sed omissa dissimilitudinis notione, fortasse quia peculiari explicatione non videbatur egere, ab alteritate ad diversitatem sive differentiam, quae cum ea proxime cohaeret, transit *b* 23.

c) 1054*b* 14—22 τὸ ἕτερον sive τὸ ἄλλο. (In explicanda hac disputationis parte Alexander manifesto a veritate recessit, duplici inductus errore, primum quod distingui inter se putavit ab Ar. τὸ ἄλλο et τὸ ἕτερον, quum

ımen vel hoc ipso loco prom
areat, deinde quod *b*7 falsam l
αὶ τὸ πλησιαίτερον, quae et e
er quam sit corruptelam orta
pposit‍um quidem est τῷ ταὐ
.on contradictorie oppositum. (
›osita sunt, veluti ταὐτό et μη
ıent et entia et non-entia (cf.
liscernunt verum et falsum; at
ıent nisi ad entia, *b*19, 22, 25.
τᾶν πρὸς ἅπαν ἢ ταὐτὸ ἢ ἄλλ
;i dixerit: διὸ πᾶν πρὸς ἅπαν
ταὐτὸ ἢ ἄλλο. — Iam tria quid
alteritatis genera, *b*15 τὸ μὲν
τρίτον. Sed si comparaveris, q
teritatis notione explicat, *b*18 —
primi generis locum obtinet, τὸ
versalis alteritatis notio descrip
*b*16, ipse per exemplum adhibitu
tribui rebus, quae notionem es
bent materiam. Tertiam signific
scribit his verbis: ὡς τὰ ἐν τοῖς
oportet exemplum rerum mathe
titatis allatum, *a*35 — *b*3; inde p
hoc sensu, quorum diversa sit n

d) 1054*b* 23 — 1055*a* 2 ἡ δι
stinguitur diversitas, ἡ διαφορά.
ficat rationem, quae inter sing
quaecunque non sunt eadem, π
ὅ τι ἂν ᾖ ὄν, *b*24. Ubi vero d
mus assignare, et certum quidp
sit diversum, τινὸς διάφορον, et
ferat, τινὶ διάφορον. Inde con
τι εἶναι ᾧ διαφέρουσιν *b*26. His
φέρουσιν, non eam ipsam notam
tur altera res a diversa altera re
non eandem in utraque re sed
cérni oportet, ut diversae possint
verbis satis perspicue significetu

δ' ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ τῆς κατηγορίας, ὥστ' ἐν ταὐτῷ γένει καὶ ταὐτὰ τῷ γένει. Quaecunque diversa sunt, ait, ea apparet non meram habere alteritatem, sed etiam identitatem quandam, illam nimirum, quam supra exposui, siquidem vel genere sunt diversa vel specie. Ea autem, quae specie tantum diversa sint, quum dicit esse ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ τῆς κατηγορίας, ὥστ' ἐν ταὐτῷ γένει, non videntur κατηγορίας nomine decem illa suprema genera significari, quibus omnia quae sunt continentur; possunt enim, ut supra monui, intra eiusdem categoriae ambitum reperiri tamen quae genere diversa sint; sed in eadem praedicati serie ea videntur dici, quae, ut Aristotelis verbis utar, ταὐτὸ λέγεται, vel ὅσων ταὐτὸ κατηγορεῖται κατὰ τὴν οὐσίαν. — a 1. 2 τῷ γένει quod scripsi pro vulg. τῷ εἴδει cf. Obs. p. 103.

1055a 2 διώρισται δ' ἐν ἄλλοις κτλ. Cf. Δ 9.

CAP. IV.

Contrarietas est diversitas plena ac perfecta, 1055a 3—33. *Contrarietatis quae sit et ad contradictionem et ad privationem ratio* — b 29.

1055a 3 ἐπεὶ δὲ — 33 μεγίστη. Diversitas quum varios recipiat gradus et possit alterum ab altero magis minusve diversum esse, oportere dicit Ar. esse etiam fastigium quoddam et supremum diversitatis, quod excedi amplius nequeat; et ea quidem summa ac perfecta diversitas, ἡ μεγίστη διαφορά a 5, dicitur contrarietas, cf. Δ 10. 1018a 27. Cat. 6. 6a 17. Meteor. II 6. 363a 30. Waitz Org. 11b 34. Vere autem summae diversitatis nomine eam definiri notionem, quam contrarietatis vocabulo significamus, apparere dicit ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. τὰ μὲν γὰρ γένει διαφέροντα οὐκ ἔχει ὁδὸν εἰς ἄλληλα ἀλλ' ἀπέχει πλέον καὶ ἀσύμβλητα (int. ἐστί) τοῖς δ' εἴδει διαφέρουσιν αἱ γενέσεις ἐκ τῶν ἐναντίων εἰσὶν ὡς ἐσχάτων a 6—9. Quae verba quo spectent et quomodo ad confirmandam definitionem antea propositam pertineant, apparebit conferentibus, quem usum notio contrarietatis apud Ar. habeat. Contrarietas enim praecipue commemoratur ubi de mutatione agitur (cf. Phys. I 5—8 contraria enim quasi extrema sunt puncta eius lineae, in qua

goria, tamen genere diversos Aristoteles sine dubio dixerit. Specie autem quae sunt diversa, idem habere oportet genus; quae quidem generis identitas non ubivis invenitur, ubi idem duabus de rebus praedicatur veluti color albus aliaque eiusmodi, sed ubi quod idem praedicatur ipsam naturam ac substantiam rerum significat, *b* 30: ὃ ἄμφω ταὐτὰ λέγονται κατὰ τὴν οὐσίαν τὰ διάφορα, cf. 8. 1057*b* 38: γένος καλῶ, ὃ ἄμφω ἓν ταὐτὸ λέγεται, μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἔχον διαφοράν, et ad *Z* 3. 1028*b* 34.

Proxima verba *b* 31: τὰ δ' ἐναντία διάφορα, καὶ ἡ ἐναντίωσις διαφορά τις, dubito num ab ipso Ar. scripta sint, nec potius a lectore attento adnotationis loco ad proximum caput adscripta postea in textum irrepserint, et quidem alieno loco. Quum enim postea esse omnino contrarietatem inde commonstret, quod diversitas varios recipiat gradus, ideoque etiam esse quaedam oporteat, quae longissime atque absolute diversa sint, nec aptum nec probabile est antea iam contrarietatem simpliciter subsumi diversitati. Sed utut statuitur de genuina huius enunciati origine, illud certe constat, proxima verba: ὅτι δὲ καλῶς κτλ., ut recte Alexander monuit, non pertinere ad id quod de contrarietate diversitati subsumenda proposuit, sed ad illustrandam ipsius diversitatis notionem. Nimirum ad explicandam contrarietatem iam ideo referri nequeunt, quod in variis illis modis, quos usu cognitos habeamus, enumerantur etiam ea quae sunt τὸ γένος ἕτερα *b* 35; at contraria semper eodem genere contineri, nec genere sed specie differre, et constans est Ar. sententia et in proximis capitibus saepissime monetur. Atque si de diversitate agi conceditur, hoc praeterea apparet, distingui enumeratis omnibus, quos usu cognoverimus (ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς *b* 33), diversitatis modis diversitatem a mera alteritate; quae diversa sunt aliquid habent quo differant, in alteritate non necessario idem locum habet. Sed ipsa verba, uti nunc exhibentur, neque explicare ullo modo ausim, nec prorsus genuina esse persuasum habeo. Ea secutus vestigia antiquioris scripturae, quae in commentario Alexandri supersunt, hunc fere in modum suspicor scribendum esse: πάντα γὰρ τὰ διαφέροντα φαίνεται καὶ ταὐτά, οὐ (vel καὶ οὐ) μόνον ἕτερα ὄντα, ἀλλὰ τὰ μὲν τὸ γένος ἕτερα, τὰ

trarietatis (*τοὺς ἄλλους ὅρους* *a*23) in omnibus cerni contrarietatis generibus, h. e. contrarietatem, licet diversos inter se modos habeat (quos perinde atque h. l. *a*25—31 enumerat *Δ* 10. 1018*a* 25—30) ubivis oportet esse perfectam et maximam diversitatem. Et reliqua quidem huius rei expositio admodum est perspicua; difficultas autem explicandi in primis exsistit verbis *b*25: *τῶν τε γὰρ γένει διαφερόντων οὐκ ἔστιν ἐξωτέρω λαβεῖν καὶ τῶν εἴδει*, propterea quod de iis quae genere differant mentio omnino non est h. l. iniicienda, ubi agitur de contrarietate, ad quam generis requiri identitatem saepe monuimus. Quam difficultatem quum nec negare nec expedire plane possim, haud scio an deminuere certe videar, si particulas *τε* — *καὶ* ita acceperim, ut comparationem potius quam simplicem coniunctionem significent, hunc in modum: sicuti ultra ea, quae genere diversa sunt, omnino cogitari nihil potest quod extra sit positum, ita ad ea, quae specie diversa sunt, nihil licet referri, quod extra idem genus positum sit, siquidem universa huius diversitatis series intra idem genus continetur neque ad ea, quae extra hoc genus sunt, ullam habet rationem. Iam ita circumclusa per generis identitatem diversitatis serie, invenitur in ea maxima quaedam diversitas et eam dicimus contrarietatem.

1055*a* 33 *πρώτη* — *b*29 *ἀνάγεται*. Hucusque contrarietatem Aristoteles ita definivit, ut eam ad diversitatis notionem referret et ab ea suspenderet; iam quae intercedat inter contrarietatem et reliqua oppositionis genera ratio inquirit. Ac primum quidem simpliciter proponit, quod deinde comparatis reliquis opponendi generibus uberius comprobat, *πρώτη δ' ἐναντίωσις ἕξις καὶ στέρησις* *a*33, ubi quidem *πρώτην* eam dicit contrarietatem, quae rebus quibusdam suapte natura inest (cf. ad *Δ* 5. 1015*b* 11), et ex qua (*κατὰ ταῦτα* *a*35) alia demum repetunt ut et ipsa contraria esse dicantur. Haec igitur primaria ac propria contrarietas eandem significat rationem, quae intercedit inter *ἕξιν* et *στέρησιν*, modo privatio perfecta sit, *τελεία*, h. e. modo non nota una vel altera dematur (cf. *K* 4. 1061*a* 22) sed universa notio negetur, retento tamen, quod in privatione retineri oportet (cf. ad *b*8), illo intra quod continetur ge-

ıere. Recte hunc in modum descriptam esse contrarietatis ıotionem, Ar. ita demonstrat, ut enumeratis quatuor oppo- ;itionis generibus (ª38 sqq., cf. ad 3. 1054ª 23, notam esse ıanc oppositionum distinctionem per part. δή significat) :xorsus a contradictione, ut quae et simplicissima sit et la- issime pateat, inde ad privationem ac tum ad contrarietatem ranseat. Et a contradictione quidem eo distinguitur con- rarietas, quod quae contradictorie opposita sunt nihil ad- nittunt inter se medium, cf. *Γ* 7, inter contraria vero est ıliquid medium. Privationis autem nomine non quaelibet si- ;nificatur contradictio, sed angustiores circumscribuntur no- ionis fines (ἀντίφασίς τις ᵇ4, 7, i. e. singulare quoddam :ontradictionis genus), cuius primum varietatem persequi- ur, ᵇ4—7 (ὥσπερ — διήρηται ἐν ἄλλοις, cf. ad *Δ* 22), ac leinde communem indolem his definit verbis ᵇ7: ὥστ᾽ ἔστιν ἡ στέρησις ἀντίφασίς τις ἢ ἀδυναμία διορισθεῖσα ἢ συνει- ιημμένη τῷ δεκτικῷ. Comma, quod in editionibus ante ἢ ἀδυναμία ponitur, delevi, quia et nomina ἀντίφασις ἀδυ- ναμία pariter praedicati loco referenda sunt ad subiectum στέρησις, et pariter participia διορισθεῖσα συνειλημμένη perti- ıent ad utrumque nomen definiendum. Verbum διορισθεῖσα ıutem non ita est accipiendum, ut idem fere sit ac χωρι- σθεῖσα, quae videtur esse Alexandri sententia p. 594, 34, ;ed ea significatione, qua nomen διορισμός saepius usurpa- ;um legimus (cf. *Γ* 3. 1005ᵇ 23. *Θ* 5. 1048ª 2, 20). Priva- ;io, ait, non est simplex ac nuda contradictio, sed contra- lictio ea, quae per naturam substantiae ad eam recipien- lam idoneae (τοῦ δεκτικοῦ) definita ac distincta est vel ;am ipsam simul in se complectitur. Ita enim distinguitur ıpud Ar. privatio a contradictione, ut contradictio ad omnia pertineat et entia et non-entia et ubivis verum ac falsum listinguat, privatio vero intra certum quoddam genus con- ;ineatur, cf. ad 3. 1054ᵇ 20. *Δ* 22. 1022ᵇ 24. Inde quum fiat, ut medium quidpiam intercedere possit inter ἕξιν et στέρησιν, cohaerere apparet contrarietatem, cuius eadem ni- mirum est ratio, cum privatione; quid autem differant con- trarietas et privatio, cognoscitur adhibita mutationis natura. Etenim quaelibet mutatio inter ἕξιν et στέρησιν ita vertitur, ut ab altera transeat ad alteram, contraria autem non quod-

libet denotant mutationis principium nec quemlibet exitum, sed extrema modo intervalli puncta, ἐξ ὧν γὰρ αἱ μεταβολαὶ ἐσχάτων, ἐναντία ταῦτα b 16. Ergo quaelibet contrarietas sub notionem privationis cadit, non quaelibet privatio eadem et contrarietas est, sed unice perfecta privatio.

Hoc discrimen inter privationem et contrarietatem, ut latius illa pateat, haec angustioribus finibus circumscripta sit exemplis illustrat, φανερὸν διὰ τῆς ἐπαγωγῆς, quibus simul quid insit varii et incerti in notione privationis eiusque usu appareat. Veluti, ut omittamus alias privationis varietates, quae et paullo ante et uberius Δ 22 enumeratae sunt, in aliis privationibus est aliquid medium inter opposita, in aliis non item. Veluti malum privationem continet boni, pariter impar refertur ad par; inter illa duo intercedit medium quidpiam, inter haec non item, nimirum quia haec pertinent ad definitam numeri substantiam, quae praeter paritatem et imparitatem tertiam in se recipere qualitatem non potest, b 23, cf. Cat. 10. 12a 6, illa ad indefinitum referuntur subiectum quoniam boni et mali natura ad omnes categorias pertinet cf. Eth. N. I 4. 1096a 19 sqq. Hanc quam modo exposui sententiam ut in ipsis verbis inveniamus, pro particula ἔτι b 25, parum illa apta quod non novum discrimen sed superioris causa affertur, scribendum censui ὅτι, secutus vestigia Alexandri p. 597, 7. Eiusdem Alexandri auctoritate p. 596, 28—32 confirmari videtur scriptura cod. Ab, qui b 18 pro θατέρου exhibet θάτερον, ut στέρησις et θάτερον appositionis loco iuxta posita idem significent, quod paullo infra dicit b 26: θάτερον τῶν ἐναντίων λέγεται κατὰ στέρησιν. — Hanc contrarietatis naturam si vel de una contrarietate unitatis et multitudinis probaverimus, quoniam ad eam reliquae referuntur, b 28, cf. Γ 2. 1004b 33, simul de qualibet contrarietate videbimur demonstravisse. Ita ad quaestionem de unitate et multitudine et coniunctas cum ea quaestiones revertitur.

CAP. V.

Quomodo par magno simul et parvo oppositum sit quaeritur.

Inter unum et multa, itemque inter par et magnum ac

parvum intercedere aliquam oppositionem, Aristoteles inde concludit, quod in dilemmate sive in interrogatione disiunctiva ponuntur, id autem fieri non potest nisi iis in rebus, quae simul adesse simulve de eadem re praedicari nequeunt, hoc est in oppositis, cf. *Γ* 3. 1005*b* 19 sqq. 6. 1011*b* 15 sqq. Quodsi interdum disiunctiva quaestione utimur iis in rebus, quas ad nullum oppositionis genus referri posse apparet, veluti quum quaerimus, utrum Socrates venerit an Cleo, id non per ipsius rei naturam et necessitatem (*b*36: *οὐκ ἀνάγκη ἐν οὐθενὶ γένει τοῦτο*, int. *τὸ θάτερον μόνον ὑπάρχειν*), sed per hypothesin quandam (*ἐξ ὑποθέσεως* *b*34) aliunde accedentem (*ἐκεῖθεν* *b*37) efficitur. Nimirum ubi positum est, non posse alium venisse praeter Socratem et Cleonem nec posse simul eos venisse, tum vero recte possumus disiunctive quaerere, utrum Socrates an Cleo; ita enim in dilemmate ponuntur, ut par est, quae simul esse non possunt sed sese invicem excludunt. 1056*a* 1: *εἰ γὰρ ἅμα ἐνεδέχετο* (int. *ἐλθεῖν Σωκράτη καὶ Κλέωνα*), *γελοῖον τὸ ἐρώτημα* (int. *τὸ πότερον Σωκράτης ἐλήλυθεν ἢ Κλέων*). *εἰ δέ* (int. *καὶ ἅμα ἐνδεχομένων ἐλθεῖν ἐρωτᾷ τις τὸ πότερος ἦλθεν*, ut apte Alexander explicat), *καὶ οὕτως ὁμοίως ἐμπίπτει εἰς ἀντίθεσιν* (h. e. etiam tum, si omnino apte interrogatum esse putatur, pariter in aliquam notam et concessam oppositionem incidit, nimirum), *εἰς τὸ ἓν ἢ πολλὰ κτλ.* Secutus eam, quam significavi, interpretationem Alexandri comma ante *καὶ ὁμοίως* posui, unde manifesto aptior exsistit sententiarum contextus, quam si cum editoribus omnibus post *καὶ οὕτως* distinxeris.

Ergo quum disiunctiva quaestio ubique vel versetur inter opposita vel certe ad oppositionem per hypothesin positam referenda sit, par autem cum magno simul ac parvo ponatur in eiusmodi dilemmate, oppositionem inter par et duo reliqua, magnum ac parvum, intercedere apparet, quae qualis sit quaerendum est. Et contrarietas quidem esse non potest; contrarietas enim non est nisi unius ad unum (*b*30, cf. ad 4. 1055*a* 19), par autem magno et parvo nunquam singulis, sed semper coniunctis in dilemmate opponitur, *a*3—7. Quodsi quis magnum et parvum uno imparis nomine complectatur, id valebit quidem aliquid ad excusandam vel con-

firmandam sententiam eorum, Platonicorum nimirum, qui impar dualitatem esse dicunt, (a 10: *καὶ ἡ ἀπορία βοηθεῖ τοῖς φάσκουσι τὸ ἄνισον δυάδα εἶναι*), neque vero inde confici potest ut par contrarium sit magni et parvi; nam licet uno nomine appellentur magnum et parvum, re tamen ipsa duo sunt, et par duobus esset contrarium, quod fieri nequit, a 8—11[1]). Accedit quod par medium intercedit inter magnum et parvum; contraria vero habent quidem quod inter ipsa medium sit, nunquam autem ipsa media sunt inter alia, a 12—15.

Itaque quum non tamquam contrarium par oppositum sit magno et parvo, relinquitur ut vel per contradictionem vel per privationem utrique simul oppositum esse iudicetur, a 15: quartum genus oppositionis, relationem, omnino non respicit Aristoteles, quoniam tamquam *πρός τι* par pari oppositum esse constat; utrique autem, non alteri utri opponi per eandem oppositionem debet, quia semper illa tria in unum dilemma coniunguntur. Est igitur par utriusque simul, et parvi et magni, contradictio, *ἀμφοῖν ἅμα ἀπόφασις*, a 17 (vel, quo deinde, a 35, apte utitur nomine, *συναπόφασις*, est enim par neque magnum neque parvum), sed non contradictio mera et simplex, quae ad omnia pertineat, verum *ἀπόφασις στερητική*, h. e. continetur intra illud genus rerum, quod recipiendae vel magnitudini vel exilitati idoneum est. Quae enim magnitudinis et exilitatis, i. e. quantitatis notionem excludunt, ea simplicem quidem magni et parvi negationem admittunt dicique possunt nec magna esse nec parva, paritatis autem notionem non admittunt. Specificam hanc negationis notam, ut ad genus quantitativum unice referatur, deinde his etiam verbis significat a 20: οὐ

1) Secutus sum in his verbis explicandis interpretationem Alexandri p. 598, 24 sqq., quoniam meliorem non potui invenire. *εἰ δὲ τὸ ἄνισον σημαίνει τὸ αὐτὸ ἅμα ἀμφοῖν* (i. e. *σημαίνει τὸ κοινὸν ἀμφοτέρων, τοῦ τε μείζονος καὶ τοῦ ἐλάττονος*, vel ut ait Alex.: *εἰ δὲ τὸ ἄνισον ἀμφότερα δηλοῖ*), *εἴη μὲν ἂν* (int. *τὸ ἴσον, εἴπερ ἀντίκειται τῷ ἀνίσῳ*) *ἀντικείμενον ἀμφοῖν, καὶ ἡ ἀπορία βοηθεῖ τοῖς φάσκουσι τὸ ἄνισον δυάδα εἶναι· ἀλλὰ συμβαίνει ἓν* (int. *τὸ ἴσον*) *δυοῖν* (int. *τῷ ἀνίσῳ, ὅπερ δυοῖν δηλωτικόν ἐστιν*) *ἐναντίον εἶναι, ὅπερ ἀδύνατον*. Sed haec explicatio, quamquam aptam efficit sententiam, adeo tamen est perplexa, ut vel faciliorem quaerendam esse vel depravatum esse textum suspicer.

στέρησις δὲ ἐξ ἀνάγκης, h. e. paritas non ea est negatio magni et parvi (nam *στερήσεως* nomen h. l. aperte latiore illo sensu usurpatum est, de quo cf. ad *Δ* 22. 1022*b* 22, ut idem fere sit atque *ἀπόφασις*, cf. Alex. ad h. l.), quae necessario cuivis contingat rei quae neque magna sit neque parva, *οὐ γὰρ πᾶν ἴσον ὃ μὴ μεῖζον ἢ ἔλαττον, ἀλλ' ἐν οἷς πέφυκεν ἐκεῖνα*, *a* 20, i. e. *ἐν τοῖς δεκτικοῖς* (cf. ad 1022*b* 24) sive *ἐν τοῖς ποσοῖς*.

Eiusmodi *συναποφάσεις στερητικαὶ τῶν ἀντικειμένων*, quae inter utrumque contrarium mediae intercedunt, etiam inter alia inveniuntur contraria, veluti inter album et nigrum colorem medii sunt colores qui neque sunt albi neque nigri, inter bonum et malum id quod nec bonum est nec malum; differt autem ab his paritatis notio, quod par unum est inter magnum et parvum, colores plures, definiti illi quidem numero, inter album et nigrum, denique quod medium intercedit inter bonum et malum, id perinde atque ipsum bonum et malum in omnibus cernitur categoriis, cf. ad 4. 1055*b* 25. Distinguenda autem probe haec est *συναπόφασις*, quae media est inter duo opposita, a simplice *συναποφάσει*, i. e. a coniuncta duarum quarumlibet rerum negatione; veluti si cui dicere libuerit *τὸ μήτε ὑπόδημα μήτε χείρ*, haec quidem *συναπόφασις* non est media inter calceum et manum. Etenim intermedium non invenitur, nisi ubi ab altero, quod negatur, ad alterum mutationis est, quasi lineae, continuitas, itaque in iis unice rebus, quae eiusdem sunt generis et contrariae inter se extremos mutationis fines constituunt. — Hoc extremis dicit capitis verbis *a* 34: *οὐκ ἀνάγκη δὲ κτλ.*, quae hunc in modum videntur explicanda esse: *οὐκ ἀνάγκη δὲ τοῦτο συμβαίνειν* (int. *οὐκ ἀνάγκη τὸ συναποφασκόμενον δυοῖν μεταξὺ εἶναι ἀμφοτέρων*). *ἡ μὲν γὰρ συναπόφασις* (nimirum *ἡ συναπόφασις τοῦ μήτε μεγάλου μήτε μικροῦ καὶ τοῦ μήτε ἀγαθοῦ μήτε κακοῦ καὶ ὅσα τοιαῦτα*) *ἐστὶ συναπόφασις ἀντικειμένων, ὧν ἔστι μεταξύ τι καὶ διάστημά τι πέφυκεν εἶναι· τῶν δ'* (int. *οἷον τοῦ ὑποδήματος καὶ τῆς χειρός*) *οὐκ ἔστι διαφορά* (cf. 3. 1054*b* 23, igitur nec *μεταξύ τι* nec *διάστημα*)*· ἐν ἄλλῳ γὰρ γένει* (int. *ἐστὶν οἷον τὸ ὑπόδημα καὶ ἡ χείρ*) *ὧν αἱ συναποφάσεις, ὥστ' οὐχ ἓν τὸ ὑποκείμενον* (cf. *ἀσύμβλητα*, 4. 1055*a* 7).

Haec si probabilis est interpretatio, non est cur vel cum Alex. p. 601, 12 *οὐκ εἰσίν*, vel cum Schw. *ἢ* post *γένη* *ἢ* addamus.

CAP. VI.

Unum et multa quomodo sibi sint opposita.

Quaestionem de uno et multis, quam tetigit in principio superioris capitis, iam pertractandam sibi sumit, et primum quidem dialectice disputans de ea ratione, quae est inter unum et multa, dubitationes movet, 1056*b* 4—16, deinde exposita vera rei ratione ac natura easdem dirimit — *b*12 et ad quae oppositionum genera haec referenda sint explicat — 1057*a* 17.

1056*b* 4 *εἰ γὰρ* — 16 *οὔ*. — *εἰ τὰ πολλὰ τῷ ἑνὶ ἁπλῶς ἀντίκειται*, ait, h. e. si unus tantum et simplex est eius oppositionis modus, quae intercedit inter unum et multa, concedere quaedam cogimur, quae manifesto sunt absurda. Multa enim quoniam et uni et paucis sunt opposita, si simplex ea est oppositio, consequitur ut idem sit unum et pauca, *b*4—6. Ad eandem consequentiam deferimur, si non universe multa, sed dualitatem contemplamur. Quae enim duo sunt, eadem sunt multa (quidquid enim duplex est, idem est multiplex: repetitur autem duplex a dualitate sicuti multiplex repetitur a multis); atqui duo non possunt iudicari multa esse, nisi relata ad unum; ergo unum est pauca, *b*6—10. — Denique sicuti in longitudine longum ac breve sibi opponuntur, ita in multitudine multa et pauca; iam vero quidquid vel longum est vel breve sub universalem cadit longitudinis sive linearis extensionis notionem, ac perinde quidquid vel multum est vel paucum universali continebitur multitudinis notione; ergo unum, siquidem paucum est, idem etiam multitudo erit, *b*10—16. Huic extremae argumentationi aliam simul inserit dubitationem et eam deinde solvit. Dicit enim *b*11: *καὶ ὃ ἂν ᾖ πολὺ καὶ πολλά, καὶ τὰ πολλὰ πολύ*. Ipse vulgaris usus dicendi repugnat, quominus sine discrimine singularem et pluralem numerum, multum et multa, usurpari putemus; quod quidem discrimen in vulgari usu conspicuum quale sit Aristoteles significat his verbis *b*12: *εἰ κα*

ἄρα διαφέρει ἐν συνεχεῖ εὐορίστῳ et deinde b16: οἷον ωρ πολύ, πολλὰ δ' οὔ. Nimirum quaecunque multa sunt, dem etiam coniunctim multum possunt nominari; sed pot- t aliquid multum dici, nec tamen idem multa, quia unum t et continuum, neque in partes discretum (cf. Δ 26. 1024a 8: ἐντα δὲ λέγεται, ἐφ' οἷς τὸ πᾶν ὡς ἐφ' ἑνί, ἐπὶ τούτοις ἐντα ὡς ἐπὶ διῃρημένοις· πᾶς οὗτος ὁ ἀριθμός, πᾶσαι αὗ- ει αἱ μονάδες). Eius continuitatis, non discretae in cer- s ac definitas partes, exemplum affert aquam et omnino ὸ συνεχὲς εὐόριστον, b12, vel, ut exhibet Alexander, τὸ συν- ἐς ἀόριστον. Possunt sane utroque modo significari ma- eriae fluidae, utpote quae non definitae suis ipsae finibus lienis finibus facile definiantur; sed quum in eo sibi con- tet Ar., ut τὰ ὑγρὰ εὐόριστα esse dicat, τὰ ξηρὰ δυσόρι- τα, cf. Meteor. IV 4. 381b 29. 1. 378b 23. I 4. 360a 24. de en. et corr. I 10. 328b 17, praeferenda profecto lect. vulg. ὐορίστῳ.

b7 κατὰ τά quod scripsi pro vulg. καὶ τά, secutus prae- er codd. *ET* Alex. et Bess. auctoritatem, per ipsam senten- iae rationem necessarium videbitur. Eadem et Alexandri auctoritate, cf. p. 602, 18, et sententiae necessitate defendi arbitror, quod b15 articulum ante πολύ omisi, nisi quis prae- tulerit e codd. *ET* scribere: ὡς καὶ τὸ πολύ, quod et ipsum ferri potest. Praeterea autem haud scio an neglecta Ale- xandri auctoritate, qui cum vulg. lect. consentit, pro ἔτι ὡς b10 scribendum sit: ἔτι εἰ ὡς e cod. *E*, qui per hunc librum interdum meliora praebet, et cod. *T*. Nam licet ne- cessariam non dixerim hanc scripturam, multo certe aptius universa enunciatio conformata videbitur, si hunc in mo- dum et scripseris et verba distinxeris: ἔτι εἰ ὡς ἐν μήκει τὸ μακρὸν καὶ βραχύ, οὕτως ἐν πλήθει τὸ πολὺ καὶ ὀλί- γον, καὶ ὃ ἂν ᾖ πολὺ καὶ πολλά, καὶ τὰ πολλὰ πολύ (εἰ μή τι ἄρα διαφέρει ἐν συνεχεῖ εὐορίστῳ), τὸ ὀλίγον πλῆ- θός τι ἔσται. Apodosis ordienda erit a verbis τὸ ὀλίγον. Eandem lectionem Schweglero probari video.

1056b 16 ἀλλ' ὅσα — 32 δύο. Soluta ea dubitatione, quam de identitate numeri singularis et pluralis *multum* et *multa* iniecerat, transit ad dirimendam ipsam quae potissi- mum agitur quaestionem de uno et multis. Quibus quae in-

tercedat invicem ratio exponit facta distinctione; *multa* enim quum dicimus vel excessum quendam significamus numeri unius comparati cum altero, vel omnino numerum; illa vi ac potestate si hanc notionem usurpamus, opposita sunt *pauca*, hac si eandem accipimus (*b*19 *τὸ δὲ ὡς ἀριθμός*, i. e. *τὸ δὲ ὡς ἀριθμὸς λεγόμενον πολύ*), opposita est *unitas* ut mensura; atque ipse binarius numerus, *b*25, licet suapte natura minimus sit, tamen, quum sit numerus, multitudinis notionem recipit. Ita enim opponimus inter se unitatem et multitudinem, ac si dicamus unum et una, album et alba, vel omnino *τὰ μεμετρημένα πρὸς τὸ μέτρον καὶ τὸ μετρητόν*. Non possunt in eandem sententiam inter se coniungi *τὸ μέτρον καὶ τὸ μετρητόν*, ut autumat Alex. p. 603, 2: *τὸ δὲ μέτρον καὶ τὸ μετρητὸν ἐκ παραλλήλου κεῖται*, siquidem hac ipsa disputatione tamquam opposita inter se significantur; quare nisi gravius quid a librariis commissum putabimus, transpositis verbis locus erit sanandus: *τὰ μεμετρημένα καὶ τὸ μετρητὸν πρὸς τὸ μέτρον*.

Duplicem difficultatem intactam lectoribus relinquo, quia quum multa tentaverim non habeo quod pro certo afferam. Primum qui possit Aristoteles putare esse aliquid *ἁπλῶς πολύ*, quum multitudinis notio relationem quandam necessario in se contineat, non assequor, cf. ad *Δ* 13. 1020*a* 24; nec magis ea intelligo, quae Anaxagorae obiicit *b*28—32. — De v. *ἀπέστη* *b*28 cf. Phys. I 8. 191*b* 10.

1056*b* 32 *ἀντίκειται* — 1057*a* 17 *μέτρον*. Exposita vera natura eius oppositionis, quae intercedat inter unum et multa, Ar. monet, ad quod genus relationis haec oppositio referenda sit, et affinia quaedam adiungit. — Opponuntur igitur, ait (particula enim *δή* hoc demonstratum et concessum esse notat, cf. ad 4. 1055*a* 38), unum et multa ut mensura et mensuratum, haec autem in eo sunt relativarum rerum genere, quae non in sua ipsarum natura relationem habent, sed aliunde adsciscunt, *b*34, de quo discrimine cf. ad *Δ* 15. 1021*a* 26, quem ad locum ipse Aristoteles lectores delegat. Ea autem relativa, quorum ipsa natura et notio substantialis in eo cernitur, quod ad aliud quid referuntur, h. l. (cf. 7. 1057*a* 37) parum accurate *ἐναντία* appellavit (cf. Trend. Kat. p. 124); etenim hanc debere esse senten-

tiam vocabuli *ἐναντία*, siquidem hoc ipsum ab Aristotele est scriptum neque inveteratae librariorum incuriae debetur, apparet ex oppositis verbis: *τὰ δ' ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητόν, τῷ λέγεσθαί τι ἄλλο πρὸς αὐτό*, *b* 36. Ad hoc genus relationis et significandum et illustrandum sicuti plerumque praeter mensuram et mensuratum affertur scientia et scibile, ita etiam h. l. additur; et quum vulgo scientia mensura esse iudicetur, scibile mensuratum, qui insit huic opinioni error hic perinde ac I. 1053*a* 32 exponitur. Neque enim scibile suspensum est e scientia nec mensuratur per scientiam, sed scientia per scibile; quare si comparaveris scientiam et scibile cum mensura et mensurato, scibile mensura vel unitas est, scientia mensuratum vel numerus; ac sicuti numerus quilibet unum quodammodo est neque vero unum quodlibet numerus, ita scientia ipsum est scibile (est enim scientia species rei animo concepta sine materia, cf. de an. II 7, 8), non scibile quodvis scientia est, *a* 7—12. — Ad v. *ἀποδίδωσιν* *a* 8 cf. *Θ* 6. 1048*b* 16.

Multitudo generalis est notio (*οἷον γένος* *a* 3), cui subiicitur notio numeri tamquam distinctae ac definitae multitudinis. Multitudo non per se, ut vox ambigua, contraria est paucitati, sed multitudo excedens et superans contraria paucitati est dicenda; neque unitati omnino contraria est multitudo, sed quodammodo sane contraria est ut divisibilis natura individuae, quodammodo vero per relationem eandem unitati opponitur, quae est inter mensuratum ac mensuram. — Extrema verba, *a* 14—17, neque ab Aristotele satis plane sunt scripta et in editionibus falsa distinctione obscurata. Etenim ad *τὸ μέν* addendum est e superioribus *ἐναντίον ἐστίν*, ad *τὸ δ'* autem verbum latius patens *ἀντίκειται*. Et ultima verba, deleto post *ἀριθμός* colo, sic videntur distinguenda esse et scribenda: *τὸ δ' ὡς πρός τι, ὥσπερ ἐπιστήμη ἐπιστητῷ, ἐὰν ᾖ* (sc. *ἡ ἐπιστήμη*) *ἀριθμός, τὸ δ'* (sc. *ἐπιστητόν*) *ἓν καὶ μέτρον*. Comparatur pariter atque in superiore disputatione scientia rei mensuratae, scibile unitati et mensurae. Particulam autem *καί*, necessariam ut apta exsistat enunciati conformatio, non ex ingenio addidi, sed ex auctoritate Alex. p. 605, 14.

CAP. VII.

***Media quae dicuntur* (τὰ μεταξύ) *ex eodem et inter et cum contrariis sunt genere*, 1057a 18—30, *et interposita sunt inter contraria* — b1, *et composita ex ipsis his contrariis* — b34.**

1057a 19 πάντα — 30 εἶναι. Quod primum contendit media semper in eodem esse genere atque ea, quorum sunt media (cf. 5. 1056a 24—b2), ex notione et medii et mutationis demonstrat. Media enim ea dicimus, per quae transire oportet continuam mutationem, antequam ad extremos suos ipsius pervenerit fines (cf. Phys. V 3. 226b 23. Waitz Org. 12a 2); atqui omnis mutatio in eodem versatur rerum genere nec patet ad aliud genus transitus; ergo media in eodem et inter se et cum duobus contrariis sunt genere. — Propositionem maiorem huius syllogismi exemplis satis perspicuis illustrat; minorem propositionem commemorata quadam legis exceptione contra adversarios communit. Non potest, inquit, mutatio esse ex altero genere in alterum ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός, οἷον ἐκ χρώματος εἰς σχῆμα a27, h. e. potest sane album quidpiam mutari in globum vel cubum, sed non quatenus est album transmutatur in hanc figuram (quatenus enim album fuit, vel eundem colorem retinet, vel alium induit), sed quatenus alia erat figura praeditum.

1057a 30 ἀλλὰ μὴν — b1 μικροῦ. Contraria autem ea oportere esse, inter quae media quaedam intercedant, demonstrat explicita uberius mutationis natura et notione. Nimirum quia mutatio inter opposita versatur semper, quorum ex altero transitur in alterum, media autem non possunt omninò esse, nisi in mutatione continua, cf. a21 sqq., inter quae opposita versatur mutatio, inter eadem intercedere τὰ μεταξύ oportet. Oppositionis autem quatuor quum sint genera, in quo ex his generibus versetur mutatio quaeritur. Ac primum quidem quae per contradictionem opposita sunt, prorsus excludenda sunt ex hac quaestione, siquidem per suam naturam medii nihil admittunt; nec relatio proprie esse potest ea oppositio, in qua mutatio fiat, quia relativa si non omnia, at nonnullae certe eorum species ex diversis inter

sunt generibus. Reliqua igitur privatio et contrarietas. rum autem ad utram pertineat mutatio, non exponit dite nec demonstrat, quamquam proximis verbis *b* 3, ubi summ disputationis colligit, pro demonstrato et concesso po-, media quae sunt ea intercedere inter contraria, τὰ μεξὺ — μεταξὺ ἐναντίων. Quod ne nimium miremur, reniscendum est quod supra exposuit, contrarietatem esse rfectam ac plenam privationem, cf. 4. 1055*a* 33 sqq. Ad iversam hanc ratiocinationem cf. Phys. V 3. 227*a* 7: ἐπεὶ πᾶσα μεταβολὴ ἐν τοῖς ἀντικειμένοις, τὰ δ' ἀντικείμενα ι τε ἐναντία καὶ τὰ κατ' ἀντίφασιν, ἀντιφάσεως δ' οὐδὲν νὰ μέσον, φανερὸν ὅτι ἐν τοῖς ἐναντίοις ἔσται τὸ μεταξύ. - *a* 31 καθ' αὑτὰ ἔστι μεταβάλλειν, i. e. dici quidem potst mutatio quaedam versari inter album et fuscum, at summo imen iure tamquam extremi mutationis fines ponuntur album et nigrum. — *a* 32 μὴ ἐξ ἀντικειμένων, i. e. ἐκ μὴ ἀντικειμένων, cf. Phys. I 5. 188*b* 1 et ad *Δ* 9. 990*b* 11. — *a* 34 ἀντιφάσεως οὐκ ἔστι μεταξύ, cf. *Γ* 7. 1011*b* 23 sqq. An. post. . 2. 72*a* 12. Phys. l. l.

1057*b* 2 εἰ δ' ἐστὶν — 34 δῆλον. Iam id ipsum, quod ab initio proposuerat *a* 19: ἀνάγκη ἐκ τῶν ἐναντίων εἶναι τὰ μεταξύ, demonstrare suscipit hunc fere in modum. Contraria aut subiecta sunt certo cuidam generi, aut non sunt subiecta (cf. Cat. 11. 14*a* 19: ἀνάγκη πάντα τὰ ἐναντία ἢ ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι ἢ ἐν τοῖς ἐναντίοις γένεσιν ἢ αὐτὰ γένη εἶναι, ubi quae extremo loco significat eadem sunt, quorum h. l. dicit οὐθὲν εἶναι γένος). Ponamus ea generi alicui subiecta esse: inde consequitur, ut tamquam species eius generis definiantur per genus et differentiam specificam. Has igitur differentias specificas, quibus illa ut sint contraria efficitur et ipsas contrarias esse oportet, et potiore quidem sensu contrarias, quoniam alia ut sint contraria efficiunt (cf. *α* 1. 993*b* 24); veluti album et nigrum inter se contraria sunt, sed his potius contraria dicenda sunt τὸ διακριτικόν et τὸ συγκριτικόν, quibus differentiis distinguuntur albus et niger color, *b* 4—12. Iam omnia, quae eodem genere continentur, veluti colores omnes, distingui oportet differentiis quibusdam; ac si omnes colores extremis illis differentiis distinguerentur, τῷ διακριτικῷ dico et

τῷ συγκριτικῷ, omnes essent inter se contrarii, neque alius esset omnino color, nisi aut albus aut niger, b16; quoniam autem sunt quidam medii inter illos colores, etiam differentias esse oportet, quae inter contrarias, τὸ διακρ. et τὸ συγκρ., mediae intercedant. Hae igitur differentiae, quae non sunt in ipso colorum genere sed hoc genus definiunt, unde sint repetendae quaerendum est, b12—20. Contraria non possunt alterum ex altero componi, ideoque ea principia sunt mutationis, b22; media autem quae sunt, ea pariter aut omnia composita esse oportet ex contrariis aut nullum, b23. Atqui fiunt quaedam ex contrariis ita, ut ad haec ab altero e contrariis prius transeatur, quam devenitur ad alterum. Haec et composita sunt e contrariis, et quoniam qualitatem habent quae alteram e contrariis superat alteram nondum assequitur (ἑκατέρου — καὶ ἧττον ἔσται καὶ μᾶλλον b25), media intercedunt inter contraria. Ergo quum quaedam media e contrariis componi appareat, quia eadem est mediorum omnium ratio, b23, omnia media oportet e contrariis esse, b26, neque ad alia ultro possunt referri, quia non sunt priora ὁμογενῆ quam contraria, e quibus potius repetantur, b27—30. His si demonstratum est, differentias eas, quae mediae veluti inter τὸ διακριτικόν et τὸ συγκριτικόν intercedunt, ex extremis et contrariis compositas esse, consequens est, ut etiam quae per has differentias definiuntur species (τὰ κάτω πάντα b31), veluti colores inter album et nigrum medii, e contrariis sint compositae. — Omnis argumentandi vis inest in eadem mutationis continuae notione (b23: ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων γίγνεταί τι, ὥστ' ἔσται μεταβολὴ εἰς τοῦτο πρὶν ἢ εἰς αὐτά), ex qua omnino naturam τῶν μεταξύ explicuit (cf. ad a21), ut non intelligam, cur hanc demonstrationis partem a reliquis seiunxerit.

b4 εἰ μὲν γένος ἔσται. Alterum dilemmatis membrum: εἰ δὲ μὴ ἔσται γένος, non explicuit; neque illud desideratur, quoniam per totam argumentationem natura eorum contrariorum, quorum est genus, refertur ad ea contraria, utpote priora, quorum non est genus. — b6 τὰ ἐναντία εἴδη ὡς γένους. Non debebat Bekk. ἐναντία ab εἴδη commate distinguere, siquidem ea coniuncta referri oportet ad αἱ διαφοραὶ αἱ ποιή-

σασαι. Et quoniam ex genere addita differentiarum definitione conficiuntur species, intelligitur qui fiat ut saepe ad v. *εἴδη* Ar. addat *γένους* vel *ὡς γένους*, quo quidem additamento interdum ita videtur usus esse, ut *εἴδη* hoc sensu distinguat ab ideis Platonicis, cf. *Α* 9. 991*a* 31 et quos locos collegi Obs. p. 79. — *b* 16 *εἰ δὲ μή*, i. e. *εἰ δὲ ἦσαν τῶν χρωμάτων αἱ διαφοραὶ τὰ πρῶτα ἐναντία, τὸ διακριτικὸν καὶ τὸ συγκριτικόν*. — *b* 31 *τὰ κάτω*, cf. ad *Α* 9. 992*a* 17.

CAP. VIII.

***Quid sit* ἕτερον τῷ εἴδει, 1057*b* 35—1058*a* 8, *hanc* ἑτερότητα *esse contrarietatem* — *a* 16. *Distinguitur amplius quae vel* ἕτερα τῷ εἴδει *vel* ταὐτὰ τῷ εἴδει *sint*, *quae non sint* — *a* 28.**

1057*b* 35 *τὸ δ'* — 1058*a* 8 *αὐτό*. Quam cap. 3 posuit *τοῦ διαφόρου* notionem, cf. 1054*b* 24: *τὸ δὲ διάφορον τινὸς τινὶ διάφορον*, eadem iam quid sit *ἕτερον τῷ εἴδει* definit: *τὸ ἕτερον τῷ εἴδει τινὸς τὶ ἕτερόν ἐστι*, praeterquam quod illo loco per dativum, h. l. per accusativum id significat, quod commune est illis rebus inter se differentibus, cf. ad l. l. Hoc autem, quod commune habent *τὰ τῷ εἴδει ἕτερα*, idem est genus. Quod ut accuratius definiat dicit *a* 38: *τὸ γὰρ τοιοῦτον γένος καλῶ, ὃ* (ita scribendum putavi cum codd. *ET* pro vulg. *ᾧ* coll. 3. 1054*b* 30) *ἄμφω ἓν ταὐτὸ λέγεται, μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἔχον διαφοράν*. Nimirum si recte a genere ad species descenditur, ut genus dividatur *τῇ οἰκείᾳ διαιρέσει*, *Z* 12, sive *τοῖς οἰκείοις πάθεσι* *I* 9. 1058*a* 37, eae differentiae, quibus species inter se distinguuntur, non habendae sunt pro accidentibus, sed ipsam per se qualitatem generis definiunt (cf. Top. IV 6. 128*a* 26: *ἡ μὲν διαφορὰ ποιότητα τοῦ γένους ἀεὶ σημαίνει*), sive genus materiam esse dixeris, quae formam suam a differentiis accipiat (*εἴθ' ὡς ὕλη* *a* 1, cf. ad *Δ* 28. 1024*b* 8) sive alium in modum conceperis generis notionem. Quoniam igitur differentiae non per accidens inhaerent generi, sed ipsam generis naturam distinguunt ac dirimunt (*διαφορὰ τοῦ γένους* *a* 7), inde consequens est, ut quod commune est genus rebus specie differentibus, id ipsum diver-

sum sit in diversis speciebus; *διὸ τοῦτο τὸ κοινὸν* (int. *γένος*) *ἕτερον ἀλλήλων ἐστὶ τῷ εἴδει* a 4. (Nimirum commune quum dicitur esse genus, universalis eius notio cogitatur; diversum quum esse contenditur in diversis speciebus, generis notio iam coniungitur cum differentiis specificis.) *ἔσται δὴ καθ' αὑτὰ τὸ μὲν τοιονδὶ ζῷον — οἷον ἵππος* a 5, i. e. quoniam genus *μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἔχει διαφοράν* a 1, propterea singulis generis cuiusdam speciebus ut eae sint quae sunt non per accidens inhaeret, sed in ipsa natura, *καθ' αὑτά*, inest.

1058a 8 *ἐναντίωσις* — 16 *ἐστίν*. Hanc *ἑτερότητα τῷ εἴδει* redigere studet ad contrarietatem, *ἐναντίωσιν* sive *ἐναντιότητα*, sed qua id ratione faciat, non videtur satis perspicue exposuisse. Primum enim ita scribit a 8: *ἐναντίωσις τοίνυν ἐστὶν αὕτη*, quasi ex superioribus hoc colligatur et accedat tantummodo (*δῆλον δὲ καί* a 9) ex inductione confirmatio; at quomodo ex superiore disputatione hoc concludi possit, equidem non perspicio. Ac deinde in ea argumentatione, quam ex inductione se dicit repetere, unum sane affert, quod ad confirmandam propositionem pertineat, a 9: *πάντα γὰρ διαιρεῖται τοῖς ἀντικειμένοις*, cf. *Z* 12. 1037b 20: *αἱ γὰρ διαφοραὶ ἐναντίαι αἷς διαφέρει τὸ γένος*. Top. VI 4. 142b 9: *τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα*. V 6. 136b 3. Cat. 13. 14b 33. Etenim si vere contendit, contraria esse quibus genus distinguatur in species, necesse sane est, *τὴν ἑτερότητα τῷ εἴδει*, quoniam est *διαφορὰ τοῦ γένους*, redigi ad *ἐναντίωσιν*, sed ipsum illud exemplum generis in species divisi, quod affert Cat. l. l., demonstrare potest, differentias generis, quoniam plures quam duae esse possunt in eadem distinctione, non esse necessario contrarias. — Quae autem praeterea addit, a 10 *καὶ ὅτι τἀναντία* — 15 *οὐ γίγνεται*, ea nec per se apte et iusto ordine videntur disputata esse, neque vero ad confirmandam propositionem quidquam conferre. Quod enim contraria in eodem genere esse et *τὴν ἐναντιότητα διαφορὰν τελείαν* esse dicit, ex eo non potest colligi, quae in eodem genere distinguantur differentiae, eas esse contrarias, vel *τὴν διαφορὰν τοῦ γένους* esse *ἐναντιότητα*. — a 11 *δέδεικται*, cf. cap. 4. — a 11 *ἦν*,

cf. 4. 1055*a* 16. — *a* 13 *ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ τῆς κατηγορίας*, cf. ad 3. 1054*b* 35.

1058*a* 17 *τοῦτο ἄρα* — 28 *μόνοις*. Complexus iterum notionem *τῶν ἑτέρων τῷ εἴδει*, qualem antea exposuit, hoc addit ut ea dicat *ἄτομα ὄντα* *a* 18, quod non esse accipiendum (quae est Waitzii sententia Org. I. p. 277) de rebus singulis et concretis, cf. *B* 3. 999*a* 12, sed de speciebus, quarum ea est natura, ut in species non possint amplius dividi, apparere arbitror coll. 9. 1058*b* 9. *Z* 8. 1034*a* 8: *ἄτομον γὰρ τὸ εἶδος*. *K* 1. 1059*b* 35: *τὰ δ' ἔσχατα τῶν ἐκ τοῦ γένους ἁπλούστερα τῶν γενῶν· ἄτομα γάρ, τὰ γένη δ' εἰς εἴδη πλείω καὶ διαφέροντα διαιρεῖται*. Quae igitur differant specie, ea oportet et ipsa esse species. — Eandem individuae naturae notam, *ἄτομα ὄντα* *a* 19, addit ubi deinde definit quae sint *ταὐτὰ τῷ εἴδει*. Quod autem ea dicit *μὴ ἔχειν ἐναντίωσιν*, proximis verbis ne quis falso accipiat cavet: *ἐν γὰρ τῇ* — 21 *ἐλθεῖν*, i. e. si quis descendit a summo genere per differentias specificas ad extremas species, eum transire quidem oportet per contrarias inter se differentias, cf. ad *a* 10, attamen in eadem extrema et individua specie nulla per se inest contrarietas.

Ex his notionibus apparere dicit (*ὥστε φανερόν* *a* 21), si quis species generis alicuius (*τῶν ὡς γένους εἰδῶν προσηκόντων* *a* 22, i. e. *τῶν προσηκόντων τῷ γένει ὡς γένους εἰδῶν*) cum ipso earum genere comparaverit, iis nec *ταυτότητα* neque *ἑτερότητα τῷ εἴδει* tribui posse; genus enim materia est specierum (cf. ad *a* 1), materia autem cognoscitur negatione formae sive differentiae, ideoque ei cum specie nec identitas nec contrarietas differentiae intercedit. Sin diversis e generibus repetitas species inter se comparaveris, ea nimirum generis, non speciei est diversitas, *a* 25—28. — *a* 21 *πρὸς τὸ καλούμενον ὂν γένος*. Haec verba quamquam iam Ioannem Philop. in textu habuisse apparet, tamen non possum mihi persuadere sic ab Ar. scripta esse. Reputanti sententiae contextum necessarium videbitur id significari genus, cui subiectae sint species, ut dubitem an pro *καλούμενον ὂν* scribendum sit *καθόλου ὂν* vel *κατηγορούμενον*. Schweglerus integram esse ratus lectionem vulg.

intelligi vult τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν, sed nec eo quem adhibet loco, *Δ* 3. 1014*b* 9, τὰ καλούμενα γένη in hunc modum videntur accipienda, neque ea interpretatio cum universa disputatione potest conciliari. — *a* 24 μὴ ὡς κτλ., cf. quem exposuit varium v. γένος usum *Δ* 28.

CAP. IX.

Quae differentiae efficiant speciei differentiam, quae non, exponitur, ac maris feminaeque exemplo illustratur.

Discrimina ea, quae generi alicui accedunt, vel ipsam eius notionem et naturam substantialem definiunt, vel externam modo et materialem exsistentiam attingunt (τὸ συνειλημμένον τῇ ὕλῃ *b* 2, cf. ad *E* 1. 1025*b* 32); ex illis species exsistunt, ex his non item. Quodsi materiae diversitas efficeret, ut esset alterum ab altero specie diversum licet eidem subiectum utrumque speciei, consequens esset ut specie differret hic albus equus ab illo nigro, Callias a Socrate. At materia οὐ ποιεῖ διαφοράν, *b* 6, cf. 8. 1058*a* 16, 24, nec singuli homines species sunt hominis quamquam inter se carne et ossibus differunt, *b* 6—8; haec enim diversitas et contrarietas cernitur modo in concreta (τὸ σύνολον *b* 8) et materiali natura hominis, non in substantiali eius notione, ὅτι ἐν τῷ λόγῳ οὐκ ἔστιν ἐναντίωσις· τοῦτο δ' (sc. ὁ τοῦ ἀνθρώπου λόγος, vel τὸ τοῦ ἀνθρώπου εἶδος) ἐστὶ τὸ ἔσχατον ἄτομον *b* 9, propterea nimirum, quia non amplius in species potest dividi, cf. ad 8. 1058*a* 18. Iam vero illud discrimen, quo animal masculum a feminino distinguitur, licet propius attingat ipsam animalis naturam quam coloris similiumve affectionum diversitas (cf. *a* 32—34, *Z* 5. 1030*b* 21), tamen non ex notione substantiali sed ex materiali exsistentia animalis petitum est, ideoque speciei differentiam non magis efficit, quam singulorum animalium multitudo. — Ad universam hanc disputationem conferenda sunt quae simillime Aristoteles de partibus rei in definitionem vel recipiendis vel non recipiendis disserit *Z* 10, 11.

a 36 ἢ ὅτι κτλ. A part. ἤ orditur responsio (cf. ad *Z* 4. 1030*a* 3), quae deinde, omissa prorsus interrogandi forma, continuatur proximo enunciato: καὶ ἐπειδὴ κτλ. Eandem vim

part. ἢ habet *b*18. — *b*5 *οὐδ' ἂν ὄνομα ἓν τεθῇ*, unum albo homini, alterum nigro homini, ut hoc externo signo magis specierum diversarum formam induant. — *b*11 *καὶ ὁ λευκὸς δὴ ἄνθρωπος* (int. *ἐστὶν ὁ λόγος μετὰ τῆς ὕλης*), *ὅτι Καλλίας λευκός*, albus enim color homini tribuitur, quia hic vel ille homo albus est; *κατὰ συμβεβηκὸς οὖν* (h. e. *κατὰ τὸ σύνολον, οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον*) *ὁ ἄνθρωπος λευκός*, ideoque albus color non efficit speciei diversitatem. — *b*12 *οὐδὲ χαλκοῦς κτλ.* Pro *ξύλινος* priore loco scribendum videri *τρίγωνον ξύλινον*, ut in utroque exemplo coniungantur quae quum et notione et materia differant, ex notionis diversitate id habeant, ut specie diversa esse iudicentur, exposui Obs. p. 125.

CAP. X.

Corruptibile et aeternum genere inter se differunt.

Extremis huius capitis verbis, *a*10—14, docemur universam hanc disputationem pertinere ad refutandam Platonicam de ideis doctrinam; id si probe tenuerimus per omnem ratiocinationem, vix quidquam difficultatis relinquitur.

Contraria specie differunt; atqui *τὸ φθαρτόν* et *τὸ ἄφθαρτον* contraria sunt; ergo specie differunt, *a*26—29. Syllogismi forma tam necessario in conclusione requirit: *ἕτερον εἶναι τῷ εἴδει*, ut licet invitis codd. omnibus et consentiente cum vulgata lectione Ioanne Philopono, *εἴδει* pro *γένει* legere non dubitem. — Esse autem *τὸ φθαρτόν* et *τὸ ἄφθαρτον* contraria, adiecta parenthesi confirmat: *στέρησις γὰρ ἀδυναμία διωρισμένη*, h. e. *τὸ ἄφθαρτον* continet *ἀδυναμίαν*, nimirum impossibilitatem intereundi, eamque *διωρισμένην*, definitam per naturae ad recipiendum aptae ambitum; ergo significat *τὸ ἄφθαρτον* privationem (cf. 5. 1055*b* 7), quae quia plena est et absoluta, contrarietas recte dicitur, cf. 4. 1055*a* 34.

Sed dixerit quispiam, ita ipsas quidem notiones (*ἐπ' αὐτῶν τῶν ὀνομάτων* *b*29, cf. *I* 1. 1052*b* 7) *τοῦ φθαρτοῦ* et *τοῦ ἀφθάρτου* demonstrari contrarias esse, inde vero nequaquam esse consequens, ut ubicunque altera res sit corruptibilis altera aeterna, hae res inter se contrariae et specie diversae iudicandae sint. Quid enim? Albus color et ni-

intelligi vult τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν, sed nec eo quem adhibet loco, *Δ* 3. 1014*b* 9, τὰ καλούμενα γένη in hunc modum videntur accipienda, neque ea interpretatio cum universa disputatione potest conciliari. — *a* 24 μὴ ὡς κτλ., cf. quem exposuit varium v. γένος usum *Δ* 28.

CAP. IX.

Quae differentiae efficiant speciei differentiam, quae non, exponitur, ac maris feminaeque exemplo illustratur.

Discrimina ea, quae generi alicui accedunt, vel ipsam eius notionem et naturam substantialem definiunt, vel externam modo et materialem exsistentiam attingunt (τὸ συνειλημμένον τῇ ὕλῃ *b* 2, cf. ad *E* 1. 1025*b* 32); ex illis species exsistunt, ex his non item. Quodsi materiae diversitas efficeret, ut esset alterum ab altero specie diversum licet eidem subiectum utrumque speciei, consequens esset ut specie differret hic albus equus ab illo nigro, Callias a Socrate. At materia οὐ ποιεῖ διαφοράν, *b* 6, cf. 8. 1058*a* 16, 24, nec singuli homines species sunt hominis quamquam inter se carne et ossibus differunt, *b* 6—8; haec enim diversitas et contrarietas cernitur modo in concreta (τὸ σύνολον *b* 8) et materiali natura hominis, non in substantiali eius notione, ὅτι ἐν τῷ λόγῳ οὐκ ἔστιν ἐναντίωσις· τοῦτο δ' (sc. ὁ τοῦ ἀνθρώπου λόγος, vel τὸ τοῦ ἀνθρώπου εἶδος) ἐστὶ τὸ ἔσχατον ἄτομον *b* 9, propterea nimirum, quia non amplius in species potest dividi, cf. ad 8. 1058*a* 18. Iam vero illud discrimen, quo animal masculum a feminino distinguitur, licet propius attingat ipsam animalis naturam quam coloris similiumve affectionum diversitas (cf. *a* 32—34, *Z* 5. 1030*b* 21), tamen non ex notione substantiali sed ex materiali exsistentia animalis petitum est, ideoque speciei differentiam non magis efficit, quam singulorum animalium multitudo. — Ad universam hanc disputationem conferenda sunt quae simillime Aristoteles de partibus rei in definitionem vel recipiendis vel non recipiendis disserit *Z* 10, 11.

a 36 ἢ ὅτι κτλ. A part. ἢ orditur responsio (cf. ad *Z* 4. 1030*a* 3), quae deinde, omissa prorsus interrogandi forma, continuatur proximo enunciato: καὶ ἐπειδὴ κτλ. Eandem vim

art. ἡ habet ^{b}18. — ^{b}5 οὐδ' ἂν ὄνομα ἓν τεθῇ, unum albo omini, alterum nigro homini, ut hoc externo signo magis pecierum diversarum formam induant. — ^{b}11 καὶ ὁ λευκὸς ἡ ἄνθρωπος (int. ἐστὶν ὁ λόγος μετὰ τῆς ὕλης), ὅτι Καλίας λευκός, albus enim color homini tribuitur, quia hic vel le homo albus est; κατὰ συμβεβηκὸς οὖν (h. e. κατὰ τὸ ὕνολον, οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον) ὁ ἄνθρωπος ευκός, ideoque albus color non efficit speciei diversitatem. — ^{b}12 οὐδὲ χαλκοῦς κτλ. Pro ξύλινος priore loco scribenum videri τρίγωνον ξύλινον, ut in utroque exemplo coniunantur quae quum et notione et materia differant, ex notionis iversitate id habeant, ut specie diversa esse iudicentur, expoui Obs. p. 125.

CAP. X.

Corruptibile et aeternum genere inter se differunt.

Extremis huius capitis verbis, ^{a}10—14, docemur uniersam hanc disputationem pertinere ad refutandam Platoniam de ideis doctrinam; id si probe tenuerimus per omnem atiocinationem, vix quidquam difficultatis relinquitur.

Contraria specie differunt; atqui τὸ φθαρτόν et τὸ φθαρτον contraria sunt; ergo specie differunt, ^{a}26—29. yllogismi forma tam necessario in conclusione requirit: ἕτεον εἶναι τῷ εἴδει, ut licet invitis codd. omnibus et conentiente cum vulgata lectione Ioanne Philopono, εἴδει pro ένει legere non dubitem. — Esse autem τὸ φθαρτόν et ὸ ἄφθαρτον contraria, adiecta parenthesi confirmat: στέησις γὰρ ἀδυναμία διωρισμένη, h. e. τὸ ἄφθαρτον contiet ἀδυναμίαν, nimirum impossibilitatem intereundi, eamque ιωρισμένην, definitam per naturae ad recipiendum aptae mbitum; ergo significat τὸ ἄφθαρτον privationem (cf. 5. 055^b 7), quae quia plena est et absoluta, contrarietas rete dicitur, cf. 4. 1055^a 34.

Sed dixerit quispiam, ita ipsas quidem notiones (ἐπ' αὐῶν τῶν ὀνομάτων ^{b}29, cf. *I* 1. 1052^b 7) τοῦ φθαρτοῦ et οῦ ἀφθάρτου demonstrari contrarias esse, inde vero neuaquam esse consequens, ut ubicunque altera res sit corиptibilis altera aeterna, hae res inter se contrariae et spee diversae iudicandae sint. Quid enim? Albus color et ni-

ger procul dubio diversi sunt specie; nihilo tamen secius in eodem genere, veluti humano, et albus et niger potest inveniri color, quin etiam eidem homini aliis temporibus modo albus modo niger color potest accidere, neque tamen ex hac diversitate colorum illorum, qui diversi esse specie iudicati sunt, diversitas speciei humanae efficitur, *b*30—35. Haec si quis animum induxerit obiicere, respondet Aristoteles *b*36: *ἀλλὰ τῶν ἐναντίων τὰ μὲν κατὰ συμβεβηκὸς ὑπάρχει ἐνίοις κτλ.* Quaedam contraria ita sunt comparata, ut accidentium loco in quibusdam rebus habeantur nec quum ipsae habent speciei diversitatem eam ad has, quibus inhaerent, res transferant; alia vero eiusmodi sunt, ut nusquam pro accidentibus possint haberi, atque in his est *τὸ φθαρτόν* et *τὸ ἄφθαρτον*. Quae si accidentium vi ac potestate alicui rei inhaererent, posset nimirum eadem res, quum esset *φθαρτή*, esse etiam *ἄφθαρτος*, quod manifesto harum notionum naturae repugnat. Ergo non modo ipsae per se notiones *τοῦ φθαρτοῦ* et *τοῦ ἀφθάρτου* inter se sunt contrariae, sed ubicunque altera res est aeterna altera corruptibilis, ipsae harum substantiae inter se contrariae sunt. Id igitur ex quo et per quod, tamquam principium (*ᾗ ἀρχὴ καὶ καθ' ὃ πρῶτον* *a*9), altera res aeterna est, corruptibilis altera, hoc est autem substantiae ipsae rerum, alterius aeternae, alterius corruptibilis, in se continent oppositionem. Quare non modo specie diversas esse oportet singulas res aeternas et singulas corruptibiles, quod a principio ad demonstrandum proponebatur, sed, quoniam substantiae contrarietatem receperunt, ipso genere differunt.

Iam facile apparet, quantopere ab his, quae demonstravimus, Platonica idearum doctrina discrepet, *a*10—14. Quum enim praeter mortalem hominem ideam ponunt hominis sive immortalem hominem, eumque cum mortali non modo nomen (*οὐχ ὁμώνυμα* *a*14, cf. ad *Α* 6. 987*b* 10) sed etiam speciem communem habere contendunt: manifesto concedi posse arbitrantur, ut aeternum quidpiam et aliud corruptibile eiusdem sint speciei. Nos vero demonstravimus *τὸ ἄφθαρτον* et *τὸ φθαρτόν*, et per se et ubicunque singulis rebus adhaerent, non modo speciei, sed etiam, quae latius patet, generis in se continere diversitatem.

K.

PARS PRIOR, 1. 1059a 18 — 8. 1065a 26.

Priore libri *K* parte eadem brevius exponuntur, quae iberius disputata sunt libris *BΓE*. Cur ipsi Aristoteli haec ibri pars assignanda videatur, significavi in prooemio p. 15. Etenim si ponamus ab alio quodam post Aristotelem Peripatetico excerptos esse libros *BΓE* eamque epitomen falso psis Aristotelis libris illatam esse, mirum videri debet, quod arissime in hac breviore dissertatione eaedem res iisdem erbis expositae sunt, quibus in ampliore illa disputatione; iec facile explicari potest, qui factum sit, ut in hac epiome et omissa sint aliquoties, quae satis gravia videantur, el ab ordine sententiarum et argumentationis in illis libris nstitutae aliquantum discessum, et alia huic disputationi proria sint et peculiaria, quae frustra quaeras in libris *BΓE*: leniqne vix credibile est, tam accurate quemquam dictionem Aristotelicam imitari et exprimere potuisse. Hae difficultaes omnes tolluntur, si ab ipso Ar. hanc theologiae partem rimum hac disputatione adumbratam, postea libris *BΓE* iberius elaboratam esse ponimus.

De ipsis rebus, quae hac libri *K* parte continentur, quum expositum iam sit ad libros *BΓE*, satisfecisse mihi videor nterpretis officio, si significavero, quibus cum locis illorum ibrorum singulae huius libri partes concinant et quid potissimum vel diversum sit in argumentandi ratione vel huic ibro proprium; qua de re conferenda est eximia Brandisii disputatio: Ueber die Aristotelische Metaphysik. Berl. Ak. d. Wiss. 1834. Exponenda praeterea sunt, si qua in ipsis verbis vel explicatione vel emendatione videntur egere.

CAP. I & II (= *B* 2—6).

Primis verbis, 1059a 18—20, respici vel ad ipsum librum *A* vel ad aliam eiusdem argumenti commentationem, monitum est p. 22. Deinde enumerantur et explicantur *αἱ ἀπορίαι*, cf. ad *B* init.

1) 1059a 20—23 = *B* Quaest. I. 996a 18—b25. Quam alteram posuit in libro *B* argumentationem, quum non qualibet in re omnia causarum genera inveniri dicit, 996a 21 —b2, eam h. l. omisit. Habemus quidem similia quaedam paullo infra, a34—38, sed parum apto loco, cf. ad h. l. et Brandis l. l. p. 67.

2) a22—26 = *B* II. 996b 26—997a 15. Quam illic exposuit dubitationem, idealium principiorum num possit omnino esse scientia, 997a 2—11, eam hic omisit.

3) a26—29 = *B* III. 997a 15—25. Haec quaestio longe diligentius in libro *B* disceptatur, adhibita τῶν καθ' αὑτὰ συμβεβηκότων notione, 997a 20.

4) a29—34 = *B* IV. 997a 25—34. — a30 non debebat Bekk. ex uno cod. *E*, quamquam cum eo consentire videtur Alex. p. 607, 20, addere verba: ἀπόδειξίς ἐστιν. Necessaria haec verba non possunt videri, quoniam ad hanc quaestionem perinde atque ad antecedentem, a26, supplendum est: ἡ σοφία ἐπιστήμη ἐστίν, coll. a21. At illa non apta sunt; etenim hoc unum quaeritur, num substantiarum scientia eadem sit scientia, ἐπιστήμη (cf. θεωρία 997a 25) accidentium, non quaeritur, num ea sit demonstratio, ἀπόδειξις, accidentium, sed ἀποδείξεως et ἀποδεικτικῆς ἐπιστήμης notio pariter atque in libro *B* tum demum adhibetur, quum comprobare suscipit non esse eandem et substantiae et accidentium scientiam. Accidentia, ait, per demonstrationem sciuntur, substantiae non item (εἰ γὰρ περὶ τὰ συμβεβηκότα ἀπόδειξίς ἐστι, περὶ τὰς οὐσίας οὐκ ἔστιν a30), unde quod videtur colligi posse (cf. ad *B* l. l.) non esse eandem et substantiae et accidentium scientiam, lectori supplendum relinquit.

a34 ἀλλ' οὐδὲ — 38 ἀκινήτοις. Prima philosophia non versatur in investigandis quatuor illis causarum generibus, quae in Physicis (cf. II 3) enumerata sunt. Unum enim ex illis generibus est causa movens, quae non invenitur nisi in iis rebus, quae actioni vel motioni subiectae sunt; at prima philosophia pertinet ad immobilia. — Haec disputatio quorsum h. l. pertineat, non intelligo. Neque enim quaestionis habet formam, quam reliqua omnia in his duobus capitibus, sed simpliciter aliquid contenditur, non

cum superiore quaestione, quae est de substantia et accidentibus, ulla potest ratione coniungi. Eandem argumentationem habemus *B* 996*a* 21—*b*1, sed illic quidem apte coniunctam cum prima quaestione. Ad eandem primam quaestionem utrum etiam h. l. ab Ar. haec verba scripta et librariorum errore transposita, an ab ipso Ar., quum primum has quaestiones colligeret et adumbraret, non suo loco posita esse iudicemus, dubium est; equidem ipsius scriptoris negligentia turbatum esse sententiarum ordinem suspicor. — *a*35 pro part. *οὔτε* scribendum videtur *οὐδέ*, quoniam nihil sequitur, quod ad *οὔτε* referatur.

5) *a*38—*b*21 = *B* V. 997*a* 34—998*a* 19. — Mathematicas res non posse, quae Platonicorum est sententia, medio inter ideas et res sensibiles loco poni, brevius h. l. *b*3—9, sed haud minus perspicue et distincte quam illic exponit. Eadem, ait, omnium generum rerum ratio; ergo si res mathematicas medias ponunt inter corpora sensibilia et ideas, consequens est, ut inter hominem sensibilem et *αὐτοάνθρωπον* medium ponere tertium hominem (*τρίτος ἄνθρωπος* *b*8, noli cogitare de eo argumento refutandae doctrinae de ideis, quod *ὁ τρίτος ἄνθρωπος* tamquam peculiari nomine appellatur, cf. ad *A* 9. 990*b* 17) debeant et similiter in reliquis generibus. *εἰ δ' αὖ μή ἐστιν ὥς λέγουσι* *a*9, i. e. *εἰ δὲ μή ἐστι τὰ μαθηματικὰ μεταξὺ τῶν εἰδῶν καὶ τῶν αἰσθητῶν, ὡς λέγουσιν οἱ Πλατωνικοί.* — Propria huic libro sunt, quae de mathematicarum rerum materia disputat, *b*14—21, eam nec physicae disciplinae esse investigandam, nec analyticae (*τῆς σκοπούσης περὶ ἀποδείξεώς τε καὶ ἐπιστήμης* *b*18), ideoque videri ad primam philosophiam pertinere, a qua eam alienam esse antea, *b*12, est demonstratum. Comparari quidem possunt, quae *B* 998*a* 7—18 de exsistentia rerum mathematicarum disserit, sed satis tamen diversa disputationis utriusque est ratio. Materiam autem rerum mathematicarum, quae ut cogitabilis distincta sit a sensibili ipsorum corporum naturalium materia, commemoratam legimus *Z* 10. 1036*a* 9 sqq. 11. 1036*b* 35. 1037*a* 4. Distinctam eam esse propterea oportet, quia materia rerum sensibilium apta est ad recipienda varia *πάθη*, mathematicarum autem rerum materia, abstractarum nimirum cogita-

tione a rebus sensibilibus, unice recipit tres spatii dimensiones et definitas formas. Et quemadmodum per *ὕλην τοπικήν* nihil significat aliud nisi *τὴν τοῦ κινεῖσθαι δύναμιν*, cf. ad *H* 1. 1042*b* 6, ita *ὕλη τῶν μαθηματικῶν* est *ἡ δύναμις τοῦ εἶναι τὰ μαθηματικά*.

6) *b*21—1060*a* 1 = *B* VI, VII. 998*a* 20—999*a* 23. Quae illic dicit, 998*a* 22: *ἐξ ὧν ἐνυπαρχόντων ἐστὶν ἕκαστον πρώτων*, h. l. *a* 23 brevius appellat *τὰ καλούμενα ὑπό τινων στοιχεῖα*, ubi voc. *τινῶν* physiologos videtur significare. Genera autem potius quam elementa ut demonstret investiganda esse primae philosophiae, illic, 998*b* 4—14, definitionum rationem adhibet, quam hic omittit; et duas illic quaestiones distinguit, alteram utrum genera an elementa, alteram utrum summa an infima genera pro principiis sint habenda, quas hic indistincte persequitur. — *b*26 *τῶν ἐσχάτων*, i. e. *τῶν καθ' ἕκαστα*, cf. Waitz Org. I. p. 284. — *b*36 *ἄτομα γάρ*, cf. ad *I* 8. 1058*a* 18. — 1060*a* 1 *ἀρχὴ τὸ συναναιροῦν*, cf. ad *Δ* 1. 1013*a* 17.

7) *a*3—27 = *B* VIII. 999*a* 24—*b*25. In utraque disputatione easdem duas distinguit quaestionis partes, ut primum investigetur, num quid omnino ponendum sit, quod per se exsistat praeter res singulas ac sensibiles, *a*3—13 = *B* 999*a* 24—33, deinde praeter quas e rebus sensibilibus ponendum quidpiam sit, praeter quas non sit ponendum. — Proprium libro *B* hoc est, quod ibi nec generationem nec mutationem esse posse Ar. contendit, nisi ponatur aeternum quidpiam, 999*b* 5 sqq.: quod autem hic Ar. dicit duplicatum iri rerum numerum, si quid ponatur per se esse praeter singulas res sensibiles, eam quidem rationem in ampliore illa disputatione Ar. quintae inseruit quaestioni, 997*b* 5 sqq. (cf. *A* 9. 990*b* 2), quam octavae quaestioni admodum affinem esse monui ad 999*a* 24. Denique in utraque disputatione ipsi, quae agitur, quaestioni hoc addit ut disceptet, utrum materia potius an forma pro principio sit habenda, *a*19—24; *B* 999*b* 12—20, eo tamen discrimine, ut illic hanc singularem quaestionem cum universali coniungat per notionem aeternitatis, quae requiratur in principiis rerum mutabilium, cf. 999*b* 12: *ἔτι δ' εἴπερ ἡ ὕλη ἔστι διὰ τὸ ἀγέννητος εἶναι*, hic disiungat, quum dicit *a*19: *εἰ δὲ μή*

ϱιστή — ἐστὶν ἀρχή, siquidem antea quaeruntur prin- cipia, quae seiuncta a rebus sensibilibus per se sint.

a7 εἴρηται, cf. 1. 1059b 21—1060a 1. — a9 τὰ δεῦρο, i. e. τὰ αἰσθητά, cf. 1. 1059b 8, 11. 6. 1063a 11, 22. A 9. 991b 30. B 6. 1002b 15, et de usu pron. τάδε ad A 9. 990b 8. — a12 μηδενὶ τῶν αἰσθητῶν ὑπάρχον, i. e. μηδὲν τῶν αἰσθητῶν ἔχον ὡς ὑποκείμενον. — a15 τί γὰρ μᾶλλον κτλ. Vel ex mutata constructione cognoscitur particulam ἤ eam quae altero loco posita est, ἢ τῶν ἄλλων, referendam esse ad μᾶλλον. — a25 χαριέστατοι appellantur limatioris iudicii philosophi, cf. A 10. 1075a 26: οἱ χαριεστέρως λέγοντες. Eth. N. I 2. 1095a 18—21, b22, et quae collegerunt Zell ad l. l. p. 16. Fritsche Eth. N. VII, VIII. p. 75. — a27 πῶς γὰρ ἔσται τάξις κτλ., cf. A 10. 1075b 24.

8) a27—36 = B X. 1000a 5—1001a 3. Ipsam quaestionem, quae est de rerum aeternarum et corruptibilium principiis, non minus perspicue hic excutit, quam in libro B, sed illic addit veterum theologorum et Empedoclis mentionem, aptam illam quidem nec tamen necessariam. Aliter iudicat Brand. l. l. p. 68.

9) a36—b19 = B XI, XII. 1001a 4—1002b 11. Quaestiones de ente et unitate, utrum pro substantiis habenda sint necne, et de substantiali rerum mathematicarum dignitate aliter et aptius quidem distinxit in libro B. Etenim in libro K a verbis ἔτι δὲ τοῖς b6 altera videtur quaestio ordiri; librum B si contuleris, prior quaestio usque ad b12 ῥᾴδιον εἰπεῖν videbitur continuanda esse. Sed omnino has quaestiones leviter modo adumbravit in hoc libro, longe diligentius ac subtilius, adhibitis Eleatarum Pythagoreorum Platonicorum placitis, elaboravit in illa libri B disputatione.

b4 πάντ' ἐστίν. Cur legendum putem cum Alex. πάντ' ἔσται, exposui Obs. p. 63. — b8 τὸν ἀριθμὸν γεννῶσι πρῶτον. Pro adv. habendum esse πρῶτον, recte Alex. significat p. 612, 32: γεννῶσι τοὺς ἀριθμοὺς πρῶτον, — ἐκ δὲ τῶν ἀριθμῶν πάλιν τἄλλα. Eaque alia, quae deinde e numeris generentur, praecipue accipienda esse de rebus geometricis, puncto linea cet., apparet conferenti et a12, ubi ab unitate et numeris, quae pro principiis habeantur, continuo transit ad lineas plana corpora, et praecipue ratiocinationem libri B

1001*b* 17—25. — Redarguit autem hanc Platonicam numerorum generationem hunc in modum *b* 10, 11: si vere contendunt numeros fieri ex unitate et materia, consequens est ut quilibet numerus ipsa sit unitas, quoniam materia induit formam unitatis. At quomodo licet cogitari τὴν δυάδα ἓν εἶναι? Longe subtilius eam rem pertractatam legimus *B* 1001*a* 29—*b* 25. — *b* 13 τὰς πρώτας, i. e. eas superficies, quae cogitabiles et per se sint, non sensibiles. — *b* 13 ταῦτα δ. Part. δέ num h. l. ferri possit, alii viderint; equidem ne Aristotelica quidem dictione eam excusatam ratus scribendam suspicor part. γέ. — *b* 14 διαιρέσεις, cf. *B* 1002*a* 19. — *b* 15 γένεσις, cf. *B* 1002*a* 28 sqq.

10) *b* 19—23 = *B* XV. 1003*a* 6—17.

11) *b* 23—28. Haec ut sunt disputata non video quid magnopere differant a septima huius libri quaestione, *a* 3—27, praeterquam quod illic eadem et uberius et diligentius exponuntur. Sed fortasse simile quidpiam voluit Ar., quale in ampliore disputatione explicuit *B* XIII. 1002*b* 12—32.

12) *b* 28—30 = *B* IX. 999*b* 24—1000*a* 4. Et haec ad modum manca sunt, et potentiae notio, quam tetigit certe in ampliore disputatione, *B* XIV. 1002*b* 32—1003*a* 5, h. l. prorsus est omisa. — *a* 30 pro ταὐτά recipiendum e codd. *TA^b* ταῦτα suadet Schw., ut idem dicat Ar. ac *B* 999*b* 32. οὐκ ἔσται παρὰ τὰ στοιχεῖα οὐθὲν ἕτερον. Sed haec nec perspicue dixisse videretur, neque est cur a fide plurimorum codd. recedamus, si vulgatam lect. sic interpretamur: πάντα ὅσα ὑπὸ τὴν αὐτὴν ἀρχήν, ἔσται ταὐτά. cf. Alex. ad h. l.

CAP. III (= *Γ* 1. 2).

Inter hoc libri *K* caput et duo prima capita libri *Γ* illud omnino intercedit discrimen, quale inter commentationes primum brevius adumbratam ac deinde diligentius elaboratam esse solet. Nonnulla, quae hic simpliciter ponit, illic demonstrat vel confirmat, veluti philosophiam esse scientiam entis quatenus est ens, 1060*b* 31, cf. *Γ* 1, ens et unum eadem prope notione contineri, 1061*a* 17, cf. *Γ* 2. 1003*b* 22—32, al. Alia longe apertius in ampliore illa disputatione explicuit, quam h. l.; ita de oppositionum variis generibus

quae illic dicit, 1004*a* 9—31, ea et magis ad rem pertinent, et clarius sunt exposita, quam quae hic de singulari quadam oppositionis ratione quasi in transitu monet, 1061*a* 19—27. Alia illic addita, hic plane omissa sunt, veluti de dividenda in singulas disciplinas philosophia secundum diversa entis genera, 1004*a* 3 sqq. (Alia praeterea utriusque disputationis discrimina accurate persequitur Brandis l. l. p. 69, quamquam is levioribus quibusdam rebus nimium videtur tribuere.) Sed omnino eadem fere ratiocinatione usus et hic et illic duas solvit *ἀπορίας*, quas primo et quarto loco proposuerat, 1059*a* 20—23, 29—34; nimirum utramque solvit, dubitationem, priorem 1060*b* 31—1061*a* 28, alteram 1061*a* 28—*b* 11, quamquam sub finem disputationis, 1061*b* 15, ipse priorem tantum se solvisse profitetur.

1060*b* 33 *εἰ μὲν οὖν*. De apodosi a part. *οὖν* exorsa cf. ad *Α* 3. 983*a* 33. — 1061*a* 15 *ἔστωσαν γὰρ αὗται τεθεωρημέναι*, cf. ad *Γ* 4. 1004*a* 2. — 1061*a* 20 *καίτοι γ'* — 27 *ὑπάρξει αὐτῷ*. Quod dicit *a* 19: *λέγεται δ' ἕκαστον αὐτῶν κατὰ στέρησιν*, eo studet confirmare, ut demonstret, ea etiam, quae videantur ab hac lege recedere, ad eam referri posse. Nimirum sunt quaedam contraria, inter quae medium quidpiam intercedit, veluti contraria inter se sunt *ὁ δίκαιος* et *ὁ ἄδικος*, medium inter utrumque locum habet *ὁ μήτε δίκαιος μήτε ἄδικος*. Et *ὁ ἄδικος* quidem manifesto est *στέρησις τοῦ δικαίου*, at ille medius iure dubites num et ipse dicatur *κατὰ στέρησιν* *a* 21. Sed huius etiam in notione cerni privationem apparet, modo ne eam solam dixeris privationem, qua universa notio negatur, sed etiam eam, qua una vel altera nota specifica notionis tollitur, *στέρησιν μὴ τοῦ ὅλου λόγου, τοῦ τελευταίου δὲ εἴδους*, *a* 23. Igitur *ὁ ἄδικος* est *στέρησις τελεία τοῦ δικαίου*, medius vero ille, *ὁ μήτε δίκαιος μήτε ἄδικος* eiusdem notionis *στέρησις ἀτελής* est, sed ad *στέρησιν* utraque notio refertur. — Hoc fere quin voluerit Ar. dicere, non est dubium, sed parum apte ipse dixit. Etenim enunciatio non potest aliter conformari, nisi ut apodosin ordiamur a vv. *περὶ πάντα δή κτλ.* *a* 22; at haec apodosis nulla ratione cohaeret cum protasi *a* 18 *ἐπεὶ δ' ἐστὶ* — 20 *στέρησιν*, sed unice refertur ad eam dubitationem, quae deinde succurrit scriptori: *καίτοι γ' ἔνια κτλ.*,

quae enim dicit *a* 22 *τὰ τοιαῦτα*, non possunt alia intelligi nisi *τὰ ἀνὰ μέσον*. Ac deinde *a* 25 *ὁ ἄδικος* latiore sensu dixit, quum rectius dicendum esset *ὁ μεταξὺ τοῦ δικαίου καὶ ἀδίκου*, cf. Alex. p. 617, 26: *οὐ πάντως ὁ ἄδικος, λέγων ἄδικον τὸν μήτε δίκαιον μήτε ἄδικον, ἀλλὰ τὸν μέσον ὄντα δικαίου καὶ ἀδίκου*. — *a* 28 *περὶ τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως*, cf. ad *Α* 2. 982*a* 27. — *a* 29 *περιελών*. Eadem vi h. v. usurpari atque *ἀφαιρεῖν* apparet ex *Z* 3. 1029*a* 11, coll. *a* 16. — *a* 33 *συνεχὲς ἐφ' ἕν, ἐπὶ δύο κτλ.* cf. 4. 1061*b* 24. *Δ* 13. 1020*a* 11. — *b* 5 *φιλοσοφία* ea vi usurpari h. l. qua alibi *πρώτη φιλοσοφία* vel *θεολογία* dicitur, monitum est in prooem. p. 5. Similiter deinde dicit *τὸν φιλόσοφον* *b* 10, i. e. *τὸν πρῶτον φιλόσοφον*. — *b* 6 *τῇ φυσικῇ κτλ.* cf. 7. 1064*a* 30. *E* 1. 1026*a* 12.

CAP. IV (cf. *Γ* 3).

Tertio libri *Γ* capite Ar. primae philosophiae esse demonstrat, cognoscere summa sciendi principia; idem et eadem fere ratione eum demonstraturum esse h. l. ex principio capitis colligas. Hoc enim dicit: mathematica disciplina summis sciendi principiis (*τοῖς κοινοῖς* *b* 18, i. e. *τοῖς κοινοῖς ἀξιώμασι*, cf. ad *B* 2. 996*b* 26) utitur illa quidem, sed *ἰδίως*, i. e. *ἐπὶ τοσοῦτον, ὅσον ἐπέχει τὸ γένος περὶ οὗ φέρει τὰς ἀποδείξεις*, *Γ* 3. 1005*a* 25. Ergo non mathematicae est, haec principia tamquam universalia investigare et cognoscere, sed eius scientiae, quae universe ad ens pertinet, quatenus est ens, id est autem primae philosophiae. Sed ab hac argumentatione, quam h. l. *a* 17—27 significat potius quam explicat, longe vero diligentius in libro *Γ* persequitur, deinde eo declinat, ut et mathesin et physicam partes esse demonstret *τῆς σοφίας* *a* 33, quo voc. h. l. philosophiam universe, non primam philosophiam significat, cf. ad *Α* 2. 983*a* 20.

b 21 *ἀπολαβοῦσα* dubito num accipi possit eadem vi ac *λαμβάνειν* vel *ἀναπόδεικτον ὑποτιθέναι*, quae Schw. est sententia; nusquam certe verbum compositum hac simplicis verbi significatione me legere memini. Videtur potius secludendi et secernendi vim habere, perinde atque alibi *ἀποτέμνειν*, cf. *Γ* 1. 1003*a* 24: *μέρος αὐτοῦ ἀποτεμόμεναι περὶ τούτου*

ϑεωροῦσι τὸ συμβεβηκός, vel περιγράφεσθαι, *E* 1. 1026*a* 8. *K* 7. 1064*a* 2. — *b* 22 τῆς οἰκείας ὕλης. Voc. ὕλη non eo est sensu usurpatum, de quo dictum est ad 1. 1059*b* 15, sed idem fere significat ac τὸ ὑποκείμενον vel τὸ γένος, ut hoc Ar. dicat: περὶ μέρος τι τοῦ γένους τοῦ ὑποκειμένου αὐτῇ. — *b* 24 συνεχὲς ἐφ' ἓν κτλ., cf. ad 3. 1061*a* 33. — *b* 25 τῶν ἐν μέρει, cf. ad *Γ* 1. 1003*a* 21.

CAP. V (= *Γ* 4).

Quae argumenta hoc capite Ar. proponit ad confirmandum principium contradictionis, eadem omnia in libro *Γ* habemus. Etenim postquam monuit principium contradictionis non posse directa argumentatione comprobari, sed posse sane infitiatores eius refutari, *a* 2—5, cf. *Γ* 4. 1006*a* 5—18, hos adversarios ut principii veritatem agnoscant adigit, modo concedant, se singulis verbis, quibus utuntur, certum quidpiam significare, *a* 5—20, cf. 1006*a* 18—1007*a* 20. His brevem addit argumentationem adhibita necessitatis notione, a superiore ipsa re non multum diversam, *a* 20—23, cf. 1006*b* 28—34. Deinde infitiatores principii eo absurditatis deduci demonstrat, ut eandem rem diversissima quaeque esse statuere debeant, *a* 23—30, cf. 1007*b* 18—1008*a* 3. Quae deinde de Heraclito monet, qui οὐ συνεὶς ἑαυτοῦ τί ποτε λέγει hanc proposuerit sententiam, comparari possunt cum *Γ* 3. 1005*b* 35. Tum si quis negationem ubique cum affirmatione coniungendam censuerit, addendam esse docet, cui nimirum eadem veritas tribuenda sit, utriusque, et affirmationis et negationis, negationem, *a* 36—*b* 7, cf. 1008*a* 4—7. Denique illos adversarios sibi ipsos repugnare dicit, si sententiam suam illi legi de aequali affirmationis et negationis veritate subiecerint, *b* 7—9. — Et has quidem rationes, quas in utroque libro Ar. persequitur, plerumque longe uberius et enucleatius illic esse explicatas, comparanti facile apparet; sed praeterea, ut leviora omittamus, duo argumenta, quae illic legimus, h. l. plane desideramus. Illic enim demonstrat, sublato contradictionis principio omnem tolli rerum substantiam, ut nihil nisi per accidens praedicetur, 1007*a* 20—*b* 18, et adversarios principii, quae dicendo contendant,

ea agendo ipsos refutare, 1008*b* 12—1009*a* 5. Cf. Brandis l. l. p. 70 sq.

1061*b* 36 οἷον, cf. ad *A* 4. 985*b* 6. — 1062*a* 1 καὶ τἆλλα τὰ τοῦτον αὐτοῖς ἀντικείμενα τὸν τρόπον, i. e. ὅσα αὐτοῖς ὡσαύτως ἀντίκειται, ὥσπερ τό τε εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι, οἷον λευκὸν καὶ μὴ λευκόν. — *a* 3 πρὸς τόνδε δ' ἔστιν, i. e. πρὸς τὸν τιθέμενον ὅτι ἐνδέχεται κτλ., cf. *a* 31. — *a* 3 πιστοτέρα cf. βεβαιοτάτη *Γ* 3. 1005*b* 18, 22. — *a* 5 εἴπερ ἔσται, de hoc usu temp. fut. cf. Obs. p. 66 sq. — *a* 5 πρὸς τὸν λέγοντα τὰς ἀντικειμένας φάσεις, int. ἅμα ἀληθεύεσθαι κατὰ τοῦ αὐτοῦ, cf. *a* 10. De vv. τὰς ἀντικειμένας φάσεις cf. *a* 10, 22, 34, *b* 17, et ad *Γ* 6. 1011*b* 14. — *a* 6 διότι h. l. non sua ac plena vi usurpatur ut significet «qua de causa»; qui enim indirecta argumentatione adversarios principii redarguit, is non cur fallantur demonstrat, sed tantum eos falli docet. Igitur διότι idem fere est atque ὅτι, cuius usus exempla Aristotelica collegit Waitz Org. 58*b* 7. — *a* 12 αὑτῶν scribendum videtur pro vulg. αὐτῶν, ut idem significetur ac pronom. ἀλλήλοις *a* 11, 13, cf. *Γ* 4. 1006*b* 9, *a* 21, 23. — *a* 17 τοῦτο μὲν nimirum τὸ εἶναι, cf. ad *Γ* 4. 1006*a* 29. — *a* 26 ἢ μᾶλλον, cf. 1008*a* 1. — *b* 10 τῶν τὰ τοιαῦτα ἐνισταμένων, i. e. τῶν τοιαύτας ἐνστάσεις φερόντων, cf. Top. VIII 10. 161*b* 11.

CAP. VI (= *Γ* 5—8).

Quantum et concinat hoc caput cum libri *Γ* cap. 5 sqq. et ab iis differat, satis apparebit collatis singulis, quae sunt de eadem re, utriusque disputationis partibus; ipsa enim ratio discriminis eadem fere est, quam in superiore commentationis parte significavimus.

1062*b* 12—24, cf. *Γ* 5. 1009*a* 6—16, 22—30. — *b* 24—33 brevius idem, sed magis perspicue expositum est 1009*a* 30—36; et horum quidem locorum tantum esse discrimen, ut non possit altera disputatio ex altera putari excerpta esse, recte monet Brand. l. l. p. 71. — *b* 33—1063*a* 10, cf. *Γ* 5. 1010*b* 1—26. 6. 1011*a* 31—34. — 1063*a* 10—17, cf. *Γ* 5. 1010*a* 25—32. — *a* 17—21, cf. 1010*a* 35—37. — *a* 22—28 cf. 1010*a* 22—25. — *a* 28—35, conferendum videtur potius *Γ* 4. 1008*b* 12—27, quam quod obiter rem inspicienti simi-

lius videatur *Γ* 5. 1010*b* 14. — *a*35—*b*7, conferri potest, quamquam disputandi ratio aliquantum differt, 1009*b* 1—33. — *b*7—17, cf. *Γ* 5. 1009*a* 16—22. 6. 1011*a* 3—16. — *b*17—19, cf. *Γ* 6. 1011*b* 17—22. — *b*19—24, cf. *Γ* 7. — *b*24—35, cf. *Γ* 8. — Quum alia multa, tum extrema disputationis pars, 1063*b* 19—35, qua ad contraria et ad media (*τὰ ἀνὰ μέσον*) extenditur principium contradictionis, longe et diligentius et subtilius exposita est in libro *Γ* quam in libro *K*; praeterea quae acute et subtiliter disseruntur *Γ* 5. 1010*b* 30—1011*a* 2. 6. 1011*a* 17—*b*12, al. et quae e placitis aliorum philosophorum commemorantur 1009*b* 1—1010*a* 15, ea frustra quaerimus in breviore libri *K* disputatione.

1062*b* 26 *ἐπεὶ οὖν* — 30 *καὶ λευκόν*. Ratiocinatio, qua Ar. putat adversarios principii in errorem deductos, haec videtur esse: Non posse quidquam fieri ex non-ente constat inter omnes physicae disciplinae magistros. Iam vero nihil fit album (*ἐπεὶ οὖν οὐ λευκὸν γίγνεται* i. e. *ἐπεὶ οὖν οὐ γίγνεται λευκόν*, non est coniungenda part. negativa *οὐ* cum adi. *λευκόν*, ut vult Alex., tum enim scriptum esset *μὴ λευκόν*), si iam plane et ubique est album; fit igitur album ex non-albo. Ergo consequens esse illi putant, ut ex non-ente fieri iudicetur, quoniam fit ex non-albo, nisi id quod est non-album idem esse album concesserimus. Haec, quae necessaria videtur esse, sententia neque ex ipsis verbis repeti, nec leni emendatione restitui potest. Negationem *μή* *a*28 post *γιγνόμενον* omittendam esse satis probabile videbitur; sed ne sic quidem enunciatum explicari potest, nisi praeterea vv. *νῦν δὲ γεγενημένον μὴ λευκόν* expunxerimus, quae possunt e proximis verbis *τὸ γιγνόμενον μὴ λευκόν* falso transpositis orta esse, ut haec exsistat enunciati forma: *ἐπεὶ οὖν οὐ λευκὸν γίγνεται λευκοῦ τελέως ὄντος καὶ οὐδαμῇ μὴ λευκοῦ, γίγνοιτ' ἂν ἐκ μὴ ὄντος λευκοῦ τὸ γιγνόμενον λευκόν· ὥστ' ἐκ μὴ ὄντος κτλ.* Sed lubricum hac in re iudicium, quum libri mscr. non praebeant talem var. lect., ex qua coniectura videatur repeti posse; Alex. manifesto eundem habuit textum, qui nunc vulgatur, et in eo explicando copiose nugatur. — *b*31 *εἴρηται ἐν τοῖς φυσικοῖς*, cf. de gen. et corr. I 3. 317*b* 15. Met. *Λ* 2. 1069*b* 15, et ad *Γ* 5. 1009*a* 22. — *b*33 *ταῖς δόξαις καὶ ταῖς φαν-*

τασίαις, cf. de cognatione harum notionum Waitz Org. I p. 444. —

1063a 7 *τοῖς ὑπὸ τὴν ὄψιν κτλ.* Simile exemplum fraudis, in quam sensus nos inducant, cf. *Γ* 6. 1011a 33. — a 15 *τὰ κατὰ τὸν κόσμον*, i. e. corpora coelestia; ea enim immunia sunt ab generatione et interitu, quibus res terrestres sunt obnoxiae, cf. de coelo I 3. 270a 12 sqq. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 469. — a 17 *ἔτι δ' εἰ κίνησις* — 21 *κατ' αὐτούς.* Quorsum spectet haec ratiocinatio, intelligi potest ex eo loco libri *Γ*, qui est de eadem re, 1010a 35—37. Si eidem rei et affirmationem et negationem tribuimus, tollitur omnis mutatio, *οὐ γάρ ἐστιν εἰς ὅ τι μεταβάλλει.* Similem in sententiam ut hunc ipsum locum explicemus, non aliam video rationem, nisi ut pronomine *αὐτῷ* a 20 non idem dici putemus, quod antea pron. *ἐκείνῳ* significatum est, verum potius id, quo quid per mutationem pervenit. Si omnino est motus, ait, et si quidvis movetur ex aliquo ad alterum aliquid, oportet id quod movetur sit in illo, ex quo movetur, non in eo ipso, ad quod movetur, et moveatur ac perveniat ad hoc; nec vero fieri potest, ut contraria iam, id quod volunt adversarii, de eo vere praedicentur [1]). — Alexander ad h. l. inde a vv. *δεῖ ἄρα κτλ.* non ipsius Aristotelis sententiam exponi, sed e sententia adversariorum haec concludi putat, ac propterea deinde a 21 pro *τὸ δέ* legendum coniicit *ἢ τό.* Neque interpretationem illam aptam esse, neque hanc emendationem sufficere ad eam firmandam, facile est intelligere. — a 21 *τὰ κατὰ τὴν ἀντίφασιν*, i. e. *τὰς ἀντικειμένας φάσεις*, cf. 1062b 17: *τὰ κατὰ τὰς ἀντικειμένας λεγόμενα φάσεις* et ad 5. 1062a 6. — a 28 *τὸ δὲ ποσὸν τῆς ἀορίστου.* Quantitas quomodo cohaereat cum materia, cf. Trend. Kat. p. 79; de qualitate, quae substantiam definiat, cf. ad *Δ* 14. 1020b 2. — a 31 *ὡς ἀληθεύοντες.* Non debebat Schw. praeferre lect. cod. *A*b Bess. Ald. Sylb. *ὡς ἀληθεύοντος.* Nimi-

1) Schw. pron. *αὐτῷ* eodem sensu accipit, atque antea legitur: *Das Werdende muſs zuerst das sein, woraus es wird, und dann aufhören, es zu sein.* Hanc interpretationem ei, quam supra proposui, longe praeferrem, si vel levissimo indicio Ar. significasset, *τὸ εἶναι ἐν ἐκείνῳ* esse prius, *τὸ οὐκ εἶναι ἐν αὐτῷ* esse posterius; haec vero ita inter se coniunxit, ut temporis diversitas ab interprete nec debeat nec possit interponi.

m ipsi adversarii sibi repugnant, quod obsecuti medico nem edunt, quasi vere sciant (ὡς ἀληθεύοντες) hunc esse nem neque eundem non-panem.

1063^b 5 τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον (int. ὥσπερ ἐν τοῖς κάμνουσιν) ἔχειν — ἴσως (cf. ad *A* 5. 987^a 26) ἀναγκαῖόν ἐστιν (int. ὥστε μεταβαλλόντων ἡμῶν μεταβάλλειν τὰς αἰσθήσεις). — ^{b}8 ἐκ λόγου quid significet, ipse Ar. proximis erbis explicat. Ii enim intelligendi sunt adversarii, qui principium contradictionis propterea tollunt, quia ponere quidquam sine demonstratione recusant, quum tamen demonstratio quaelibet requirat ἀρχὰς ἀναποδείκτους, cf. ad *B* 2. 997^a 7. Conferri possunt quos dicit λόγου χάριν illi principio adversari, *Γ* 5. 1009^a 21, quamquam haec verba non plane dem significant, cf. ad h. l.) His opponuntur οἱ διαποροῦντες ἐκ τῶν παραδεδομένων ἀποριῶν ^{b}13, cf. 1062^b 21 sqq. — ^{b}18 ἐπ' ἀρχὴν τοὺς λόγους ἀναλύουσι τῶν ἐναντίων. Ita notionem contrarietatis ad privationem redigit *Γ* 6. 1011^a 18. *I* 4. 1055^a 33 sqq. — ^{b}25 Ἀναξαγόραν, cf. *Γ* 7. 1012^a 26. *A* 8. 989^b 6 sqq. — ^{b}32 δυσχερῶν, cf. ad *B* 1. 995^a 33.

CAP. VII (= *E* 1).

Longe magis hoc caput concinit cum primo libri *E* capite, quam quae proxime antecedunt cum libro *Γ*, ut et sententiarum ordinem plane eundem et saepe eadem prope verba in utraque habeamus disputatione. Nec quod Brandisius l. l. p. 72 significat discrimen, hic principium et poeticarum et practicarum disciplinarum simpliciter ad motum referri, 1064^a 11—15, illic distinctim alterum ad νοῦν ἢ τέχνην ἢ δύναμιν, alterum ad προαίρεσιν, 1025^a 22—24, magni videtur momenti esse.

1064^a 1 τῶν ποιητικῶν ἐπιστημῶν, i. e. artium, cf. ad *Θ* 2. 1046^b 3. — ^{a}32 περὶ μένοντα, i. e. περὶ ἀκίνητα, cf. *E* 1. 1026^a 8, 15. — ^{a}36 ὅπερ πειρασόμεθα δεικνύναι, cf. *Λ* 6 sqq.

1064^b 13 καθόλου τῷ προτέραν, cf. 1026^a 30: καὶ καθόλου οὕτως ὅτι πρώτη, et ad h. l.

CAP. VIII (= *E* 2—4).

Quamquam sententiarum ordine ac ratione hoc caput cum *E* 2—4 consentit, tamen singulis quibusdam et levioribus in rebus paullo magis ab ampliore illa disputatione differt, quam superius caput. Veluti illic universam entis distinctionem persequitur, *E* 2 init., et accidentium causam ad materiam refert, 1027a 13 (cf. 3. 1027b 14), eorumque neque generationem neque interitum esse monet, 1026b 22, et exempla nonnulla uberius exponit, 1026b 33 sqq. 1027a 23 sqq. et praecipue de veritate diligentius disserit *E* 4, quae omnia vel omittit hoc in capite vel brevius perstringit. Ceterum plane et perspicue haec disputatio scripta est, neque usquam similem in modum sententiarum ordo perturbatus, atque illic factum esse monui ad *E* 2. 1027a 4 sqq.

1064b 23 *οὐδὲ μουσικὸν καὶ γραμματικόν.* Nihil desideraveris, si haec verba omissa sint, ut omittuntur ab Alexandro; sin retinentur in textu, mutanda vel supplenda quia sint aliquo modo, non est dubium. Itaque secutus vestigia cod. *T* edd. Ald. Sylb. Bess. scribendum proposui: *οὐδὲ εἰ μουσικὸν καὶ γραμματικόν.* Eundem in sensum, sed a vulg. lect. longius recedens, Schw. haec verba suppleri vult, recepta lectione libri *E* 2. 1026b 16: *οὐδὲ πότερον ἕτερον ἢ ταὐτὸν μουσικὸν καὶ γραμματικόν.* Sed utut haec verba probabiliter restitueris, ut possit enunciatio iuste construi, punctum post *γραμματικός* b 26 delendum, et part. *δὲ* vel delenda cum Alexandro, vel mutanda in *δή* videtur. — De ipso sophismate, cuius mentionem Ar. facit, dictum est ad *E* 2. 1026b 12 sqq.

1065a 7 *αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τοιαῦται οἷαί περ τοῦ καθ' αὑτὸ ὄντος*, i. e. *ὡρισμέναι*, cf. *E* 2. 1027a 6. — a 8 *ἔσται γὰρ ἅπαντα*, i. e. *ἦν γὰρ ἂν ἅπαντα*, cf. Obs. p. 62 sqq. — a 11 *τοῦτο δ' ἦν κατὰ συμβ.*, i. e. at positum erat, hanc rem quam necessariam esse modo demonstravimus, esse fortuitam. — a 14 *κἂν μὴ ὂν δὲ ἀλλὰ γιγνόμενον κτλ.* Antea rei praesentis, a 7—11, iam futurae rei adhibet exemplum. — a 21 *τὸ δ' ὡς ἀληθὲς ὄν*, quod e cod. *Ab* et Bess. recepi pro vulg. *τὸ δ' ὡς ἀληθῶς ὄν*, constanti Ar. usu firmatur. Deinde pro vv. *καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός* simplicissimum qui-

m est scribere, quod proxime sequentia requirunt verba: ὶ τὸ κατὰ συμβ. Sed haud scio an in part. μή gravior teat corruptela, siquidem saepissime inter se coniuncta sunt ὡς ἀληθὲς ὄν et τὸ μὴ ὂν ὡς ψεῦδος, *E* 2. 1026a 35. 1027b 18. Θ 10. 1051b 33. — a 24 ἔξω, cf. *E* 4. 1028a 2. - a 26 ἄτακτα καὶ ἄπειρα τὰ αἴτια, cf. *E* 4. 1027b 34: τὸ αἴτιον τοῦ μὲν ἀόριστον.

PARS POSTERIOR, 8. 1065a 26—12.

Huius posterioris partis quae sit natura et indoles, expositum est in prooem. p. 22. Eam interpretari non est huius loci; sententiarum enim quae sit vis ac ratio, ibi est exponendum, ubi ipse philosophus eas iusto et continuo ordine explicuit, nec vero ubi ab epitomatore nescio quo temere quaedam excerpta sunt. Sufficiet igitur paucis significasse, quibus locis adhibito Physicorum textu vulgatam lectionem emendandam putaverim; praetermittam autem eas emendationes, quas Obs. p. 79—83 proposui.

8. 1065a 30 ἡ τύχη δ' αἴτιον κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του γιγνομένοις. Non debebat Schw. haec verba tentare, qui vel omitti v. γιγνομένοις vel mutari in γιγνομένων vel articulum τῶν deleri iubet. Quem adhibet locum Physicorum II 5. 196b 30 ad confirmandam extremam ex his coniecturis, ex eodem non tentanda esse haec verba manifestum est. Duplex enim est genus τῶν ἕνεκά του γιγνομένων, quorum alterum complectitur ea, quae κατὰ προαίρεσιν sive ἀπὸ διανοίας, alterum quae per naturam fiunt; cf. Phys. 196b 19: ἔστι δ' ἕνεκά του ὅσα τε ἀπὸ διανοίας ἂν πραχθείη καὶ ὅσα. ἀπὸ φύσεως et ad Θ 8. 1050a 7. Iam τύχη, ubi accurate distinguitur a ταὐτομάτῳ, eo in genere habet locum, quod a voluntate et consilio suspensum est. Hoc igitur dicit Ar. verbis supra positis: ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβ. ἐν τούτοις τῶν ἕνεκά του γιγνομένων, ὅσα γίγνεται κατὰ προαίρεσιν. Cf. Phys. 197a 5: ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του.

CAP. IX.

1065*b* 9. Pronomen ὅ ante οὐδ', quod praeter textum Phys. codd. *ET* habent, prorsus necessarium est apta ut exsistat sententia, cf. *Λ* 4. 1070*b* 1. — *b* 10. Et hoc loco et infra aliquoties, veluti 1066*a* 20, 27—32, eam recepi aptiorem verborum distinctionem, quam ipse Bekkerus in Physicis instituit. — *b* 18, 21. Vix mutatis textus literis lectionem Physicorum manifesto veram restitui. — *b* 22 ἡ δὴ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια. Subiectum enunciati, ἐντελέχεια, h. l. non minus exhibendum videtur, quam paullo infra *b* 33: ἡ τοῦ δυνατοῦ ᾗ δυνατὸν ἐντελέχεια κίνησίς ἐστι. cf. *b* 25, 27. Phys. III 1. 201*a* 10. Quare quamquam et Metaphysicorum et Phys. codd. omnes hoc vocabulum omittunt, tamen non dubitavi illud ex edd. Ald. Sylb. et Bess. in textum recipere. De varietate lect., quae proximis ac verbis antiquitus obtinuit, cf. quae in utramque partem disputarunt Simpl. et Philop. Schol. p. 358*b* 42 sqq. — *b* 34 οὖν pro vulg. γάρ praeter textum Phys. exhibent cod. A*b* et Bess.; ac necessaria videtur part. οὖν, qua complectatur scriptor, quae antea exposuit.

1066*a* 3 ἣ γὰρ τοῦτό ἐστιν ἡ οἰκοδόμησις ἡ ἐνέργεια ἢ οἰκία. Ita sane et scripti et editi libri omnes, sed quomodo haec verba explicari possint, equidem non video. Schw. quod dicit ἡ ἐνέργεια esse subiectum, ἢ τοῦτο ἢ οἰκία praedicatum enunciati, et ἡ οἰκοδόμησις appositionis loco ad τοῦτο additum esse, aptam ille quidem sententiam assecutus est; sed ea explicatio vereor ut propter collocationem verborum ferri possit. Conferendus potius is Physicorum locus, quem epitomator expressit 201*b* 20: ἣ γὰρ οἰκοδόμησις ἡ ἐνέργεια τοῦ οἰκοδομητοῦ ἢ ἡ οἰκία. Inde probabile videtur, epitomatorem pro nom. τοῦ οἰκοδομητοῦ scripsisse pron. τούτου: ἣ γὰρ τούτου ἐστὶν κτλ. Hac ductus ratione τούτου in textu posui. — *a* 31 Articulus ἡ, quem praeter Phys. cod. *E* exhibet, non videtur omitti potuisse in subiecto enunciati.

CAP. X.

1066b 3 *αὐτὸ τὸ ἄπειρον*, quod pro vulg. *αὐτοῦ τὸ ἄπειρον* praeter textum Phys. etiam codd. *ET* exhibent, prope necessarium est, ut iusta exsistat enunciati conformatio hunc in modum: *εἰ τὸ ἄπειρον μήτε μέγεθός ἐστι μήτε πλῆθος, ἀλλ' αὐτὸ τὸ ἄπειρον οὐσία ἐστί κτλ.* — b33 *ὥστε εἰ τὸ ἄπειρον σῶμα πάντῃ ἔσται ἄπειρον.* Transponendo adiectivo *ἄπειρον* post *σῶμα*, ut praedicati locum habeat, sanandum quispiam putet hunc locum manifesto corruptum: *ὥστε εἰ τὸ σῶμα ἄπειρον, πάντῃ ἔσται ἄπειρον*, sed faciliorem medelam praebent codd. *ET* et Phys. omissa part. *εἰ.*

1067a 22. Comma, quod in Bekk. ed. post *ἀδύνατον* positum est, omisi, ut a vv. *καὶ τὸ πᾶν* ordiri apodosin appareat. Et hoc loco et supra, a13, ponendo interrogationis signo post *τόπον*, et 1066b 35 omittendo commate post *τινες*, eam putavi distinctionem recipiendam, quam in Phys. Bekkerus exhibuit. — a25. Particulam *ἢ* post *ἥμισυ* omittendam esse et ex sententiae ratione et e textu Phys. apertum est; sed utrum omnino verba, quae in Phys. leguntur, longe illa quidem aptiora, restituenda, an ab epitomatore ipsum locum male mutatum putemus, incertum est iudicium.

CAP. XI.

1067b 6 *ἔστι δὲ* [*τι*] *καὶ ἐπὶ τοῦ κινοῦντος ὡσαύτως.* Omittendum est cum Bess. et Phys. pron. *τι.* Hanc enim oportet enunciati esse sententiam: eadem est ratio rei moventis. Addi facile potuit *τι* propter similitudinem et superioris et inferioris enunciati, b4, 8. — b6 *κινεῖ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς τὸ μὲν κατὰ μέρος τὸ δὲ καθ' αὐτό.* Haec Brand. et Bekk. lectio omnem perturbat sententiarum ordinem; quam ergo restitui vett. edd. lectionem, eandem confirmat Phys. auctoritas. — b8 *ἔτι ἐν ᾧ χρόνῳ.* Reliqui in textu hanc lectionem, quia ferri certe potest, quamquam longe est verisimilius, scribendum esse e Phys.: *ἔτι ἐν ᾧ, ὁ χρόνος*, cf. Obs. p. 82. — b21 *ὅτι οὐκ ἀντίθεσις.* Satis inepte epitomator scripsit, si ipse haec verba h. l. posuit; ponenda sunt post *μεταβολή* b20, ut deinde confirmentur allatis singulis

oppositionis generibus: *οὔτε γὰρ κτλ.*, cf. Phys. V 1. 225^a 10: *ἡ γὰρ οὐκ ἐξ ὑποκειμένου εἰς μὴ ὑποκείμενον οὐκ ἔστι μεταβολὴ διὰ τὸ μὴ εἶναι κατ' ἀντίθεσιν· οὔτε γὰρ ἐναντία οὔτε ἀντίφασίς ἐστιν.*

CAP. XII.

1068^a 11 *ἔστι γὰρ θατέρου μηθὲν μεταβάλλοντος ἀληθεύεσθαι θάτερον μηθὲν μεταβάλλον.* Haec quidem manifesto corrupta; sed nec Phys. textus, in quo prius *μηθὲν* omittitur, sanus videri potest; neque enim verum est, in rebus relativis, si altera mutata sit, alteram, licet mutata non sit, vere etiamtum posse praedicari; mutata enim ipsa est relatio. Immo propterea non alia nisi accidentalis mutatio tribui potest rei relativae, quia, licet mutata non sit, tamen et ipsa afficitur mutatione alterius rei, ad quam refertur. Itaque addendam ante *ἀληθεύεσθαι* negationem *μή* apte coniecit Schw., quae coniectura non solum per lect. cod. A^b sed etiam ex comment. Simpl. Schol. 397^b 12 confirmari videtur. — ^{a}25. Aptiora quidem sunt, quae Phys. exhibent: retinui tamen vulgatam lectionem, quoniam ferri potest.

1068^b 1—4. Turbatum antiquitus Phys. etiam h. l. textum esse, quum iterata eadem verba librarios in errorem traherent, Graeci interpretes testes sunt, cf. Schol. 398^a 25. Et posterior quidem argumentationis pars: *εἰ δὴ — τότε γιγνόμενον* rectius in hoc excerpto tradita est quam in Physicis, ut deleto commate post *τοῦτ'* genuinam scripturam possimus videri restituisse. In priore autem parte non sufficit cum cod. *E* et Phys. codd. prope omnibus articulum *τό* post *ἦν* omittere, ut *γιγνόμενον* pro praedicato habeatur, sed videtur praeterea pro vulg. *γιγνόμενον ἢ γενόμενον*, vel quod in Phys. exhibetur *γιγνόμενον καὶ γιγνόμενον*, scribendum *γ ι γ ν ό μ ε ν ο ν γ ι γ ν ό μ ε ν ο ν*, cf. ^{b}8: *τὸ γιγνόμενον ὅταν γί-γ ν η τ α ι* (Phys. *γίγνηται*) *γ ι γ ν ό μ ε ν ο ν.* Dictum autem est *γιγνόμενον γιγνόμενον* eadem significatione ac *γένεσις γενέσεως, μεταβολὴ μεταβολῆς* et similia.

Λ.

PARS PRIOR.

Prior et posterior huius libri partes quantum et disputandi ratione et dicendi genere differant, expositum est prooem. p. 23.

CAP. I.

1) ***Quaeritur de substantia. Substantia rerum omnium prima est,*** 1069^a 18—30.

Quo spectet universa haec disputatio, primis significat verbis: *περὶ τῆς οὐσίας ἡ θεωρία*, substantiarum autem varia quum sint genera, ad immobilem potissimum et aeternam substantiam hanc pertinere quaestionem, perstrictis leviter (c. 1—5) substantiis motui et mutationi obnoxiis, ex iis quae infra dicit, 1069^b 1, 6. 1071^b 3, apparet, cf. prooem. p. 23 sqq. Significat autem disputationis consilium ita, ut non videatur ad aliud quidpiam, quod antea expositum sit, respicere, proximis enim verbis, cur de substantia quaerendum sit, comprobat. Nimirum propterea investiganda est substantia, quia, quidquid de universitate rerum cogitaveris, substantiae utique primus est locus assignandus. *καὶ γὰρ εἰ ὡς ὅλον τι τὸ πᾶν, ἡ οὐσία πρῶτον μέρος*: obscurius haec dicta ut recte interpretemur, reputandum est, voc. *ὅλον* Ar. fere significare id, quod per certam formam definitum ac consummatum est (cf. *I* 1. 1052^a 22: *τὸ ὅλον καὶ ἔχον τινὰ μορφὴν καὶ εἶδος. Δ* 6. 1016^b 12: *ἂν μή τι ὅλον ᾖ, τοῦτο δὲ ἂν μὴ τὸ εἶδος ἔχῃ ἕν. M* 2. 1077^a 28. 8. 1084^b 30), adeo ut vel ipsam per se formam eodem nomine designet (cf. *H* 6. 1045^a 10, ubi opponitur *σωρός*, et ad *Δ* 25. 1023^b 20). Illam si tenemus vocabuli vim, hoc videtur Ar. dicere: si universitatem rerum cogitamus esse quasi totum aliquod corpus, definita per formam materia, substantia, nimirum *ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία* (cf. ad *A* 6. 987^b 21), sive forma, prima esse pars putanda est. Etenim *τὸ εἶδος πρότερον τῆς ὕλης καὶ μᾶλλον ὄν*, *Z* 3. 1029^a 6; forma autem et materia quod partes (*πρῶτον μέρος* ^{a}20) dicuntur esse rei definitae et

concretae, cf. *Δ* 25. l. l. — Sin autem, ait Ar. *a*20, singularum categoriarum seriem quandam esse ponimus (*καὶ εἰ τῷ ἐφεξῆς*), etiam sic substantia principem locum obtinet: reliqua omnia ex substantia suspensa sunt et ex ea demum id sibi repetunt, ut esse dicantur, nec simpliciter ac per se (*ἁπλῶς*) esse possunt. (*a*21 *ἅμα δ' οὐδ' ὄντα ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς ταῦτα, οἷον ποιότητες καὶ κινήσεις, ἢ καὶ τὸ οὐ λευκὸν καὶ οὐκ εὐθύ.* Haec verba ita exhibui, ut Alex. ea se habuisse diserte testatur p. 642, 20, praeterquam quod *ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς* vulgato ordine retinui. Vulgo pro *ταῦτα, οἷον* exhibetur *τἆλλα ἀλλά* et *ᾗ* pro *ἤ*. Et hoc quidem ipsum facit ut praeferenda sit Alex. lectio; *ᾗ* enim non potest aliter nisi hunc in modum explicari: quae praeter substantiam sunt, ea non simpliciter, sed quodammodo esse dicuntur, eodem modo, quo etiam non-album vel non-rectum esse perhibetur. At hanc explicationem admodum esse contortam facile concedet, qui reputaverit relativum *ᾗ* non statim post *ἁπλῶς* poni, sed inseri: *ἀλλὰ ποιότητες καὶ ποσότητες*, quae ad verba, si ipsam enunciati conformationem sequeris, debet referri *ᾗ*, sin sententiam respexeris, non potest. Quodsi particulam *ἤ* ex Alex. receperimus, inde consequens est, ut in superioribus etiam verbis eius lectionem sequamur, quum per se utraque habeat quo defendatur). Quin ea est substantiae vis, ut vel ea, quae certum quidpiam non sunt, veluti non-album, quoniam inhaerent substantiae, esse dicantur. Praeterea substantiam principem tenere locum et potissimum indagandam esse, veteres iam philosophi ipsa re testantur, quaerentes de substantiae principiis, *a*25. Et hodierni quidem philosophi (*οἱ νῦν a*26, i. e. Platonici, quos enim alios Alex. p. 643, 16 intelligi velit non video), quoniam in notionibus cognoscendis omnem operam ponunt (*λογικῶς*, cf. ad *Γ* 3. 1005*b* 22. *Α* 6. 987*b* 3: *Σωκράτους περὶ ὁρισμῶν ἐπιστήσαντος πρῶτον τὴν διάνοιαν.* *Θ* 8. 1050*b* 33: *οἱ ἐν τοῖς λόγοις*, i. e. Platonici, cf. ad h. l.), notionibus universalibus tribuendam putant substantiae dignitatem; veteres autem philosophi non universalem corporis notionem (*τὸ κοινὸν σῶμα a*30, *κοινόν* i. q. *καθόλου*, cf. *Z* 13. 1038*b* 11. 16. 1040*b* 23 sqq. *I* 2. 1053*b* 19. al.), sed singula corpora et ea quidem simplicissima substantias esse censuerunt.

Quae in hac parte disputationis exposita sunt, ea omnia superioribus iam in libris leguntur, quos, si tum iam fuissent scripti, respici ab Ar. consentaneum erat, cf. *Z* 1. 2. 4. 1030a 25. *Γ* 1.

2) *Substantiarum genera tria distinguuntur*, 1069a 30—b2.

Substantiarum primum duo distinguit genera, quorum alterum, communi omnium consensu comprobatum, res sensibiles contineat, alterum, quod et num sit et quale sit dubitatur, substantiam immobilem et sensibus exemtam. (De οὐσίαις ὁμολογουμέναις cf. ad *Δ* 8. 1017b 10. *H* 1. 1042a 7.) Et illud quidem genus in duas distinguit species, siquidem sensibilium rerum eae quae sunt terrestres nascuntur et intereunt, coelestia autem corpora aeterna sunt, cf. ad *Δ* l. l. et ad *A* 9. 990b 8. De immobili autem substantia quas distinguit diversas sententias, eas omnes Platonicorum esse, nec postremas duas Pythagoreorum (quae Alexandri est opinio, p. 644, 4), et propter ipsum voc. Platonicum εἴδη consentaneum est, et confirmatur coll. *Z* 2. 1028b 24 sq. *M* 9. 1086a 2 sqq. Sensibiles substantias indagare, quoniam quae sunt sensibilia eadem sunt mobilia (cf. ad *E* 1. 1026a 3), physicae est disciplinae, cf. *E* 1. 1026a 12. *K* 7. 1064a 15; immobilem substantiam cognoscere, alius est quaestionis, nimirum primae philosophiae (cf. *E*, *K*, l. l.); in ea potissimum se nunc versaturum, quamquam non diserte dicit, eo tamen significat, quod de rebus sensibilibus breviter modo, tamquam prooemii loco, disserit.

1069a 30 οὐσίαι — 33 πολλά. Quae vulgo exhibentur, magnopere videntur depravata esse per errorem librariorum; neque enim ferri possunt iterata haec verba: ἡ μὲν ἀΐδιος — ἡ δὲ ἀΐδιος, neque vv. ἣν πάντες ὁμολογοῦσιν posita esse possunt post φθαρτή, quoniam ille consensus ad utrumque pertinet rerum sensibilium genus, cf. *Δ*, *H*, l. l. Propterea scribendum suasi Obs. p. 104 secutus Alex. commentarium: οὐσίαι δὲ τρεῖς, μία μὲν αἰσθητή, ἣν πάντες ὁμολογοῦσιν, ἧς ἡ μὲν φθαρτή, οἷον τὰ φυτὰ καὶ τὰ ζῷα, ἡ δ' ἀΐδιος, ἧς ἀνάγκη κτλ., quae coniectura etiam Themistii paraphrasi videtur commendari, quantum ex Latina eius

interpretatione licet colligere. Sed manet etiam sic ea difficultas, quod pron. ἧς a 32 ad utrumque sensibilium rerum genus referendum est (cf. Alex. p. 644, 4), quamquam per collocationem verborum unice ad genus aeternum videtur referri.

1069b 1 εἰ μηδεμία αὐτοῖς ἀρχὴ κοινή. Positum hoc est in quaestionibus libri *B*, utrum mutabilium et aeternarum rerum eadem sint principia, *B* 4. 1000a 5, *K* 2. 1060a 27, sed eam quaestionem respici h. l., Ar. nullo verbo significat.

CAP. II.

3) ***Mutatio ut possit esse ponenda est materia***, 1069b 3—34.

Quae de materia ad explicandam mutationem necessaria et de diversis mutationis generibus hoc capite significat, eadem multo uberius et diligentius exposita legimus Phys. I 6—9. V 1. 2. de gen. et corr. I 2—5; hoc enim loco quaestionem adeo primis modo lineis adumbravit, ut singulas partes neque ipsas elaboraverit, neque inter se coniunxerit.

a) *b* 3—24. Omnis mutatio versatur inter opposita ea quae sunt eidem generi subiecta, h. e. inter contraria (hoc enim significant vv. ἀντικειμένων δὲ μὴ πάντων, οὐ λευκὸν γὰρ ἡ φωνή, i. e. vox dici quidem potest non-album, sed non ex hoc non-albo fit aliquid album, sed ex colore nonalbo, igitur ἐκ τοῦ ἐναντίου, quod nimirum eiusdem est generis, cf. *I* 7); atqui contrarium nec manet alterum, si alterum exsistit, nec transit alterum ad alterum; ergo ad mutationem, sive ea est essentiae, sive qualitatis, sive quantitatis, sive loci, requiritur quae ei subiiciatur materia. (Μεταβολῆς quatuor genera ubique distinguit Ar., cf. *H* 1. 1042b 32 *N* 1. 1088a 31, κινήσεως tria, omissa generatione et interitu cf. Phys. II 1. 192a 13. IV 7. 214a 26. V 1. 225b 7. VII 2. 243a 6. VIII 7. 260a 26. de coel. IV 3. 310a 23. de an. I 3. 406a 12; quatuor autem ubi distinguit κινήσεως genera latiore sensu hoc nomen usurpavit, ut idem sit ac μεταβολή, cf. Phys. III 1. 200b 32. 201a 12. VIII 7. 261a 27. Prantl Symb. crit. p. 6 sqq.) Ac materia quidem mutatur, utpote potentia ad utrumque e contrariis pariter apta, cf. ad *H* 1

)42a 27. Ita quidquid fit, ἐκ δυνάμει ὄντος εἰς ἐνεργείᾳ ν transit (Phys. III 1. 201a 10), vel ἐκ δυνάμει τοιοῦδε ὄν- ος εἰς ἐνεργείᾳ τοιόνδε, et pariter in reliquis mutationis ge- eribus, b 17. Inde omnia dici possunt fieri ἐκ μὴ ὄντος, uatenus ei, unde fiunt, accidit (κατὰ συμβεβηκός b 18) ut on id sit quod fit, cf. Phys. I 8. 191b 13 et ad Z 3. 1029a 5; sed eadem fieri recte dicuntur ἐξ ὄντος, nimirum ἐξ ντος δυνάμει. Hanc sive potentiae sive materiae notionem, uae in explicanda mutatione principem sibi locum vindicat Phys. I 8. 191b 34), non assecuti quidem sunt veteres phi- osophi, sed divinarunt tamen. Etenim Anaxagoras quod ınitatem posuit, ex qua, quum coniuncta omnia complecta- ur, ratio postea res discernat (cf. ad Α 8. 989a 30 sqq.), Empedocles quod μῖγμα (cf. ad Β 4. 1000a 26), Anaximan- der quod infinitum (cf. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 77) rebus sin- gulis ac definitis subiecit, Democritus denique quod ubique et ens et non-ens atque ita simul omnia esse contendit (cf. Γ 5. 1009a 27), obscuram quandam attigerunt materiae ima- ginem. — Extrema verba b 23: δυνάμει, ἐνεργείᾳ δ' οὔ, licet Alex. et Ioannes Phil. δυνάμει ad verba Democriti referant et idem Trendel. de an. p. 318 et Mullach Democr. fr. p. 209, 337 fieri velint, commate a superioribus seiunxi. Id enim ipsum dicit Ar., veteres philosophos non assecutos illos qui- dem esse ipsam materiae vel potentiae notionem (hae enim prope ad idem redeunt, cf. ad Θ 7. 1048b 37), sed si quis eorum placita diligentius excusserit (cf. Α 8. 989a 30 sqq.), posse in iis obscura quaedam earum vestigia inveniri. Ita- que probabile non est, Ar. ipsum δυνάμεως nomen apud Democritum invenisse, sed, quae eius est consuetudo, suum vocabulum ad explicanda aliena placita adhibuisse, cf. Zel- ler Ph. d. Gr. I. p. 205. Jahrb. d. Gegenw. 1843. p. 132.

b) b 24—26. Quaecunque mutantur materiam habent sub- iectam, sed sua cuique mutationis generi materia propria est, ea nimirum, quae ad hanc mutationem apta est, veluti γενέσει subiecta est materia generando obnoxia, φορᾷ ma- teria loco mutando apta et similiter reliquis. Cf. 7. 1072b 5. Η 1. 1042a 34. Phys. II 2. 194b 8: ἔτι τῶν πρός τι ἡ ὕλη· ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη.

1069b 25 ἀλλ' ἑτέραν. Quod Obs. p. 125 scribendum

proposui: ἀλλ' ἕτερα ἑτέραν, Schw. ad h. l. necessarium non esse putat, quia ἕτερον ipsum per se significet varium vel diversum (»*in sich verschieden, verschiedenartig*«). Sed quos ad confirmandam eam significationem affert locos *Α* 9. 991*b* 10. *Η* 4. 1044*a* 30. *Ι* 9. 1058*b* 16, ii parum videntur idonei esse.

c) *b* 26—32. Aliam viam brevissime et subobscure significat, qua eo perveniamus, ut ex materia, quae potentia aliquid est, rem actu exsistentem fieri intelligamus. Id quod fit fieri ex non-ente pro concesso ponatur; iam tres distinguantur non-entis significationes; inde unice eam, quae materiam potentia instructam denotat, ad explicandam mutationem idoneam esse apparebit. Hanc conclusionem divinationi magis legentium permittit (εἰ δή τί ἐστι δυνάμει *b* 28) quam diserte explicat, nec quas velit esse tres non-entis significationes exponit. Themistius p. 3 haec habet: Non-ens autem tribus modis dicitur, uno modo quod penitus non est altero ut privatio rei ortae opposita, tertio quod potentia est. Alexander quod de prima ac tertia significatione consentit, pro secunda autem ponit τὸ μὴ ὂν ὡς ψεῦδος p. 647, 6 rectius iudicasse videbitur conferenti *Θ* 10. 1051*a* 34. *Ν* 2. 1089*a* 26. *Ε* 2. 1026*a* 32. — Sed si constat omnia fieri ex materia, tamen non e qualibet materia quidlibet generatur. et errant, qui simpliciter posita materia itemque simplice causa, quae discernat materiam, rerum varietatem sibi videntur explicuisse. Veluti in Anaxagorae doctrina, qualem Aristoteles certe paullo ante significavit, si una est materia una mens quae eam definiat, non universitas rerum, sed unice ἐκεῖνο ἐγένετο ἐνεργείᾳ οὗ ἡ ὕλη ἦν δυνάμει *b* 31 (nisi potius scribendum est: ὃ ἡ ὕλη ἦν δυνάμει, quamvis et codd. et Alex. invitis; vulgata enim verba non video quomodo construi grammatice possint). Forma enim ubi una eademque est, diversitas repetenda est e materia, 8. 1074*a* 33 *Ζ* 8. 1034*a* 7.

d) *b* 32—34. Ex universa huius capitis disputatione concludit tria esse rerum mutabilium principia, formam privationem materiam; cf. Phys. I 6 sqq.

CAP. III.

4) ***Nec materia prima nec forma prima generatur*, 1069b 5 — 1070a 4.**

Materiam primam non generari, sed generandi esse prin- ıpium demonstrat Phys. I 9. 192a 27 — 34, de forma idem omprobat *Z* 8. 1033. Neutram disputationem hoc loco re- ɔicit, sed breviter modo significat, in infinitum fore pro- rediendum, si haec principia et ipsa fieri posuerimus. — 'ria requiri in omni generatione, *τὶ* (h. e. *ἐξ οὗ*), *ὑπό τι- ος*, *εἴς τι*, cf. *Z* 7. 8. — b35 *μετὰ ταῦτα ὅτι*, i. e. *μετὰ αῦτα λέγειν δεῖ ὅτι*, cf. prooem. p. 24.

5) ***Quae generantur omnia generantur e substantia sibi ognomine*, 1070a 4 — 9.**

Idem uberius explicat *Z* 7. 9. Nec solum nimia brevi- ate et obscuritate hic locus ab illa disputatione differt (et- nim *τὸ γίγνεσθαι ἑκάστην οὐσίαν ἐκ συνωνύμου* uno exem- lo rei naturalis illustrat, solenni illo hac in re, *ἄνθρωπος ἀρ ἄνθρωπον γεννᾷ* a8, cf. ad *Z* 7. 1032a 25, nec rerum rtificialium generationem explicat), sed etiam eo quod ge- ıeratione fortuita ac spontanea facilius defungitur. Illic nim exponit in rebus fortuitis ac spontaneis eandem quo- lammodo esse generandi rationem atque in iis quae natura el arte conficiuntur, 1032b 23, hic vero satis habet, *τὴν ύχην* et *τὸ αὐτόματον* privationes dicere naturae et artis, ıt de iis disserere nihil opus videatur. — Artis et naturae ıuod h. l. statuit discrimen, idem alibi potentiae et naturae tatuit, cf. ad *Θ* 8. 1049b 8; nimirum cohaerent inter se ar- is et potentiae notiones, cf. *E* 1. 1025b 22. 2. 1027a 6. *Z* 8. 1033b 8. Quid inter se differant *ἡ τύχη* et *τὸ αὐτόματον*, expositum est Phys. II 4 — 6, unde colligas Ar. *τὴν τύχην* licere voluisse privationem quandam artis, *τὸ αὐτόματον* privationem naturae, cf. ad *K* 8. 1065a 30. — a5 *τὰ γὰρ φύσει οὐσίαι καὶ τἆλλα.* Haec verba si grammaticam eo- rum rationem spectamus non possunt aliter explicari, nisi ut τὰ *φύσει* et *τἆλλα* subiecti, *οὐσίαι* praedicati locum habeant; ita coniungentur artissime cum verbis *ἑκάστη οὐσία*, et eam fere habebunt sententiam, quam Alex. in priore huius loci

interpretatione explicuit p. 648, 32: οὐ μόνον τὰ φύσει γινόμενά εἰσιν οὐσίαι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἄλλα ἤτοι τὰ ὑποκείμενα ταῖς τέχναις οὐσίαι εἰσίν. Obscuritas verborum non tam ex brevitate dicendi orta est, quam inde quod indefinite τἆλλα dixit, quo vocabulo quae res significentur proximo demum ex enunciato divinari potest. — a8 ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. Referenda haec esse ad confirmandam superiorem enunciationem a4: ἑκάστη ἐκ συνωνύμου γίγνεται οὐσία, vere Alex. monet p. 648, 30; transponenda autem esse illum in locum, quae Schw. est sententia, non arbitror. Etenim et multum negligentiae concedendum huic disputationi et, si transposita essent haec verba, non magis apte deinde diceretur: τὰ γὰρ φύσει κτλ., quae verba et ipsa ad ἑκάστη οὐσία referenda sunt.

6) ***Distinguitur materia, forma, res ex utraque concreta. Quaeritur num formae per se esse possint, et diiudicatur facta distinctione, quae causae priores sint effectis quae simul,*** 1070a 9—30.

a9 οὐσίαι δὲ τρεῖς. Iisdem verbis supra, 1. 1069a 30 partitionem substantiae longe diversam significavit. Illic enim ambitus notionis substantiae dividitur et diversa rerum genera distinguuntur, ubi quidem partiendi rationes sunt φθαρτόν ἄφθαρτον, κινητόν ἀκίνητον: hic vero in eadem re, et ea quidem mutabili, singulae distinguuntur substantiae notae atque et singulis his notis, materiae et formae, et ei quae ex utraque coaluit, rei concretae hoc tribuitur, ut pro substantiis habeantur, cf. ad *Z* 2. Materiam autem quod dicit esse τόδε τι, i. e. definitum quidpiam, aperte repugnat aliis locis, veluti *H* 1. 1042a 27: ὕλην δὲ λέγω ἣ μὴ τόδε τι οὖσα ἐνεργείᾳ δυνάμει ἐστὶ τόδε τι. *Z* 3. 1029a 20. 27. de an. II 1. 412a 7, ubi his ipsis verbis τόδε τι materia esse negatur. Sed addit certe quod eam definitionem laxet quodammodo et excuset, τῷ φαίνεσθαι, i. e. materia non re vera, sed imaginationi tantum est τόδε τι, quoniam potentiam habet τοῦ γίγνεσθαι τόδε τι. Ita obscurius idem videtur dixisse, quod *H* l. l. aptius definivit: δυνάμει ἐστὶ τόδε τι. (Conferri cum v. τῷ φαίνεσθαι etiam potest, quod ὁρισμόν materiae esse Ar. negat, *Z* 10. 1036a 8, et Plato eam ἁπτόν

λογισμῷ τινὶ νόθῳ dicit Tim. 52b. cf. Alex. p. 122, 25. Tr. de an. p. 325. Propter addita haec vv. τῷ φαίνεσθαι non possum assentiri Schweglero, part. μή ante τόδε τι de coniectura addenti.) Exempla materiae *a* 10: ὅσα γάρ ἐστιν ἁφῇ καὶ μὴ συμφύσει, petita esse apparet e partibus corporis, quae nondum ad totius corporis formam et unitatem coaluerunt, cf. *Z* 16. 1040*b* 6. — Forma autem, quae definiat materiam, φύσις vocatur *a* 11 ea huius nominis vi, de qua dictum est ad *Δ* 4. 1014*b* 35. *Z* 7. 1032*a* 23. Eadem forma appellatur τόδε τι, quoniam per formam materia, ut certum quidpiam sit, definitur, cf. *Z* 3. 1029*a* 27. Denique ἕξεως nomine quomodo potuerit forma significari, apparebit si reputaverimus eidem στερήσει et ἕξιν (cf. *Δ* 10. 1018*a* 34. 12. 1019*b* 6 sqq. *I* 4. 1055*a* 33) et εἶδος (*Λ* 2. 1069*b* 33. 4. 1070*b* 11) opponi; unde fit ut ἕξις et εἶδος tamquam synonyma inter se coniungantur *H* 5. 1044*b* 33: τοῦ μὲν καθ' ἕξιν καὶ κατὰ τὸ εἶδος ὕλη. — Ceterum haec verba ut aliquam habeant conformationem, vv. εἰς ἥν ponenda videntur post ἕξις τις.

Forma notione quidem distincta est et a materia et a re concreta; sed utrum re sit ab his seiuncta necne quaeritur. In rebus artificialibus non esse formam seiunctam ab ipsa re apparet (cf. *Z* 8. 1033*b* 19. *H* 3. 1043*b* 19), nisi quis artem, quae est forma rei artificialis sine materia (cf. *a* 30. 4. 1070*b* 33. *Z* 7. 1032*a* 32, *b* 11 sqq. 9. 1034*a* 24), seiunctam a re exsistere dicat; nec fiunt intereuntve formae rerum artificialium eundem in modum ac res concretae, cf. *Z* 8. 1033*b* 5. Quare si omnino ideae esse censendae sunt (εἴπερ *a* 17), recte Plato naturalium rerum finibus eas circumscripsit (cf. ad *A* 9. 991*b* 3), εἴπερ ἐστὶν εἴδη ἄλλα τούτων, οἷον πῦρ, σάρξ, κεφαλή *a* 19, i. e. siquidem omnino ideae statuendae sunt diversae ab his, quae aperte materiae loco habenda sunt, qualia sunt ignis caro caput. Haec enim omnia pro materia habenda sunt, et ea quidem substantia, quae optimo iure id nomen sibi vindicat, ἡ μάλιστ' οὐσία, i. e. ἡ ἄτομος οὐσία οἷον Σωκράτης Καλλίας (cf. Alex. 650, 27), subiectam sibi habet ultimam i. e. proximam rei definitae, materiam, cf. *Z* 10. 1035*b* 30: καθ' ἕκαστον δ' ἐκ τῆς ἐσχάτης ὕλης ὁ Σωκράτης ἤδη ἐστίν, καὶ ἐπὶ τῶν ἀλ-

λων ὁμοίως, et ad h. l. — Verba *οἷον πῦρ* — *τελευταῖ* Alexander, cui non debebam assentiri Obs. p. 131, transposita esse putat librariorum incuria, quum suum habeat locum post *ὑποκείμενον* a 11. Non nego apte illic ea fore posita, sed quum possint certe intelligi hoc loco tamquam exemplum rerum materialium, a quibus ideae distinguantur dubitaverim, quae est huius libri ratio, quidquam tentare.

Hucusque in medio Ar. reliquit, utrum formae seorsim per se sint necne, dirimit autem eam quaestionem addita per particulam *οὖν* subsumtione syllogismi: *τὰ μὲν οὖν κινοῦντ* — *ἅμα* a 21. Quum causae moventes praecedant tempore id quod movetur et efficitur, notio vero et forma simul cum re sit, nec rationem habemus, cur formam seorsim esse statuamus, neque opus est hac hypothesi ad explicandam generationem, cui sufficiunt causae moventes, cf. *H* 6. 1045b 17 sqq. — Simul esse causam formalem cum ipsa re exponit Anal. post. II 12. Utrum quaedam formae tempore superent eam quacum coniunctae erant materiam, ad aliam quidem reiicit disputationem (*σκεπτέον* a 25), sed significat tamen partem quandam animae, *τὸν νοῦν*, per se et seiunctam a corpore exsistere ac propterea immortalem esse. Accuratius distinguens in libris de anima non omnino *τὸν νοῦν*, sed *τὸν ποιητικὸν νοῦν* confirmat immortalem et a corporis communione immunem esse. Cf. praeter ea quae ad *E* 1. 1026a 5 adnotavi, de an. III 5. 430a 17: *καὶ οὗτος ὁ νοῦς* (*ὁ ποιητικός*) *χωριστὸς καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀμιγὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.* — *χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός* II 2. 413b 26. Trend. de an. p. 491 sqq. Zeller Ph. d. Gr. II p. 497.

Ex hac universa disputatione apparet (*φανερὸν δή* a 27) ad generationem certe et mutationem explicandam (*διά γε ταῦτα*) non opus esse poni ideas, cf. ad *Z* 8. 1033b 26: et quae naturalium rerum est ratio, ut non ex universali formarum notione sed ex singulis rebus vere exsistentibus singulae res procreentur, eadem etiam est rerum artificialium a 29, quae a suo quaeque artifice, formam rei apud animum destinante, efficiuntur, cf. ad a 14.

CAP. IV.

7) *Diversarum rerum diversa quidem sunt elementa, quodammodo tamen omnium rerum eadem sunt elementa,* 1070*a* 30—*b*21.

Singulas res si consideramus unde quibusque ex causis oriantur, diversae sunt diversarum rerum causae; sin universali notione causas complectimur (ἂν καθόλου λέγῃ τις *a* 32) et quae sit mutua earum ratio ac similitudo quaerimus (κατ' ἀναλογίαν, cf. ad *Θ* 6. 1048*b* 7), eadem sunt rerum omnium principia et causae. Illam propositionem comprobat Ar. *a*33—*b*10, hanc alteram exemplis illustrat *b*10—21.

a) *a*33—*b*10. Demonstraturus non esse rerum omnium eadem principia et elementa, a diversitate categoriarum proficiscitur, et diversa haec genera non posse ex iisdem principiis repeti duobus argumentis comprobat, *a*36—*b*4, *b*4—10, ubi quidem reliquarum praeter substantiam categoriarum quoniam eadem fere est ratio, *a*35, satis habet unum relationis genus, apertissime illud quidem distinctum a substantia (cf. ad *Α* 9. 990*b* 20), pro exemplo posuisse. Ac primum quidem hunc in modum argumentatur. Ponamus substantiam et relationem et reliquas perinde categorias ex iisdem constare elementis. Iam hoc commune omnium elementum aut diversum esse oportet a categoriis aut unam alteramve ex ipsis categoriis esse. At non potest diversum esse a categoriis, quoniam quaecunque sunt sub unum ex summis illis generibus cadunt, neque ullum genus (κοινόν *b*2) praeter illa reperiri potest, *b*1: παρὰ γὰρ τὴν οὐσίαν κτλ., cf. *Δ* 28. 1024*b* 15. *K* 9. 1065*b* 8. Phys. III 1. 200*b* 34. An. post. I 22. 83*b* 15. Trend. Kat. p. 149. Nec vero una ex categoriis reliquarum potest esse elementum; neque enim substantia relationis vel alius categoriae est elementum, *b*3 (nimirum, quod supplendum cogitatione videtur, quia quidquid ex substantiis constaret, et ipsum esset substantia, cf. *Z* 13. 1038*b* 18), neque relatio substantiae, quia πρότερον τὸ στοιχεῖον ἢ ὧν ἐστὶ στοιχεῖον *b*2, omnes autem categoriae posteriores sunt substantia, cf. *Z* 13. 1038*b* 27. — Priorem huius argumentationis partem paullo immutatam deinde tamquam novum addit argumentum, *b*4—10. Elementa sua natura diversa oportet

esse ab ea re, quae inde conficitur, veluti literae diversae sunt a syllaba ex iis composita, cf. *Z* 17. 1041*b* 12. Ergo si communia essent categoriarum omnium elementa, consequens esset (ἔσται *b*8, fut. conditionale, cf. Obs. p. 62) ut nullum ex his elementis (αὐτῶν *b*9, i. e. τῶν στοιχείων *b*5) vel substantia esset vel relativum. At hoc necesse est, quia extra haec genera cadere nihil potest, cf. ad *b*1. Ergo non sunt eadem rerum omnium elementa. — Huic argumentationi interponit, *b*7 οὐδὲ δὴ — 8 συνθέτων, ex hac elementorum ac rerum inde confectarum diversitate colligi posse, non esse unam e rebus cogitabilibus commune omnium elementum, veluti τὸ ὄν vel τὸ ἕν, quia quidquid ex his componitur, et ipsum ens est et unum; cf. eandem argumentationem uberius expositam *B* 3. 998*b* 22 et ad h. l. Interposita haec verba esse tamquam in parenthesi, attentum lectorem vix potest fugere; etenim non esse ens vel unum commune rerum omnium elementum, plene his verbis comprobat, et directa illud quidem argumentatione; proximis autem in verbis indirecta argumentatione utitur, ostendens, quid esset consecuturum, nimirum si poneremus communia quaedam esse categoriarum elementa, observata simul illa elementi et rei inde ortae diversitate. Propterea non possum assentiri Alexandro et Schw., qui haec verba *b*8: οὐθὲν ἄρ' ἔσται coniungunt cum iis quae proxime antecedunt, et αὐτῶν interpretantur τῶν συνθέτων *b*8.

*b*3 Articulum τὸ cur omiserim, exposui Obs. p. 53. — *b*7 στοιχεῖον Schw. cum cod. *E* et Alex. mutari iubet in στοιχείων. Sed neque Alexandrum legisse στοιχείων satis certum est ex eius commentario, p. 652, 28, neque quae possit iusta esse enunciati conformatio recepta hac lectione perspicio. Nimirum vulgata ita videtur accipienda: οὐδὲ δὴ τῶν νοητῶν τι στοιχεῖόν ἐστιν.

b) *b*10—21. Quod hucusque demonstravit non esse omnium rerum eadem elementa, iam artiores in fines restringit (ἢ *b*11, de qua part. cf. ad *Z* 4. 1029*b* 29; ὥσπερ λέγομεν, cf. *a*32), ut quodammodo eadem omnium esse doceat, siquidem cuiusvis rei elementa aut formae aut privationis aut materiae sub genus cadunt. Formae exempla adhibet λευκόν, φῶς, θερμόν, privationis μέλαν, σκότος, ψυ-

ρόν, materiae ἐπιφάνεια, ἀήρ, τὸ δυνάμει ταῦτα (int. θερμὸν καὶ ψυχρόν) πρῶτον καθ' αὑτό b 12, ubi quidem καθ' αὑτό cur sit additum apte Alex. p. 653, 28 explicat. Etenim album quidpiam potest illud quidem et calefieri et refrigerari, sed non per se ac suapte natura, verum quia corpori inhaeret, cuius ipsa natura ad recipiendum calorem et frigus idonea est. — b 15 ἕτερον γὰρ ἀνάγκη ἐκείνων εἶναι τὸ γενόμενον. Haec verba Alex. p. 654, 1 transponenda censet post πρός τι b 9, non illud quidem sine specie veritatis, sed dubito num necessario; potest enim his verbis confirmari (ἕτερον γάρ) quod non elementa solum, sed etiam distinctam ab iis rem, cuius sunt elementa (ταὐτά τε καὶ τὰ ἐκ τούτων ὧν ἀρχαὶ ταῦτα b 13), substantias esse dixit. — b 16, ubi Brand. et Bekk. ταὐτά exhibuerunt, lectionem codd. *E T* et edd. Ald. Sylb. ταῦτα restitui, quia ita demum apte sibi respondent invicem τούτων ταῦτα, ἄλλων ἄλλα, πάντων τῷ ἀνάλογον ταὐτά.

Universa hac disputatione, quae est de elementorum vel diversitate vel identitate, Alexander p. 651, 16 et Brandisius (über die Ar. Met. p. 24) respici putant eam dubitationem, quae proposita est *B* 4. 1000 a 5 eademque *K* 2. 1060 a 27. Quam sententiam cur non possim probare, dixi in prooem. p. 24 sq.

8) *Ad elementa tria tamquam quartum principium accedit causa movens*, 1070 b 22—30; *ea quomodo cohaereat cum forma rei exponitur* — 35.

Ab initio huius capitis universe de causis se disputaturum Ar. significat, utrum eaedem omnium sint rerum an diversarum diversae; sed ipsam quaestionem deinde arctioribus finibus circumscripsit, ut de iis unice causis ageret, quae insunt ipsi rei, i. e. de elementis, στοιχείοις (de notione στοιχείου, distincta a latiore ἀρχῆς et αἰτίας notione, cf. ad *Δ* 3 et *N* 4. 1092 a 6). Sed ut possit omnino esse generatio vel mutatio, ad elementa rei accedere oportet externam causam, nimirum (οἷον b 23, cf. ad *A* 4. 985 b 6) causam moventem. Ea causa motrix, perinde atque elementa, et diversa est diversis in rebus (cf. ἰατρική, οἰκοδομική b 28, 29) et, si communem modo naturam et indolem causae spectamus,

eadem omnibus in rebus. Itaque elementa rerum omnium sunt tria, causae quatuor, forma, privatio, materia, causa movens. A quatuor illis causis, quas plerumque Ar. enumerat, εἶδος, ὕλη, τὸ κινοῦν, τὸ οὗ ἕνεκα (cf. ad Α 3. 983a 24) hae quatuor eo distinguuntur, quod εἶδος quasi in duas, quae ei insunt, partes contrarias distinctum, εἶδος et στέρησιν (cf. Z 7. 1032b 2. Phys. II 1. 193b 19), finalis vero causa omissa est. Et finalem causam omissam esse non magnopere mirabimur, quum eam naturalibus in rebus eandem esse ac formam rei Ar. saepius significet, cf. de gen. et corr. II 9. 335b 5: ὡς μὲν ὕλη τοῦτ' ἐστὶν αἴτιον τοῖς γενητοῖς, ὡς δὲ τὸ οὗ ἕνεκεν ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος. de gen. an. I 1. 715a 4: ὑπόκεινται γὰρ αἰτίαι τέτταρες, τό τε οὗ ἕνεκα ὡς τέλος, καὶ ὁ λόγος τῆς οὐσίας· ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἕν τι σχεδὸν ὑπολαβεῖν δεῖ· τρίτον δὲ κτλ. Similiter hoc ipso loco causam motricem quodammodo ad formam redigi docet, b 30—34, quia in rebus naturalibus eiusdem formae res concreta (ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ b 34), in rebus artificialibus ipsa rei forma artificis animo concepta (b 31, cf. Z 7) movendi est principium; cf. Phys. II 7. 198a 24: ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς τὸ ἓν πολλάκις· τὸ μὲν γάρ τί ἐστι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἕν ἐστι, τὸ δ' ὅθεν ἡ κίνησις πρῶτον τῷ εἴδει ταὐτὸ τούτοις· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. Ita quatuor illae causae omnino redeunt ad eandem formae et materiae oppositionem, quae quasi dominatur per universam Ar. philosophiam, cf. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 410, 1. — Sed ab hac causa motrice, quae diversa est diversis in rebus, distinguendum est τὸ ὡς πρῶτον κινοῦν πάντα b 34, i. e. τὸ κινοῦν ἀκίνητον, de quo cf. c. 6. 7.

b 24 εἰς ταῦτα διαιρεῖται ἡ ἀρχή, int. εἰς τὰ στοιχεῖα τρία ὄντα, καὶ εἰς τὸ κινοῦν. — b 27 τὸ πρῶτον αἴτιον ὡς κινοῦν dubito num ita scriptum sit ab Ar., quum iisdem prope verbis paullo infra, b 34, primum motorem immobilem significet. Aptius fortasse scriptum fuerit: τὸ ποιητικὸν αἴτιον. — b 29 καὶ — ἀρχή cur omittenda putem cf. Obs. p. 139. — b 31 ἀνθρώποις quamquam Alex. iam in textu habuit et falso cum φυσικοῖς coniunxit, cf. p. 654, 24, tamen coniectura Zelleri, ἀνθρώπῳ scribentis, constanti Ar. in hoc exemplo usu adeo confirmatur, ut de eius veritate dubitari vix possit. —

33 ὑγίεια γάρ πως κτλ. cf. ad 3. 1070a 14. — b34 ἔτι παρὰ ταῦτα ὡς τὸ πρῶτον πάντων κινοῦν πάντα. Scribendum profecto est: τὸ ὡς πρῶτον. Addit enim ad causas antea expositas causam moventem, eamque ut primam et communem omnibus distinguit a singulis singularum rerum causis moventibus.

CAP. V.

9) ***Substantiarum causae etiam accidentium sunt principia***, 1070b 36—1071a 3.

Substantiae, ait Ar., separatim ac per se exsistunt, cf. Z 1; reliqua omnia veluti affectiones, motus al., quoniam, ut sint omnino, inhaerere oportet substantiae alicui, substantiam apparet causam esse et principium reliquorum, cf. *K* 1. 1060a 1: ἀρχὴ γὰρ τὸ συναναιροῦν. Inde quod colligi potest, substantiarum causas, quas antea explicuit, easdem accidentium causas esse, quamquam non significat Ar., tamen eum cogitasse probabile videbitur conferenti 1071a 35. Propterea Alexandrum, qui hunc in modum haec verba interpretatur p. 655, 1 secutus sum. Proxima verba: ἔπειτα ἔσται ταῦτα — σῶμα, Alex. sic interpretatur: εἶτα λέγει καὶ τίνα εἰσὶ τὰ λίαν προσεχέστατα τοῦ τὰ ἔμψυχα εἶναι αἴτια· ταῦτα γάρ, φησίν, ἔστι ψυχὴ ἴσως καὶ σῶμα, ὥσπερ ἐπὶ φυτῶν, ἢ νοῦς καὶ σῶμα καὶ ὄρεξις, ὡς ἐπὶ ἀνθρώπων, ἢ σῶμα καὶ ὄρεξις, ὡς ἐπὶ τῶν ἀλόγων ἔστιν ἰδεῖν, eamque interpretationem secutus est Schw. Equidem me prorsus non intelligere haec verba fateor; etenim ταῦτα si vel substantias vel substantiarum causas esse putamus, qui tandem ὄρεξις ad ea referri potest; et fut. ἔσται quid significet Alex. ne suscepit quidem explicare.

10) ***Causarum genera ad potentiam et actum rediguntur***, 1071a 3—17.

Alium praeterea in modum diversae rerum causae summis quibusdam generibus (τῷ ἀνάλογον a 4, cf. 3. 1070a 32) comprehendi possunt, nimirum (οἷον, cf. ad *A* 4. 985b 6) potentia et actu. Sed haec etiam, perinde ac causarum genera antea enumerata, alia sunt aliis in rebus; quin etiam idem

alia ratione pro potentia haberi potest, alia pro actu, velut quod actu vinum, idem potentia acetum est, vel quod actu cibus, idem potentia caro est, al. (*a*5 *ἄλλα τε ἄλλοις καὶ ἄλλως*, prioribus verbis significatur, potentiam et actum genera esse causarum ita, ut cuiuslibet rei et potentia sit et actus, sed aliis rebus alia potentia et alius actus; postremo autem verbo, *ἄλλως*, videtur significari, quod deinde proximis vv. *ἐν ἐνίοις γὰρ — ἄνθρωπος* uberius explicatur. Haec autem nova generum causarum distinctio non prorsus diversa est ab ea, quam antea instituimus, sed altera ad alteram potest redigi (cf. de redigendis ad formam et materiam quatuor causarum generibus ad 4. 1070*b* 26); ad actum enim referenda est et forma rei, ubi quidem ea per se potest exsistere (*ἐὰν ᾖ χωριστόν a*9), et res concreta (*τὸ ἐξ ἀμφοῖν a*9, i. e. *τὸ συνάμφω H* 2. 1043*a* 22, sive *τὸ σύνολον*, cf. ad *B* 4. 999*a* 33), et privatio; ad potentiam referenda est materia (cf. ad *Θ* 7 init.). Privationem Alexander non ad actum, sed ad potentiam referri putat p. 656, 8. et concedendum sane est, Aristotelem si volebat eam ad actum referri, rectius scripturum fuisse: *καὶ στέρησις* quam: *στέρησις δέ*. Attamen proximis demum a verbis ad potentiam transiri, apparet ex manifesta oppositione: *ἐνεργείᾳ μὲν — δυνάμει δέ*. Ac praeterea notum est, Aristoteli privationem etiam esse quodammodo *εἶδος*, cf. ad 4. 1070*b* 26, materiae vero non per se, sed per accidens privationi adnumerari, cf. ad 2. 1069*b* 18, ut nec propterea privatio referri possit ad potentiam. Etiam quae affert privationis exempla, *σκότος, κάμνον*, hanc confirmant sententiam.

*a*11 *ἄλλως — 17 κινοῦντα*. Haec verba per brevitatem et negligentiam dicendi admodum obscura ut probabilem certe in modum interpretemur, incipiendum videtur ab extrema enunciati parte: *καὶ παρὰ ταῦτα ὁ ἥλιος — κινοῦντα*. Solis per eclipsin obliquum cursum (*ὁ ἥλιος καὶ ὁ λοξὸς κύκλος b*15) universae generationis naturalis et corruptionis esse causam, uberius Ar. exponit de gen. et corr. II 10, cf. praecipue 336*a* 31: *διὸ καὶ οὐχ ἡ πρώτη φορὰ αἰτία ἐστὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, ἀλλ' ἡ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον*, et *b*15: *φαίνεται δὲ καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν ὁμολογούμενα τοῖς παρ' ἡμῶν λόγοις· ὁρῶμεν γὰρ ὅτι προσιόν-

ος μὲν τοῦ ἡλίου γένεσίς ἐστιν, ἀπιόντος δὲ φθίσις, καὶ ν ἴσῳ χρόνῳ ἑκάτερον. Phys. II 2. 194 b 13: ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος. cf. ad 6. 1072 a 10. Haec communis omnis generationis causa movens, quam eandem paullo liter supra respexit 4. 1070 a 34: ἔτι παρὰ ταῦτα τὸ ὡς πρῶτον κινοῦν πάντα (cf. 6. 1072 a 9), distinguenda est a quatuor illis causis, quae, quamquam iisdem generibus continentur, tamen aliae aliis in rebus et suae cuique rei propriae sunt, cf. a 15: παρὰ ταῦτα, et a 16: οὔτε ὕλη ὄντα οὔτε εἶδος οὔτε στέρησις οὔτε ὁμοειδές, ubi quidem per v. ὁμοειδές significatur singularum rerum causa movens ea, quae continetur in alia eiusdem generis ac speciei re concreta (ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ), ut quatuor causarum genera antea exposita his verbis enumerata sint. Atqui haec quatuor causarum genera referri docuit ad potentiae et actus discrimen, b 7—11; ab illis igitur si est distincta communis universae generationis causa motrix, eadem etiam distinguenda est a potentia et actu, utpote singulis singularum generationum principiis. Hoc ut significetur initio enunciationis, recipiendam arbitror eam coniecturam, quam proposuit et aliis praeterea rationibus commendavit Trend. Kat. p. 193: ἄλλως δ' ἡ ἐνεργείᾳ καὶ δυνάμει διαφέρει, i. e. reliqua causarum genera quum possint referri ad potentiam et actum, distinguenda ab iis est et aliter ac potentiae et actus discrimine differt communis omnium rerum causa motrix. — Sed restat praeterea difficultas in verbis: ὧν μή ἐστιν ἡ αὐτὴ ὕλη, ὧν οὐκ ἔστι τὸ αὐτὸ εἶδος ἀλλ' ἕτερον, quae si sunt genuina, non arbitror hoc posse significare: ὧν οὔτε ἡ αὐτὴ ὕλη οὔτε τὸ αὐτὸ εἶδός ἐστι, cf. Trend. l. l. Aptiorem ipsis verbis interpretationem videmur divinare posse, si reputaverimus, commune illud principium movens, quamquam ab omnibus quatuor causis distinguitur, praecipue tamen ab ea distinguendum esse, cui simillimum esse videatur, singulas dico singularum rerum causas moventes. Hae autem sunt specie eaedem (ὁμοειδές a 17), materia diversae a rebus inde generatis; communis causa motrix ne speciem quidem eandem habet ac res generatae. Inde hunc in modum suspicor haec verba accipienda esse: ἄλλως δ' ἡ ἐνεργείᾳ καὶ δυνάμει τούτων, ὧν μή ἐστιν ἡ αὐτὴ ὕλη (i. e. τῶν

ὡς ὁμοειδῶν κινούντων) διαφέρει ταῦτα, ὧν οὐκ ἔστι τι αὐτὸ εἶδος (i. e. τὸ ὡς πρῶτον κινοῦν).

Singillatim et accurate de hoc loco, a3—17, disseruit Trendel. Kat. p. 191 sqq.; ab eius interpretatione extremi enunciati in eo dissentio, quod non utramque causam moventem, et τὴν ὁμοειδῆ (οἷον ὁ πατήρ a15) et communem omnis generationis, sed alteram tantum tamquam novam superioribus addi arbitror; quod cur statuerim, satis explicatum videtur. Alex. et Schw. interpretationes non possum probare.

11) *Complectitur Ar., quomodo universales sive eaedem omnium rerum, et quomodo aliae aliarum rerum causae statuendae sint,* 1071a 17—b2.

a17—24. Distinguenda sunt, ait Ar., ea quae universe possunt dici et ea quae non possunt; cf. de interpr. 7. 17a 38: ἐπεὶ δὲ τὰ μὲν καθόλου τῶν πραγμάτων τὰ δὲ καθ' ἕκαστον. Iam causae, quae suo iure hoc nomine appellentur (πρῶται ἀρχαί a18), cuiusvis rei sunt certum quidpiam actu definitum (τοδί a19, i. e. non καθόλου) itemque certa quaedam materia. Universalia omnino non sunt in re ac veritate, cf. *Z* 13, sed generantur res singulae a rebus singulis. Quare quamquam (μέν a21) dici potest universe homo hominis esse causa, tamen non est omnino qui dici possit universe homo esse (οὐκ ἔστιν οὐθείς a22, int. ἄνθρωπος καθόλου), sed singuli singulorum sunt causae veluti Peleus Achillis. — Hoc igitur dicit: res quia non sunt universales, ne causae quidem hac ratione sunt universales. — a24 ἁπλῶς, cf. ad *I* 1. 1052a 19.

a24—29. ἔπειτα εἴδη τὰ τῶν οὐσιῶν. Alex. eumque secutus Schw. supplendum putant ἀρχαί εἰσιν. Sed hoc si supplemus, nec video quomodo haec cohaereant cum superioribus, nec quomodo proxime sequentibus in verbis ad eam causae diversitatem transeatur, quae ex diversa repetitur materia, a28. Quare equidem potius ex superioribus, a17, addendum arbitror: ὁρᾶν δεῖ, vel σκοπεῖν δεῖ, ut haec sit sententia: ut recte iudicemus de universali dignitate aut tribuenda causis aut non tribuenda (cf. a29: τὸ δὴ ζητεῖν κτλ.), attendendum est ad rerum diversa genera et species

Etenim earum rerum, quae diversae sunt specie (χρωμάτων, ψοφῶν κτλ. a26), causae etiam, quamquam eadem universali notione comprehendi possunt (πλὴν τῷ ἀνάλογον a26), singulae tamen et ipsae specie diversae sunt; quae autem res eadem specie continentur, numero inter se diversae, earum causae numero (τῶν καθ' ἕκαστον ἄλλο a28) differunt, specie et notione eaedem sunt. — De distinctione horum verborum cf. Obs. p. 19.

a29—b2. Quare si quis quaesiverit utrum principia et elementa diversorum rerum generum eadem sint an diversa, probe est distinguendum. Etenim si similem causarum naturam universali notione comprehenderis (πολλαχῶς λεγομένων a31, cf. τῷ ἀνάλογον a33; de liberiore gen. abs. usu v. ad Α 9. 990b 14), eaedem omnium sunt rerum causae (ἐστὶν ἑκάστου a32, adde e seqq. vv. ταὐτά); sin distinxeris singulas singularum rerum causas (διαιρεθέντων a32), diversae sunt. Iam primum persequitur quomodo eaedem sint causae (ὡδὶ μὲν ταὐτά a32), nimirum et simili earum ratione, τῷ ἀνάλογον cf. ad 4. 1070a 32, et propterea, quia substantiarum causae eaedem causae sunt affectionum, cf. a1, et denique quia commune omnibus rebus generatis prima est causa actu movens, ἔτι τὸ πρῶτον ἐντελεχείᾳ, cf. 4. 1070b 35. Deinde singulas singularum rerum causas diversas esse explicat (ὡδὶ δὲ ἕτερα a36); tot enim sunt causae formales, quot sunt oppositionis genera (ὅσα τὰ ἐναντία, cf. ad Α 5. 986a 22), veluti θερμὸν ψυχρόν, λευκὸν μέλαν al., quae quidem oppositae inter se formae singulae singulis in rebus cernuntur (μήτε ὡς γένη λέγεται μήτε πολλαχῶς λέγεται a37); item materia sua cuique rei propria est, καὶ ἔτι αἱ ὗλαι b1, int. ἕτεραί εἰσιν, cf. Phys. II 2. 194b 9: ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη. Verbis: ὅσα τὰ ἐναντία Alex. p. 658, 22 significari putat τὸ εἶδος καὶ τὴν στέρησιν, Schw. ad h. l. terrestrium et coelestium rerum oppositionem; neutra interpretatio quomodo cum contextu sententiarum conciliari possit equidem intelligo. — Cur a33 part. ἤ omittendam esse et a34 pro v. ὡδί e Themistio apte scribi posse ὅτι putem, ex ipsa explicatione apparere arbitror.

PARS POSTERIOR.

CAP. VI.

***Esse substantiam aeternam immobilem*, 1071^b 3—11, *eamque actum esse, non potentiam demonstratur* — ^{b}26, *refutatis aliorum philosophorum placitis* — 1072^a 7. *Ea substantia quomodo et motus coeli et inde universae generationis sit principium significatur* — ^{a}18.**

Ab initio huius libri sensibiles substantias distinxit a substantia immobili aeterna, cf. ad l. 1069^a 30; iam illarum et natura et causis brevissime significatis, ad hanc, quam potissimum hoc libro investigare suscepit, ita transit ut primum esse eiusmodi substantiam comprobet, c. 6, deinde quae eius sit natura explicet, c. 7. Et quibus quidem rationibus adductus Ar. principium omnis motus posuerit aeternum immobile, diligenter et, quae eius est virtus, quasi ex ipsa Ar. mente exposuit Alex. Aphr. Quaest. I 1: *διὰ τίνων ἂν τις συστῆσαι τὸ πρῶτον αἴτιον κατὰ Ἀριστοτέλην*, quae commentatio prope iisdem verbis etiam in eius commentario legitur p. 658 sqq.

1073^b 4 *ὅτι ἀνάγκη* — 11 *κύκλῳ*. Esse substantiam aeternam hunc in modum demonstrat. Substantia reliquis omnibus, quae sunt praeter substantiam, prior est; ergo si omnes substantiae interitui essent obnoxiae, consequens necessario esset, ut omnia possent interire. Atqui sunt quaedam, quae non possunt interire, tempus et motus. Ergo etiam substantiam oportet esse ab interitu exemtam et aeternam. — Maiorem syllogismi propositionem, qua substantiam reliquis entibus priorem contendit esse, comprobavit l. 1069^a 19 sqq.; minorem propositionem, qua tempus et motum aeternum esse dicit, demonstrat ille quidem, sed adeo breviter, ut dubitari vix possit, quin h. l. perinde atque infra (cf. ad 7. 1073^a 5) respici ad Physica velit ac praecipue ad extremam eorum partem. Tempus, ait, si quis poneret non esse aeternum, is statuere deberet, esse aliquid ante tempus; at id ipsum ante temporis notionem iam in se continet ^{b}8, cf. Phys. VIII 1. 251^b 10: *πρὸς δὲ τούτοις τὸ πρότερον καὶ ὕστερον πῶς ἔσται μὴ ὄντος χρόνου*; Iam si

empus aeternum est, quoniam tempus est aut ipsa *κίνησις* ut *κινήσεώς τι πάθος* ^{b}10 (cf. Phys. l. l. ^{b}12: *εἰ δή ἐστιν* *χρόνος κινήσεως ἀριθμὸς ἢ κίνησίς τις*. IV 10. 11), esse tiam oportet motum aeternum, cf. Phys. VIII 1—3. Aeternus autem si quis est motus, idem nimirum continuus est cf. Phys. VIII 6. 259^a 16); et continuum quidem motum non esse nisi localem et eum quidem orbicularem, hic simpliciter contendit ^{b}10, comprobavit idem Phys. VIII 7—9. Haec autem aeterni motus natura, quam significavit, ad comprobandam substantiae aeternitatem nihil confert, sed ea iam praeparat, quae de motu ab aeterna substantia effecto infra exponuntur.

1071^b 12 *ἀλλὰ μὴν* — 22 *ἄρα*. Haec altera argumentationis pars non ad id ipsum refertur, quod potissimum superiore ratiocinatione comprobavit, esse aliquam substantiam aeternam, sed ad aeternitatem motus, quam et esse necessariam docuit et qualis sit explicuit. Is motus aeternus ut sit, requiritur causa movens (*κινητικὸν ἢ ποιητικόν* ^{b}12). Iam si quis posuerit (*εἰ ἔσται* ^{b}12, cf. Obs. p. 66) causam moventem talem, quae potentia sit, non actu, fieri potest propter ambiguam potentiae naturam ut quando non sit motus (*οὐκ ἔσται κίνησις* ^{b}13). Itaque nihil omnino proficiunt ad explicandum motum aeternum, quicunque aeternas quidem ponunt substantias, sed eas, quae nullum in se contineant principium movens, veluti ideas (cf. ad *A* 7. 988^b 2) vel numeros (hos enim significare videtur quum dicit ^{b}16: *οὐδ' ἄλλη οὐσία παρὰ τὰ εἴδη*, cf. *Z* 2. 1028^b 21). Nec sufficit substantiam talem posuisse, quae contineat quidem principium movendi, sed potentia tantum, quia inde aeternitas motus non potest repeti (cf. *Θ* 8. 1050^b 3 sqq., praecipue ^{b}6: *ἔστι δ' οὐθὲν δυνάμει ἀΐδιον*). Ponenda igitur eiusmodi substantia, cuius ipsa natura est actus movendi, *ἧς ἡ οὐσία ἐνέργεια* ^{b}20. Et quoniam materiae eadem inest naturae ambiguitas ac potentiae (cf. ad *Θ* 7 init.), has substantias, quas ponendas demonstravimus, immateriales esse oportet. Ubi quidem quod a singulari substantiae numero ab initio huius ratiocinationis posito, ^{b}12, ad pluralem Ar. transit numerum, ^{b}21: *ταύτας τὰς οὐσίας*, facile ex ea quaestione explicatur, quam c. 8 persequitur. — ^{b}12 *εἰ ἔσται κινητικόν*.

Ferri quidem potest lectio Alex. p. 661, 31 et cod. *A^b*: *ἔστι κιν.*, sed si contuleris *b* 17: *εἰ γὰρ μὴ ἐνεργήσει*, *b* 18 *εἰ ἐνεργήσει*, retinenda videbitur vulgata lectio, quae quomodo explicanda sit supra est dictum. Sequentibus vero proxime verbis *b* 13 vulgata lectio: *οὐκ ἔστι κίνησις* non potest probari; ipse enim Ar. proximis verbis: *ἐνδέχεται γὰρ κτλ.*, non id se contendere explicat, non esse omnino motum, sed fieri posse ut non sit motus; atque id quidem fut. conditionali significatur, cf. *b* 17: *οὐκ ἔσται κίνησις*, *b* 18: *οὐ γὰρ ἔσται κ. ἀΐδιος*, et Alex. p. 662, 1: *ἔσται ὅτι οὐκ ἔσται κίνησις*.

1071*b* 22 *καίτοι* — 1072*a* 7 *Λεύκιππος*. Quod autem eam substantiam, quae summum contineat principium movens, actum esse diximus, inde difficultas quaedam subnascitur; etenim quoniam sublata potentia tollitur actus, at non item actu sublato tollitur potentia, potentia prior quam actus videtur esse (cf. *K* 1. 1060*a* 1: *ἀρχὴ γὰρ τὸ συναναιροῦν*). At potentia si ponatur pro principio, quos incidimus in laqueos expositum iam est, nimirum ut concedere cogamur, fieri posse ut nihil omnino sit. In eandem repugnantiam (*τὸ αὐτὸ ἀδύνατον* *b* 28) inciderunt veteres poëtae et philosophi physici, qui obscurioribus quibusdam vocabulis usi, re vera tamen potentiam pro principio posuerunt. *b* 27 *οἱ θεολόγοι* qui omnino dicantur, cf. ad *B* 4. 1000*a* 9; quod eos noctem pro principio posuisse dicit, id referri profecto potest ad Hesiodum Theog. 116 sqq.; ad Orphicos num recte referatur, dubium certe est, cf. Lobeck Aglaoph. p. 488. 492. Sed veri simillimum videtur, hoc loco perinde ac *A* 3. 983*b* 27 (cf. ad h. l.) Ar. non certos quosdam poëtas cogitasse, sed universe locutum esse de omnibus, quicunque ex indefinito quodam et materiae vel potentiae simili principio rerum universitatem repetendam putarunt, cf. Lob. l. l. p. 488 not.[1]) Anaxagorae autem illud *ἦν ὁμοῦ πάντα* *b* 27 potentiae continere notionem cf. 2. 1069*b* 21. Ex eiusmodi principio non potest explicari re-

1) Brandis Gesch. I. p. 65: *Ob die aus der Nacht zeugenden Theologen bei Aristoteles, Met. Λ 6, ausschliefslich für die Orphiker zu halten, nicht vielmehr alle darunter zu verstehen, die aus dunkelen Grunde das Sein der Dinge ableiteten, wage ich nicht zu entscheiden.*

rum vel generatio vel exsistentia, quia materia nunquam ipsa per se est generationis principium, sed ad eam et artificialibus (τεκτονική *b* 30) et naturalibus in rebus accedere oportet causam moventem, cf. 3. 1069*b* 36. *Z* 7. 8; veluti ad potentiam in menstruis (καταμήνια, cf. ad *H* 4. 1044*a* 35) vel in terra inclusam, ut homo vel planta nascatur, accedere oportet γονήν vel σπέρμα. (Potest σπέρμα referri ad γῆν, γονή ad καταμήνια, ex eo discrimine horum vv. quod Ar. exposuit de gen. an. I 18. 724*b* 12; quamquam σπέρμα quidem interdum ab Ar. dici, quod ex sua ipsius lege γονήν debebat dicere, intelligitur ex *H* l. l.) Quare id quidem recte fecerunt philosophi quidam, veluti Leucippus (cf. de coelo III 2. 300*b* 8) et Plato (Tim. 30a), quod aeternum motum, qui actu sit, statuerunt esse; sed in eo peccarunt, quod nec causam eiusmodi motus (cf. de Leucippo eandem vituperationem de coel. IV 6 et ad *A* 4. 985*b* 19) nec qualitatem, qui sit naturalis motus qui non naturalis, qui primus qui posterior, explicare susceperunt. (Haec quidem sententia verborum *b* 33 ἀλλὰ διὰ τί — 36 ὡδί aperta, ipsa verba non prorsus plana. Et prioris quidem enunciati extrema verba: οὐδὲ ὡδί, οὐδὲ τὴν αἰτίαν quum Alex. p. 664, 20 sic interpretetur: καὶ διὰ τί ὡδὶ μὲν τάδε κινοῦνται, ὡδὶ δὲ τάδε, τούτων τὴν αἰτίαν οὐ λέγουσιν, Schw. sic iubet mutari: οὐδὲ τοῦ ὡδὶ τὴν αἰτίαν. Quod quamquam apte dici non nego, necessario tamen ita scribendum non arbitror; etenim ἐκ παραλλήλου haec posita videntur verbis superioribus διὰ τί et τίνα, ut v. ὡδί idem significet ac τίνα κίνησιν, et αἰτίαν idem ac διὰ τί. Proximo autem enunciato id quidem apparet, distingui τὴν κατὰ φύσιν et τὴν παρὰ φύσιν κίνησιν, cf. de coelo I 2. 269*a* 7, et suum cuique rei vindicari naturalem motum. Sed quomodo vel construenda sint vel intelligenda haec verba: ἀλλὰ δεῖ τι ἀεὶ ὑπάρχειν, non video.) Quod autem aliam praeterea Platoni inconstantiam obiicit, quia animam modo aeternum esse principium, se ipsum movens, dicat (Phaedr. 245e, cf. Top. VI 3. 140*b* 3), modo post coeli generationem demum natam esse velit (Tim. 34b), verissime ab hoc crimine Platonem defendit Zeller Plat. Stud. p. 210; nimirum non minor est Aristotelis culpa, quod fabulas philosophicas non distinxit a

disputatione dialectica, quam Platonis, quod summas phil sophiae quaestiones fabularum involucris obtexit.

Ita ubi perstrinxit, quae bene, quae secus de summ principio veteres philosophi statuerint, ad quaestionem d potiore potentiae et actus dignitate supra, ^{b}22, motam r vertitur; quodammodo recte dici potentiam priorem est actu, quodammodo non recte dici, *εἴρηται δὲ πῶς* ^{a}4. Hi verbis respici ab Ar. ad *Θ* 8, quod Schw. iudicat, equidem non arbitror. Etenim non respicit ad superiores Metaphy- sicorum libros Ar. iis locis libri *Λ*, ubi ad eos delegat lectores prope necessario exspectes, cf. ad 1. 1069^a 20, al et prooem. p. 25; hoc autem loco si voluisset diligentem illam et accuratam libri *Θ* respicere disputationem, non erat cur multo minus distincte hic de eadem re exponeret. At que ex constanti Aristotelis usu iure exspectes, si quid e prioribus libris respici a lectoribus voluisset, eum addidisset *ἐν ἄλλοις* vel *πρότερον* vel simile quidpiam [1]). Quare hoc verbum *εἴρηται* referendum potius esse arbitror ad ipsam huius capitis disputationem, ^{b}22—26; ibi enim, quamquam non aperte explicuit, at significavit certe, singularum qui- dem rerum potentiam priorem esse, quam earundem rerum actum, sed ut possit omnino quidpiam esse, ponendum esse pro summo principio actum a potentia immunem. Hoc ut confirmet, proximis verbis, ^{a}4—7, eorum philosophorum au- ctoritatem adhibet qui praeter materiam principium posue-

1) Ubicunque in his Metaphysicis ad alios eiusdem *πραγματεία*; libros Ar. lectores respicere iubet, vel argumentum eius libri describit, ad quem respiciant lectores, cf. *ἐν τοῖς ἀπορήμασιν* *I* 2. 1053^b 10. *M* 2. 1076^b 1. 1077^a 1. 10. 1086^b 15; *ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς* *E* 4. 1028^a 4. *Z* 1. 1028^a 11. *I* 1. 1052^a 15; *ἐν τοῖς περὶ τῆς οὐσίας λόγοις* *Θ* 8. 1049^b 28. *I* 2. 1053^b 17; vel omnino *alibi*, *supra*, *in principio* se disputasse vel *postea* demum disputaturum de ea re dicit, cf. *ἐν τοῖς πρώτοις* ac sim. *B* 2. 997^b 4. *Θ* 1. 1045^b 32. *K* 1. 1059^a 19; *ἐν ἄλλοις* *I* 4. 1055^b 2. 6. 1056^b 35. *H* 3. 1043^b 16. al.; *πρότερον* *N* 3. 1090^a 28. *M* 9. 1086^a 2; *ὕστερον* *E* 2. 1027^a 19. *Z* 11. 1037^a 13. al. Unus sane exstat locus, ubi sine ullo eiusmodi additamento dicit *Θ* 8. 1049^b 4: *ἐπεὶ δὲ τὸ πρότερον διώρισται ποσαχῶς λέγεται*, sed ibi quidem ipso verbo *ποσαχῶς* satis aperte significari videtur, referri illud ad librum eum, qui est *περὶ τοῦ ποσαχῶς* i. e. ad librum *Δ*. Quare hoc certe loco non videtur refutari, quod supra de constanti hoc in genere Aristotelis usu dixi.

.t actu movens, veluti Anaxagoras mentem, Empedocles orem et contentionem, Leucippus ipsum aeternum motum.

1072a 7 ὥστ' οὐκ — 18 ἀρχάς. Ex his, quae dispusunt, si actum potentia priorem esse constat, consequiut non possit ab initio indefinitum per tempus chaos nox fuisse, i. e. mera potentia, sed ut eadem semper ;rint, sive per vicissitudinem quandam (περιόδῳ) quae fuit npedoclis sententia, cf. de coelo I 10. 279b 14. Phys. VIII 1. 0b 26, sive alium in modum. Iam si eadem semper est nnium rerum vicissitudo, oportet poni quidpiam, quod per- :tuo eundem in modum agat; sin explicare volumus, qui ossit generatio esse et interitus (εἰ μέλλει γένεσις κ. φ. ναι a 10), ponendum praeterea alterum est, quod et ipsum erpetuo actu moveat, sed varium usque in modum, ἄλλως ιὶ ἄλλως a 12. — Haec universe dicta de necessaria et eternitate et varietate ἐνεργείας ut appareat quomodo inilligi et ad ipsam rerum naturam, qualem usu novimus, reerri voluerit Ar., conferri iuvat, praeter huius ipsius libri apita proxima, de gen. et corr. II 10. 336a 23: ἐπεὶ δ' ὑπό- :ειται καὶ δέδεικται συνεχὴς οὖσα τοῖς πράγμασι καὶ γένε- ιις καὶ φθορά, φαμὲν δ' αἰτίαν εἶναι τὴν φορὰν τοῦ γίνε- ;θαι, φανερὸν ὅτι μιᾶς μὲν οὔσης τῆς φορᾶς οὐκ ἐνδέχεται ·ίνεσθαι ἄμφω διὰ τὸ ἐναντία εἶναι· τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν. ὥστε ἤτοι γένε- σις ἀεὶ ἔσται ἢ φθορά. δεῖ δὲ πλείους εἶναι τὰς κινήσεις καὶ ἐναντίας· τῶν γὰρ ἐναντίων τἀναντία αἴτια. διὸ καὶ οὐχ ἡ πρώτη φορὰ (i. e. ἡ ἀπλανής) αἰτία ἐστὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, ἀλλ' ἡ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον· ἐν ταύτῃ γὰρ τὸ συνεχές ἐστι καὶ τὸ κινεῖσθαι δύο κινήσεις· ἀνάγκη γάρ, εἴ γε ἀεὶ ἔσται συνεχὴς γένεσις καὶ φθορά, ἀεὶ μέν τι κινεῖσθαι, ἵνα μὴ ἐπιλείπωσιν αὗται αἱ μεταβολαί, δύο δ', ὅπως μὴ θάτερον συμβαίνῃ μόνον. τῆς μὲν οὖν συνεχείας ἡ τοῦ ὅλου φορὰ αἰτία, τοῦ δὲ προσιέναι καὶ ἀπιέναι ἡ ἔγκλισις. — Fixarum igitur stellarum sphaera est illud ἀεὶ ὡσαύτως ἐνεργοῦν, sphaera solis (ac sphaerae planetarum, quarum de distinctione et numero infra disputatur c. 8) est τὸ ἀεὶ ἐνεργοῦν ἄλλως καὶ ἄλλως. Hanc igitur solis sphaeram quum dicit alterum motum habere suapte natura, alterum per aliud quidpiam, ὡδὶ μὲν καθ' αὑτὸ ἐνεργεῖν, ὡδὶ δὲ καθ' ἕτερον,

recte Alex. p. 665, 32 illo significari putat annuum per eclipsin cursum, hoc quotidianum circa terram orbem. Hunc alterum motum quoniam non suapte natura habet, sed aliunde adscitum, quaeritur utrum ex alio motu an ex illa universi coeli latione habeat. At si ex alio motu (veluti e sphaera Saturnia, ut exemplo utar ab Alex. adhibito p. 666, 3) repetatur diurnus solis orbis, illius nimirum ipsius motus causa eadem est illa prima coeli latio (a 15 κἀκείνῳ, i. e. τῷ ἑτέρῳ παρὰ τὸ πρῶτον, καθ' ὃ ἕτερον τίθεμεν αὐτὸ ἐνεργεῖν). Dignitate igitur potius illud πρῶτον ἐνεργοῦν est; ex hoc repetenda est aeternitas, ex altero generationis, varietas, ex utroque igitur varietatis aeternitas, cf. de gen. l. l. — Denique confirmaturus haec, quae ex ipsa rerum natura ac notione repetiisse sibi certe videtur, iam adhibet externam sensuum evidentiam (cf. ad Δ 6. 988a 3) a 17: οὐκοῦν οὕτω καὶ ἔχουσιν αἱ κινήσεις, i. e. eandem usu cognoscimus motuum esse naturam, qualem ex ipsis notionibus collegimus, (cf. 7. 1072a 32: καὶ τοῦτο οὐ λόγῳ μόνον ἀλλ' ἔργῳ δῆλον. de gen. l. l. 336b 15: φαίνεται δὲ καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν ὁμολογούμενα τοῖς ἡμῶν λόγοις· ὁρῶμεν γὰρ ὅτι προσιόντος μὲν τοῦ ἡλίου γένεσίς ἐστιν, ἀπιόντος δὲ φθίσις). Quare non est cur Platonica aliave placita secuti alia quaeramus principia.

CAP. VII.

Summum principium movens deus est, aeterno actu se ipsum cogitans.

Postquam exposuit esse aliquam substantiam aeternam actu exsistentem, ex qua tamquam principio movente universus pendeat mundus et omnis generatio, iam quae sit divina eius natura uberius explicans ipsa iacit theologiae fundamenta.

a) 1072a 19 ἐπεὶ δ' — b 14 φύσις. Ac primum quidem, revocans in memoriam quae proxime sunt disputata, esse principium movens immobile confirmat et qua id ratione motum efficiat declarat. Quoniam, ait, hac quam proposuimus ratione rerum natura et generatio potest explicari, aliamque si tentaverimus viam, eo incidimus cum theologis

et physicis antiquissimis (cf. ad 6. 1071b 26), ut meram potentiam praeponamus actui, diremtae sunt hae quaestiones, est aliquid quod aeterno motu movetur, et eo quidem orbiculari (a 21, cf. ad 6. 1071b 11). Ac vere hoc statui non solum ex ratiocinatione colligitur, sed etiam ex sensuum evidentia (*ἔργῳ* a 22, cf. ad 6. 1072a 17) contemplantibus coeli aeternum motum apparet. Aeterna igitur est et aeternum movetur stellarum inerrantium sphaera; hanc enim appellat a 23 *τὸν πρῶτον οὐρανόν*, cf. de coelo II 6. 288a 15. 12. 292b 22. al. Quae quum perpetuo moveatur, esse etiam aliquid oportet, quod eam perpetuo movet, *ἔστι τοίνυν τι καὶ ὃ κινεῖ* a 23. (Aliter Alex. et Schw. haec verba interpretantur, qui *ὅ* obiectum esse putant: est aliquid, quod moveat stellarum fixarum sphaera. Et Alex. quidem planetas vult significari p. 667, 14: *ἔστι δὲ καὶ ὃ κινεῖ, τὸ πλανώμενον πᾶν σῶμα· τὸ γὰρ πλανώμενον ὑπὸ τοῦ πρώτου τοῦ ἀπλανοῦς κινεῖται*, Schw. non satis distincte vel apte terram intelligi putat, quam *ὑπόκειται ἠρεμεῖν*, de coelo II 8. 289b 5, quum videatur terrestres res dicere voluisse, quae intercedentibus demum aliis motibus per primum coelum dici possunt moveri ac mutari, cf. ad 6. 1072a 16. Huic interpretationi quominus assentiar per part. *τοίνυν* prohibeor, cuius loco tacite Alex. *δέ* posuit. Etenim ex part. *τοίνυν* apparet, non poni aliam insuper propositionem, ex qua quid colligatur, sed iam concludi aliquid. Atqui tenditur ad demonstrandum summum principium movens immobile; hoc igitur enunciato summum motorem monstrat, proximo eundem immotum esse dicit.) Id principium movens ipsum esse immobile, ut antea significavit, 6. 1071b 5, ita iam confirmat his verbis, a 24: *ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον καὶ κινοῦν, καὶ μέσον τοίνυν ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ.* Haec verba, ut vulgo exhibentur, corrupta esse, nec sufficere ad ea emendanda distinctionem ab Alex. propositam, quam in textu dedi, demonstravi Obs. p. 125. Sed quid ab Ar. scriptum fuisse putem, dubito; lenis quidem nec improbabilis ea est coniectura, quam l. l. commendavi: *ἐπεὶ δὲ τὸ κινοῦν καὶ κινούμενον μέσον, ἔστι τοίνυν τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ*, sed considerato universo tenore eiusdem argumentationis, qualem Physicorum extremo libro et de an. III 10 legimus, haud

recte Alex. p. 665, 32 illo significari putat annuum per eclipsin cursum, hoc quotidianum circa terram orbem. Hunc alterum motum quoniam non suapte natura habet, sed aliunde adscitum, quaeritur utrum ex alio motu an ex illa universi coeli latione habeat. At si ex alio motu (veluti e sphaera Saturnia, ut exemplo utar ab Alex. adhibito p. 666, 3) repetatur diurnus solis orbis, illius nimirum ipsius motus causa eadem est illa prima coeli latio (*a* 15 *κἀκείνῳ*, i. e. *τῷ ἑτέρῳ παρὰ τὸ πρῶτον, καθ' ὃ ἕτερον τίθεμεν αὐτὸ ἐνεργεῖν*). Dignitate igitur potius illud *πρῶτον ἐνεργοῦν* est; ex hoc repetenda est aeternitas, ex altero generationis, varietas, ex utroque igitur varietatis aeternitas, cf. de gen. l. l. — Denique confirmaturus haec, quae ex ipsa rerum natura ac notione repetiisse sibi certe videtur, iam adhibet externam sensuum evidentiam (cf. ad *Α* 6. 988*a* 3) *a* 17: *οὐκοῦν οὕτω καὶ ἔχουσιν αἱ κινήσεις*, i. e. eandem usu cognoscimus motuum esse naturam, qualem ex ipsis notionibus collegimus, (cf. 7. 1072*a* 32: *καὶ τοῦτο οὐ λόγῳ μόνον ἀλλ' ἔργῳ δῆλον.* de gen. l. l. 336*b* 15: *φαίνεται δὲ καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν ὁμολογούμενα τοῖς ἡμῶν λόγοις· ὁρῶμεν γὰρ ὅτι προσιόντος μὲν τοῦ ἡλίου γένεσίς ἐστιν, ἀπιόντος δὲ φθίσις*). Quare non est cur Platonica aliave placita secuti alia quaeramus principia.

CAP. VII.

Summum principium movens deus est, aeterno actu se ipsum cogitans.

Postquam exposuit esse aliquam substantiam aeternam actu exsistentem, ex qua tamquam principio movente universus pendeat mundus et omnis generatio, iam quae sit divina eius natura uberius explicans ipsa iacit theologiae fundamenta.

a) 1072*a* 19 *ἐπεὶ δ'* — *b* 14 *φύσις*. Ac primum quidem, revocans in memoriam quae proxime sunt disputata, esse principium movens immobile confirmat et qua id ratione motum efficiat declarat. Quoniam, ait, hac quam proposuimus ratione rerum natura et generatio potest explicari, aliamque si tentaverimus viam, eo incidimus cum theologis

st aliquid quod aeterno motu movetur, et eo quidem orbi- ılari (^{a}21, cf. ad 6. 1071^b 11). Ac vere hoc statui non ɔlum ex ratiocinatione colligitur, sed etiam ex sensuum vid題entia (ἔργῳ ^{a}22, cf. ad 6. 1072^a 17) contemplantibus oeli aeternum motum apparet. Aeterna igitur est et aeter- um movetur stellarum inerrantium sphaera; hanc enim ap- ellat ^{a}23 τὸν πρῶτον οὐρανόν, cf. de coelo II 6. 288^a 15. 2. 292^b 22. al. Quae quum perpetuo moveatur, esse etiam liquid oportet, quod eam perpetuo movet, ἔστι τοίνυν τι αὶ ὃ κινεῖ ^{a}23. (Aliter Alex. et Schw. haec verba inter- retantur, qui ὅ obiectum esse putant: est aliquid, quod ıoveat stellarum fixarum sphaera. Et Alex. quidem plane- ıs vult significari p. 667, 14: ἔστι δὲ καὶ ὃ κινεῖ, τὸ πλα- ώμενον πᾶν σῶμα· τὸ γὰρ πλανώμενον ὑπὸ τοῦ πρώτου οῦ ἀπλανοῦς κινεῖται, Schw. non satis distincte vel apte ɛrram intelligi putat, quam ὑπόκειται ἠρεμεῖν, de coelo II . 289^b 5, quum videatur terrestres res dicere voluisse, quae ıtercedentibus demum aliis motibus per primum coelum diei ossunt moveri ac mutari, cf. ad 6. 1072^a 16. Huic inter- retationi quominus assentiar per part. τοίνυν prohibeor, uius loco tacite Alex. δέ posuit. Etenim ex part. τοίνυν pparet, non poni aliam insuper propositionem, ex qua quid olligatur, sed iam concludi aliquid. Atqui tenditur ad de- ıonstrandum summum principium movens immobile; hoc igi- ır enunciato summum motorem monstrat, proximo eundem nmotum esse dicit.) Id principium movens ipsum esse im- ıobile, ut antea significavit, 6. 1071^b 5, ita iam confirmat is verbis, ^{a}24: ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον καὶ κινοῦν, καὶ μέ- ον τοίνυν ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ. Haec verba, ut ulgo exhibentur, corrupta esse, nec sufficere ad ea emen- landa distinctionem ab Alex. propositam, quam in textu ledi, demonstravi Obs. p. 125. Sed quid ab Ar. scriptum uisse putem, dubito; lenis quidem nec improbabilis ea est oniectura, quam l. l. commendavi: ἐπεὶ δὲ τὸ κινοῦν καὶ ινούμενον μέσον, ἔστι τοίνυν τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ, sed onsiderato universo tenore eiusdem argumentationis, qua- em Physicorum extremo libro et de an. III 10 legimus, haud

scio an plura propter similitudinem verborum excidisse et hunc fere in modum locum restituendum censeam: ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν κινούμενον καὶ μὴ κινοῦν, τὸ δὲ κινούμενον καὶ κινοῦν, καὶ τρίτον τοίνυν ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ. cf. Phys. VIII 5. 256*b* 20: ἐπεὶ δ' ὁρῶμεν τὸ ἔσχατον, ὃ κινεῖσθαι μὲν δύναται, κινήσεως δ' ἀρχὴν οὐκ ἔχει, καὶ ὃ κινεῖται μέν, οὐχ ὑπ' ἄλλου δὲ ἀλλ' ὑφ' αὑτοῦ, εὔλογον, ἵνα μὴ ἀναγκαῖον εἴπωμεν, καὶ τὸ τρίτον εἶναι ὃ κινεῖ ἀκίνητον ὄν. de an. III 10. 433*b* 15.

Deinde, *a* 26—*b* 3, explicat Ar., quale putandum sit esse summum illud principium movens, ut possit movere quum ipsum sit immobile, quamquam reliqua omnia, quae aliquid faciunt, eadem perpetiuntur vicissim aliquid (cf. de gen. an. IV 3. 768*b* 16: τὸ ποιοῦν καὶ πάσχει ὑπὸ τοῦ πάσχοντος — καὶ ὅλως τὸ κινοῦν ἔξω τοῦ πρώτου ἀντικινεῖταί τινα κίνησιν). Hunc in modum, ait (*a* 26 ὧδε, i. e. αὐτὸ ἀκίνητον ὄν), movet τὸ ὀρεκτόν, id quod est appetibile; ac cogitabile, τὸ νοητόν, et ipsum ita movet, ut ipsum sit immobile (in distinguendis explicandisque his verbis secutus sum Alex. et Themist., commate non post ὧδε sed post ὀρεκτόν posito et recepta lectione cod. *A^b* κινούμενον); cf. de an. III 10. 433*a* 17: εὐλόγως ταῦτα δύο φαίνεται τὰ κινοῦντα, ὄρεξις καὶ διάνοια πρακτική· τὸ ὀρεκτὸν γὰρ κινεῖ, καὶ διὰ τοῦτο ἡ διάνοια κινεῖ, ὅτι ἀρχὴ αὐτῆς ἐστὶ τὸ ὀρεκτόν κτλ. de motu an. 6. 700*b* 23: ὥστε κινεῖ πρῶτον τὸ ὀρεκτὸν καὶ τὸ διανοητόν. — Haec autem duo, τὸ ὀρεκτόν et τὸ νοητόν, si sua et primaria vi utrumque acceperis, ad idem redeunt, τούτων τὰ πρῶτα τὰ αὐτά *a* 27. Namque, ut paucis complectamur proximam ratiocinationem, *a* 27—*b* 1, ὀρεκτόν per se est τὸ ὂν καλόν, idemque τὸ ὂν καλόν principem inter τὰ νοητά locum habet. Hoc ut demonstret, orditur a distinctione duorum τοῦ ὀρεκτοῦ generum, etenim τὸ ὀρεκτόν aut est ἐπιθυμητόν aut βουλητόν (cf. 700*b* 22: βούλησις δὲ καὶ θυμὸς καὶ ἐπιθυμία πάντα ὄρεξις), eo quidem discrimine ut cupiditas sequatur speciem boni et pulchri, voluntas ipsum pulchrum, *a* 27, cf. de an. III 10. 433*a* 23: ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις· ὅταν δὲ κατὰ τὸν λογισμὸν κινῆται, καὶ κατὰ βούλησιν κινεῖται. ἡ δ' ὄρεξις κινεῖ παρὰ τὸν λογισμόν· ἡ γὰρ ἐπιθυμία ὄρεξίς τις ἐστίν. Eth. N. III 6. Ha-

:rgo *ὀρεκτὸν πρῶτον* est ipsum pulchrum, *τὸ ὂν καλόν*. — am vero concupiscere non possumus, nisi quod antea co- ;itaverimus; quia pulchrum quidpiam cogitantibus nobis vi- letur (*διότι δοκεῖ* a 29, int. *καλόν*), propterea illud appeti- nus, non pulchrum videtur, quia appetimus; principium enim ›etendum a cogitatione. (Hoc enunciato, a 29, 30, et trans- tum parat ad inquirendum *τὸ νοητόν*, et quum idem esse lemonstret *τὸ νοητὸν πρῶτον* et *τὸ ὀρεκτὸν πρῶτον*, tamen ›otiorem ei dignitatem tribuendam significat quatenus est *'οητόν*.) Cogitatio autem excitatur per cogitabile; et quum luae sint rerum series, quales distinctae sunt in libris de bono, :f. ad *Γ* 2. 1004a 2, cogitabilis per se ea est series, quae sub- tantiam et formam et reliqua per affirmationem ac positio- ıem definita continet; quae enim in altera serie enumeran- ur negativa, ea non per se (*καθ' αὑτήν* a 31) sed per ac- :idens cogitationi subiiciuntur, cf. ad *Θ* 2. 1046b 11. Atqui n illa serie prima est substantia ea, quae simplex est, ab ›mni materiae et potentiae ambiguitate immunis, ipse actus; ed cum ea substantia coniunctum est in eadem serie id |uod sua natura appetibile est et pulchrum. Quod autem ›rimum est in aliqua serie, id praecipue eam habet quali- atem, quae in reliqua cernitur serie, cf. *α* 1. 993b 24; ergo ›rima illa substantia est *τὸ ἄριστον*. Itaque sicuti *ὀρεκτὸν ιρῶτον* est *τὸ ὂν καλόν*, ita etiam *νοητὸν πρῶτον* est *τὸ κα- .όν, τὸ δι' αὑτὸ αἱρετόν, τὸ ἄριστον*, sive *τὸ οὗ ἕνεκα* (quod |uomodo cohaereat cum *τῷ ἀγαθῷ* cf. ad *Α* 3. 983a 31). Movet autem summum illud principium movens, quatenus ›er se appetibile est et tamquam *πρῶτον ὀρεκτόν* concupi- citur, b 3: *κινεῖ δὲ* (int. *τὸ πρῶτον κινοῦν* sive *τὸ ὂν κα- .όν*) *ὡς ἐρώμενον*. (Conferri cum hoc placito potest, quod Ar. saepissime naturam ad optimum in genere quoque ten- lere dicit, cf. de gen. et corr. II 10. 336b 27: *ἐν ἅπασιν ἀεὶ 'οῦ βελτίονος ὀρέγεσθαί φαμεν τὴν φύσιν*. de part. an. IV 10. 687a 15. de inc. an. 2. 704b 15. ph. m. 469a 28. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 455.) Id vero, quod a primo illo motore notum accipit — ac cogitandam esse inerrantium stella- um sphaeram apparet —, eum deinde ad reliqua continuat. b 3 *κινούμενον δὲ τἆλλα κινεῖ*, non potest omitti articulus

in part. *κινούμενον*, quia hoc non continet subiecti superioris enunciati, quod est *τὸ κινοῦν ἀκίνητον*, attributum, sed novum significat subiectum. Alex. p. 670, 11 recte interpretatur: *κινούμενος δὲ ὑπ' αὐτοῦ προσεχῶς ὁ οὐρανὸς αὐτὸς τὰ ἄλλα κινεῖ*, sed quid in textu habuerit dubium est.)

Iam vero quidquid movetur, id, quatenus movetur, potentiam habet aliter sese habendi, veluti mutandae qualitatis vel quantitatis vel loci modo mutandi potentiam, *b* 4, cf. ad *H* 1. 1042*a* 34. Iam si motus localis primi coeli primus est actus, primum coelum, quatenus movetur, localem certe habet potentiam, quamquam substantia eius a potentiae ambiguitate immunis est. (*b* 5 *ὥστ' εἰ φορὰ κτλ.* Cur pro vulg. lect. eum restituerim textum, quem Alex. habuit, exposui Obs. p. 105. Ad vv. *κινεῖται* et *ἐνδέχεται* supplendum est e nom. *φορά* subiectum *τὸ φερόμενον* sive *τὸ κινούμενον*, i. e. *ὁ πρῶτος οὐρανός*.) At summum principium nullam omnino habet potentiam, sed ipse est actus. Nam si quam reciperet potentiam, eam nimirum reciperet, quae substantiam minime tangit (cf. *H* 1. 1042*b* 5) et ad primum motus genus, i. e. motum localem et orbicularem (cf. 6. 1071*b* 11), pertinet; hunc autem motum non habet summum principium movens, sed efficit. Ita exemtum ab omni potentiae ambiguitate summum principium movens necessario tale est, quale est, quae quidem necessitas non ei est extrinsecus ac per vim illata, sed cum ipsa eius naturae dignitate coniuncta et absoluta, *b* 10—13, cf. ad *Δ* 5.

Summum igitur principium est substantia aeterna, immobilis, actus ipse, necessaria, cogitabilis eademque appetibilis, eaque propter id ipsum, quia est appetibilis, motum efficit.

Omisi in interpretatione, quo clarius appareat ratiocinandi contextus, duos locos *a* 32 *ἔστι δὲ* — 34 *αὐτό* et *b* 1 *ὅτι δ' ἔστι* — 3 *οὐκ ἔστι*. Et illis quidem verbis unitatem, quae est numeri principium, Ar. distinguit a simplicitate, *qua* rei alicuius natura, *πῶς ἔχον αὐτό*, et ea quidem immaterialis, significatur. Notandum est, quod quum definit unitatis notionem, librum *I*, quo diligentissime de eadem re disceptatum est, ne levissimo quidem indicio respicit; nec paullo infra, *b* 11, ubi necessitatis duo genera distinguit, ad librum *Δ* lectores ablegat, cf. prooem. p. 25. Ceterum di-

inctis unitatis et simplicitatis notionibus transitum muniri pparet ad disputationem capitis octavi. — Altero autem co, *b* 1—3, hoc manifesto docet, esse τὸ οὗ ἕνεκα etiam substantiis immobilibus, id quod negavit, dialectice nimium disputans, *B* 2. 996*a* 27. Esse autem in rebus immobilibus, ait, ἡ διαίρεσις δηλοῖ. Potest profecto ἡ διαίρεσις mpliciter ita accipi ut significet distinctionem notionis eiusue in sua genera divisionem (cf. *Z* 12. 1037*b* 8. 1038*a* 24, 4. al.); si distinxeris, ait Ar., duo τοῦ οὗ ἕνεκα genera, lud etiam immobilibus in rebus inesse reperies. Sed multo erisimilius cum Alexandro p. 669, 28 putabimus voc. διαίεσις significari ab Ar. eam διαίρεσιν τῶν ἐναντίων, quam libris de bono instituit, cf. ad *Γ* 2. 1004*a* 2, siquidem de adem definitione τοῦ οὗ ἕνεκα alio loco Phys. II 2. 194*a* 35: ιχῶς γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα· εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας, ianifesto illos libros de bono respicit, cf. Brandis de Ar. br. perd. p. 8. Atque ex hoc quidem Physicorum loco ollatis aliis similibus (de an. II 2. 415*b* 2: τὸ δ' οὗ ἕνεκα ιττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ. *b* 20: διττῶς δὲ τὸ οὗ ἕνεκα, ό τε οὗ καὶ τὸ ᾧ, quibus locis addenda est copiosior eiuslem rei expositio de gen. an. II 6. 742*a* 22 sqq.) vulgatam cripturam, quae explicari nullo modo potest, emendavit chweglerus hunc in modum: ἔστι γὰρ διττὸν τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι τὸ δὲ οὐκ ἔστι. Adhibitis antea locis Ar. et a distinctione, quae vv. τὸ μέν — τὸ δέ continetur, adeo onfirmatur haec coniectura, ut ea quin sit vera non dubiem. Sed in ea explicanda discedendum mihi arbitror ab uctore emendationis. Nimirum explicatio repetenda est ab lla duorum generum τοῦ οὗ ἕνεκα distinctione, quam significavit quidem aliquoties Ar., sed nusquam satis perspicue xplicuit. Disputarunt ea de re interpretes Graeci ad Phys. . l., cf. Schol. p. 349 b; consentiens cum iis luculentius etiam em exposuit Themist. ad Ar. de an. l. l. f. 76 b: τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ. ὥσπερ γὰρ καὶ ἐν τοῖς Ἠθικοῖς (cf. Brandis l. l. p. 9) ἐλέγετο, διττὸν τὸ τέλος, ὡς μὲν τὸ οὗ εὐδαιμονία, ὡς δὲ τὸ ᾧ αὐτὸς ἕκαστος αὐτῷ· καὶ γὰρ τὴν εὐδαιμονίαν δι' αὑτὸν αἱρεῖται καὶ ὥστε ἑαυτῷ ταύτην περιποιήσασθαι· ὥσπερ καὶ ἐπὶ ἰατρικῆς οὗ μὲν ἡ ὑγίεια, ᾧ δὲ τῷ κάμνοντι, οὕτω δὲ καὶ ἐν τῇ φύσει τὴν δι-

πλόην ταύτην θετέον τοῦ τέλους, καὶ οὗ μέν ἐστι ῥητῶν τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον καὶ ἀΐδιον, ᾧ δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἔμψυχον καὶ τὸ ἐν γενέσει· τούτῳ γὰρ περιποιῆσαι βούλεται εἰκόνα θειότητος καὶ ἀϊδιότητος ἡ φύσις καθ' ὅσον δύνατα. Hanc si ponimus ipsam esse Aristotelicam huius notionis distinctionem, alterum genus *τοῦ οὗ ἕνεκα*, nimirum *τὸ οὗ*, quoniam immobile est et immutabile, nihil impedit quominus in substantiis immobilibus reperiatur; alterum vero, *τὸ ᾧ*, quippe quod per mutationem sui ipsius ad illud *τὸ οὗ* accedat, non potest esse *ἐν τοῖς ἀκινήτοις*. Et hoc quidem brevissime videtur significasse his verbis: *ὧν τὸ μὲν* (int. *τὸ οὗ*) *ἔστιν* (supplendum e superioribus: *ἐν τοῖς ἀκινήτοις*), *τὸ δ'* (int. *τὸ ᾧ*) *οὐκ ἔστιν*.

b) 1072*b* 14 *διαγωγὴ* — 30 *θεός*. (Docte et diligenter hanc disputationis partem interpretatus est Krische Forsch. I. p. 278 sqq., a quo interprete paucis modo in rebus dissentiendum mihi esse putavi.) Summum principium movens hucusque Ar. demonstravit substantiam esse per se intelligibilem; iam descripturus quae sit eius actio et vita, statim ab initio, *b* 20, ponit intelligibilem substantiam ipsam esse intellectum, id quod deinde per ipsam argumentationem confirmatur. Etenim ut sensus, ex Aristotelis sententia, quum est actu, recipiens in se rerum sensibilium formas idem est atque ipsae res sensibiles abstracta earum materia (cf. de an. II 12. 424*a* 18, 25. III 2. 425*b* 25), vel ut ars ipsa est artificium segregatum a materia (cf. ad *Z* 9. 1034*a* 24), ita intellectus recipiens in se *τὸ τί ἦν εἶναι* rerum, quum est actu, ipse fit id quod est intelligibile, ac vicissim id quod intelligibile per se est ipse est intellectus actu exsistens (cf. de an. III 4. 429*b* 30 sqq.). Huius intellectus ut describat quae sit vita ac beatitudo (*διαγωγὴ b* 14, cf. ad *A* 1. 981*b* 18), summam quae homini aliquamdiu contingere potest beatitudinem pro exemplo adhibet. Et contemplativae quidem vitae, quippe quae finem in se ipsa contineat neque extra se positum habeat, absolutam inesse et consummatam beatitudinem, notum est Ar. placitum, cf. ad *A* 2. 982*b* 28 sqq. Ea beatitudine nos quidem raro tantum, ubi quasi sublati sumus ad divinam naturam (cf. Eth. N. X 7. 1127*b* 27), possumus frui, quoniam humanus intellectus po-

entiae obnoxius non potest perpetuo esse in actu. Summus autem intellectus perpetuo in eadem est beatitudine; is enim, ut antea est demonstratum, *ἐνέργεια* est, ipsaque haec *ἐνέργεια* eius necessario coniunctam secum habet voluptatem (*ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια* *b*16, cf. Eth. N. VII 15. 1154*b* 25), quia voluptas nihil est aliud nisi actionis consummatio et perfectio, cf. Eth. N. VII 13. 1153*a* 14: *λεκτέον* (int. *τὴν ἡδονήν*) *ἐνέργειαν τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστον*. X 4. 1174*b* 23: *τελειοῖ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή*. Propterea (*διὰ τοῦτο* *b*17, i. e. quia *ἡ ἐνέργειά ἐστιν ἡδονή*) nobis hominibus voluptatem afferunt animae nostrae, et eius quidem vel *θρεπτικῆς* vel *αἰσθητικῆς* vel *νοητικῆς*, actiones, quales sunt *ἐγρήγορσις* (cf. Trendel. de an. p. 316), *αἴσθησις*, *νόησις*: quodsi qua alia praeterea voluptatem nobis afferunt, veluti spes vel recordatio, causa ex eo est repetenda, quod ad unam ex illis actionibus referuntur, *διὰ ταῦτα* *b*18, i. e. *δι' ἐγρήγορσιν ἢ αἴσθησιν ἢ νόησιν*, cf. Phys. VII 3. 247*a* 7. Rhet. I 11. 1370*a* 29.

Iam vero intellectio summa et absoluta, *ἡ νόησις ἡ καθ' αὑτήν* *b*18, summam contemplatur et absolutam substantiam; se igitur (*αὑτὸν δὴ νοεῖ* *b*20 scribendum videbitur conferenti eandem ratiocinationem 9. 1074*b* 33) ipsum contemplatur summus intellectus. Quum enim comprehendit et quasi attingit (*θιγγάνων* *b*21, cf. ad *Θ* 10. 1051*b* 24) id quod est intelligibile, sibi ipse fit intelligibilis, ut idem sit intellectus et intelligibile, cf. de an. III 4. 429*b* 30. Intellectus enim suapte natura aptus est ad recipiendum id quod est intelligibile, id est autem (*καί* *b*22 explicandi vim habet, cf. ad *Z* 12. 1038*a* 7) ad recipiendam substantiam, *τῆς οὐσίας*, i. e. (cf. ad *Α* 6. 987*b* 21) *τῆς κατὰ λόγον οὐσίας* sive *τοῦ τί ἦν εἶναι*, cf. de an. III 4. 429*a* 15: *δεκτικὸν τοῦ εἴδους*. Summus vero intellectus, quoniam ipse in se continet atque ipse est *τὸ νοητόν* (*ἔχων* *b*23, int. *τὸ νοητόν* [1])), non faculta-

1) Aliter haec verba: *ἐνεργεῖ δ' ἔχων* interpretatur Krische l. l.: *Die richtige Beziehung in diesem Satze ist nur dann möglich, wenn man das ἐνεργεῖν und ἔχειν, dieses nach Ar. Sprach- und Denkweise als das bloſse Haben des Vermögens zum Denken, gegenüberstellt, indem erst dann die θεωρία, die hier dem ἔχειν wie sonst in demselben Sinne der ἐπιστήμη entgegentritt, als reine Thätigkeit entspricht. Entscheidend ist*

tem solum habet intelligendi, sed *ἐνεργεῖ* *b*22. Atque, si actum potentia potiorem esse constat (cf. *Θ* 8), in hoc potius intelligendi actu quam in potentia divinam eius naturam cerni apparet, eaque suimet ipsius contemplatio summa eius et virtus est et beatitudo, *b*24. Deus igitur, is enim est summus ille intellectus, quia perpetuo in hoc est actu neque unquam e potentia transit ad actum, cf. 9. 1074*b*28, perpetuo ea fruitur beatitudine, cui summa humanae vitae beatitudo vix comparari, nedum aequari possit. Ac vita inest summo intellectui; ipsa enim eius actio est vita. Itaque (*φαμὲν δή* *b*28 scribendum videtur, quoniam complectitur Ar. quae antea comprobavit) deus est *ζῷον ἀΐδιον ἄριστον*, ac vita aeterna et optima non inest solum deo, sed ipse est haec vita, cf. de coelo II 3. 286*a* 9: *θεοῦ δ' ἐνέργεια ἀθανασία· τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος*. I 9. 279*a* 20. Eth. N. X 8. 1178*b* 8.

1072*b* 30 *ὅσοι* — 1073*a* 3 *σπέρμα*. Coniuncta in primo

Phys. VIII 4. 255*a* 33: *ἔστι δὲ δυνάμει ἄλλως ὁ μανθάνων ἐπιστήμων καὶ ὁ ἔχων ἤδη καὶ μὴ θεωρῶν. — ὁ γὰρ ἔχων ἐπιστήμην μὴ θεωρῶν δὲ δυνάμει ἐστὶν ἐπιστήμων πως.* *de an. II* 1. 412*a* 23: *φανερὸν οὖν ὅτι ὡς ἐπιστήμη, — ἀνάλογον δ' ἡ μὲν ἐγρήγορσις τῷ θεωρεῖν, ὁ δ' ὕπνος τῷ ἔχειν καὶ μὴ ἐνεργεῖν.* 5. 417*b* 5: *θεωροῦν γὰρ γίγνεται τὸ ἔχον τὴν ἐπιστήμην.* *Met. Θ* 6. 1048*a* 34. 8. 1050*a* 36. — Sed his exemplis, quibus rem decerni Krische dicit, equidem prope nihil probari arbitror; nusquam enim *ἔχειν* ipsum per se potentiae vim habet, sed ubique aut additum est *ἐπιστήμην*, aut ex antecedentibus verbis facile suppletur, veluti Phys. l. l. ex nom. *ἐπιστήμων* facile obiectum *ἐπιστήμην* repetas; hoc autem, de quo agitur, loco nullo modo ad *ἔχειν* suppleri potest *ἐπιστήμην*. Quodsi liceret ipsum verbum *ἔχειν* potentiae significatu accipere, ne tum quidem ea interpretatio apta videretur. Hoc enim diceret Aristoteles: *ὁ νοῦς ἐστὶ τὸ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ*, i. e. *ὁ νοῦς ἐστὶ δύναμις τοῦ νοεῖν*. Sed quum sit potentia, *ἔχων*, i. e. *ὢν δυνάμει*, idem *νοῦς* simul *ἐνεργεῖ*. Ita coniungeretur quidem in eodem enunciato potentiae et actus significatio, sed qui fiat ut *νοῦς* non solum potentia sit sed actu, i. e. *νόησις*, non esset indicatum. At hoc apte indicatur si ad *ἔχων* ex antecedentibus *τὸ νοητόν* supplemus; *νοῦς*, quoniam *γίγνεται νοητός* *b*20, ipse in se neque extra positum habet *τὸ νοητόν*, ac propterea non solum facultas sed ipse actus est intelligendi. Eandem interpretationem proposuit Zeller Ph. d. Gr. II. p. 431, 3; Krischii explicationem probavit Schw. — Proximis in verbis cur vulgatae lect. Alexandri scripturam praeferendam putaverim, ex ipsa interpretatione apparere arbitror; hoc enim Ar. dicit: *ὥστ' ἐκείνου* (int. *τοῦ δεκτικὸν εἶναι*) *μᾶλλον τοῦτο* (int *τὸ ἐνεργεῖν*, et suppl. *ἐστίν*) *ὃ δοκεῖ κτλ.*

'eiutantur ii, qui, ut Pythagorei et Speusippus, bonitatem et pulchritudinem a principio rerum seiunctam esse et ad earum finem transferendam censuerunt, inducti nimirum in hunc errorem rerum singularum comparatione, quarum elementa sane et causae proximae ipsis sunt imperfectiora, sed repetenda tamen sunt ex causis superioribus iisque perfectis. Quare ad primam causam ea imago non debebat adhiberi. (*σπέρμα* *b* 35, cf. ad 6. 1071*b* 31.) — Eandem vituperationem legimus *N* 4. 1091*a* 33 sqq. 5. 1092*a* 11. Et Speusippus quidem quomodo dicatur bonitatem non summo principio tribuisse, sed eam *ὑστερογενῆ* posuisse, cognosci potest coll. *Z* 2. 1028*b* 21: *Σπεύσιππος δὲ καὶ πλείους οὐσίας ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀρξάμενος, καὶ ἀρχὰς ἑκάστης οὐσίας ἄλλην μὲν ἀριθμῶν, ἄλλην δὲ μεγεθῶν, ἔπειτα ψυχῆς.* Haec enim diversa rerum genera Speusippus putandus est non prorsus seiuncta inter se posuisse, sed profecto perfectiora ex simplicioribus et imperfectis repetiit, veluti geometricas magnitudines ex arithmeticis sim., unde prope necessario eo est deductus, ut postremo demum ideoque perfectissimo in genere rerum bonitati suum assignaret locum. Sed Pythagorei qua de causa huc referantur dubito num certo diiudicari possit. Zeller Ph. d. Gr. I. p. 125 Pythagoreorum de numeris doctrinam respici putat. Optimum enim et pulcherrimum ex placitis Pythagoreorum esse numerum et harmoniam, ea vero non esse principia, sed orta ex elementis, fine et infinito. Krische vero l. l. p. 250 sqq. vituperationem Ar. ad eam refert Pythagoreorum sectam, qui potissimas oppositiones per duas series disposuerint, cf. *A* 5. 986*a* 23; ii enim non primo loco posuerunt bonum et malum, sed exorsi a fine et infinito longe posteriorem illi contrarietati locum destinaverunt. Alias aliorum de eadem re opiniones cf. apud Zeller et Krische ll. ll.

c) 1073*a* 3 *ὅτι* — 13 *τρόπον.* Aeterna et immobilis substantia, quae summum est principium movens, eadem exemta est ex omni magnitudinis et extensionis notione, immunis a quolibet affectu et alteratione. Hoc quum dicit demonstratum esse, *δέδεικται δὲ καί* *a* 5, non potest videri respicere ad 6. 1071*b* 21: *ἔτι τοίνυν ταύτας δεῖ τὰς οὐσίας*

εἶναι ἄνευ ὕλης· ἀϊδίους γὰρ δεῖ, ibi enim licet quidpiam significatum sit, quod huc pertinet, tamen nequaquam res ita discussa est et demonstrata, ut eo possit lectores ablegare. Respicit potius ad Phys. VIII 10. 267*b* 17 sqq., ubi uberius et accuratius de eadem re exponitur, cf. de coelo I 7. 275*b* 22. — Summum principium movens non potest esse magnitudo, quia si esset magnitudo, aut finitam eam esse oporteret aut infinitam; at finita magnitudo non potest motum efficere infinitum (cf. Phys. l. l.), infinita magnitudo omnino non potest esse, cf. Phys. III 5. de coelo I 5. Idem ab omni mutatione et affectione immune est, quia nec locali motui subiectum est, atque is tamen primus est motus, cf. ad 1072*b* 8.

CAP. VIII.

Quot sint numero principia aeterna moventia.

Ponendum omnino esse principium motus immobile idque principium simplex natura oportere esse supra demonstravit, sed caute simul distinxit (cf. ad 7. 1072*a* 32) nihildum destinatum esse de eius principii numero, utrum unum sit numero an plura, et si plura, qui sit eorum definitus numerus, quum infinitum esse non posse ex ipsis infiniti ac principii notionibus constet. Eam quaestionem nunc ad disceptandum proponit.

a) 1073*a* 15 *ἀλλὰ* — 22 *ἀποδεικτικῆς*. Superiorum philosophorum placita (*ἀποφάσεις* *a* 16, i. e. *γνώμας* sive *δόξας*) quum adhibere in discutiendis quaestionibus Aristoteles soleat (cf. ad *A* 3. 983*b* 1), hoc loco brevissime ea commemorasse satis habere potest. Neque enim certi quidquam de eiusmodi principiorum numero definierunt. Ideae Platonis, licet pro principiis moventibus haberi nequeant (cf. *A* 7. 988*b* 3), tamen quum pro principiis omnium rerum eaeque plures numero positae sint, quam non definitus sit numerus eorum monet. Quum enim ideas per numerorum naturam signare et definire sibi videantur, parum illi sibi constant, siquidem modo intra denarium numerum generationem numerorum idealium circumscribunt (cf. ad *M* 8. 1084*a* 12) modo in infinitum extendere videntur. In his imaginandi

b) 1073a 22 ἡμῖν — b1 πρότερον. Itaque quum ab ıtiquioribus philosophis nullus ad nos redundet fructus, ab ; fundamentis ordiendum in quaestione, quae antea sunt ɔsita (ἐκ τῶν ὑποκειμένων a 23). Motus ut omnino esse ɔssit, poni oportet principium movens immobile, aeternus otus aeternum requirit motorem immobilem, et si plures ut singuli singulos. Atqui videmus, a 28, praeter motum rbicularem (τὴν ἁπλῆν φοράν a 29, cf. Phys. VIII 9. 265a 6: τῆς δ' εὐθείας φορᾶς προτέρα ἡ κύκλῳ· ἁπλῆ γὰρ κὶ τέλειος μᾶλλον) stellarum inerrantium, excitatum illum a ımmo principio movente immobili, alios motus sphaeraım planetarum. Quae quum singulae singulos sibi flagiınt motores immobiles, quumque aeterna astrorum substan.a non possit habere principium movens nisi quod et ipsum ubstantia sit aeterna: quot sunt sphaerarum motus, totidem portet substantias aeternas immobiles materiae immunes ro principiis movendi poni. Hi motores aeterni immobis, distinguendi illi quidem, ut recte monet Alex. p. 682, 3, singulis singulorum astrorum animis (cf. de coelo II 12. 90a 20 sqq.), quam habeant ad summum primi coeli moɔrem rationem, frustra ab Ar. quaesiveris. Ac deos diisve imiles quum eos esse dicit (cf. 1074b 9), ab unitate dei τοῦ κινοῦντος ἀκινήτου), quam enixissime contendit (cf. O. 1076a 4: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος), quasi ıvitus ad multitudinem inferiorum quorundam deorum vietur descivisse. — a 32 δέδεικται δ' ἐν τοῖς φυσικοῖς, cf. Phys. VIII 8. 9. de coelo II 3 sqq. — a 37 τοσαύτας τε, nihil lesideraveris si omittatur part. τε, ut est omissa in ed. Sylb. Si est genuina, referenda videtur ad τήν τε φύσιν, ut inter e coniungantur numerus et natura substantiarum aeternarum. — b1 διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν πρότερον, cf. 7. 1073a 5.

c) 1073b 1 ὅτι — 17 ἀκριβεστέροις. Quum igitur substantiarum illarum numerus et ordo ex motibus vel ex sphaeris planetarum suspensus sit, harum ut et numerum cognoscamus et ordinem ad astronomiam digrediendum est. Astronomiam autem, cuius auxilio indigemus, proxime cognatam esse dicit ipsi philosophiae ex omnibus disciplinis

mathematicis (*οἰκειοτάτης φιλοσοφίᾳ* in textu scripsi, Alexandrum et Themistium secutus, pro vulgata librorum a scriptorum et editorum lectione *οἰκειοτάτης φιλοσοφίας*; licet enim *φιλοσοφίας* nomen facile ita potuerit extendi, ut universe doctrinam ac scientiam significet, cf. ad *Α* 3. 983*b* 21, tamen aegre ad adiectivum *οἰκειοτάτης* desideres significari, cui doctrinae maxime sit cognata). Quum enim reliquae doctrinae mathematicae tantum non omnes in contemplandis meris formis extensionis, abstractis illis quidem a rebus sensibilibus, neque vero circa ipsas res sensibiles versentur (cf. *M* 2. 3), astronomiae substantiae sensibiles et aeternae siderum ad speculandum propositae sunt, cf. Phys. II 2. 194*a* 7. Huius igitur doctrinae quum advocat auxilium, eos respicit astronomos, qui illa aetate doctrinae laude maxime florebant, Eudoxum Cnidium (cf. Fabric. Bibl. Gr. IV. p. 10. Ideler über Eudoxus, Abh. d. Berl. Ak. 1828 et 1830) eiusque discipulum (cf. Simpl. Schol. p. 498*b* 28) Callippum Cyzicenum; sed eorum placitis ita utitur, ut ipse nonnihil ad ea emendanda et supplenda adiiciat. Haec tamen omnia ne quis certa et necessaria esse opinetur, et a principio eius disputationis cavet, 1073*b* 13—17, et exposito sphaerarum numero iterum lectores monet, 1074*a* 16, neque eandem vim huic tribuit de numero sphaerarum expositioni, atque illi argumentationi, qua esse omnino principium movens immobile demonstravit. Nimirum de exsistentia ac necessitate eiusmodi principii omnem oportet dubitationem exemtam esse, si quis rerum naturam et generationem, qui possit omnino fieri, intelligere voluerit; de numero autem aeternorum principiorum moventium dubitare licebit, modo constet, unde huius numeri cognitio petenda sit. Disputat de ea re tantum *ἐννοίας χάριν* *b* 12, ut aliquatenus certe imaginari possimus, quot sint numero sphaerae, quot substantiae aeternae immobiles, eamque rem et aliorum quos consulat auxilio et sua ipsius disquisitione amplius dicit investigandam esse. (*b* 16 *φιλεῖν μὲν ἀμφοτέρους, πείθεσθαι δὲ τοῖς ἀκριβεστέροις*, cf. Eth. N. I 4. 1096*a* 16: *ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν*.) Itaque quum obiter modo hanc rem Aristoteles perstringat, ut quae probabilitatem, non veritatis necessitatem assequatur, satis habebimus ipsa Ari-

:oteiis verba brevissime explicuisse; qui plura desiderent, ii deant praeter Ar. de coelo II 12 inter commentatores veteres Simpl. ad l. l. de coelo, Schol. p. 498*b*—504*b*. Alex. d ipsum hunc locum p. 677—681, inter recentiores Ideer l. l., ac praecipue, qui de ea re accuratissime et sagaissime disputavit, Krische Forsch. I. p. 286—300.

d) 1073*b* 17 *Εὔδοξος* — 1074*a* 14 *τεσσαράκοντα*. Solis ac lunae motus triplici uterque modo definitus est; primum enim intra diei spatium pariter ac stellae fixae ab oriente ad occidentem volvuntur, deinde intra longius vel anni vel mensis spatium per zodiacum moventur ut modo cum hoc modo cum illo zodiaci sidere orientes occidentesve conspiciantur; denique ab eo orbe, quem zodiacus destinat, videntur ita aberrare, ut a medio zodiaco latitudinem versus oblique declinent, ac luna quidem longius, sol minus longe, neque in solstitiis sol in eodem zodiaci loco oriens vel occidens conspiciatur, cf. Simpl. Schol. 498*b* 39. Hanc triplicem eiusdem motus qualitatem Eudoxus haud inepte ita sibi videtur explicare, ut ex tribus motibus eum compositum esse statuat ac tres ponat sphaeras circa idem centrum diversa directione sese volventes, quarum sphaerarum uni infixa sit ipsa stella, duae reliquae, suum motum ad illam sphaeram propagantes, ita motum stellae immutent. Ac prima quidem sphaera eodem fertur motu ac sphaera stellarum fixarum; altera motu, quo fertur, orbiculari ipsum sequitur zodiaci orbem; tertia denique volvendo orbem describit, qui oblique zodiacum transit et a medio zodiaco extremam latitudinem versus magis minusve declinat (*κατὰ τὸν λελοξωμένον ἐν τῷ πλάτει τῶν ζῳδίων* *b*20). Ad explicandum autem planetarum motum tres illae sphaerae non sufficiunt sed adhibendae sunt plures. Atque Eudoxus quidem quatuor sphaeris planetarum motum descripsit. Prima et altera sphaera eundem habent motum, ac prima et secunda solis lunaeque sphaera, quoniam et quotidianum ab oriente versus occidentem motum et eum qui eclipsin sequitur communem cum sole et luna omnes habent planetae, *a*24—27. Tertia autem planetae cuiusque sphaera ea volvitur directione, ut poli sphaerarum in circulo per medium zodiacum ducto positi sint, *b*28 (unde sequitur ut vice versa

zodiaci polus ibi sit positus, ubi harum sphaerarum aequatores inter se secantur). Quarta denique sphaera sic describitur, *b*29: *τῆς δὲ τετάρτης τὴν φορὰν κατὰ τὸν λελοξωμένον πρὸς τὸν μέσον* (int. *κύκλον*) *ταύτης* (i. e. *τῆς τρίτης σφαίρας*). *Μέσος κύκλος* sphaerae circa centrum motae non potest alius vocari nisi aequator; volvitur igitur quarta planetae cuiusque sphaera ita, ut eius aequator aequatorem tertiae sphaerae oblique secet, eademque intercedat in singulis planetis inter quartam ac tertiam sphaeram ratio atque in sole ac luna inter tertiam ac secundam. Ceterum quum tertiae sphaerae ea modo lex descripta sit, ut poli in zodiaco siti sint, in eo autem infinita puncta pariter possint polis locum dare, Eudoxus statuit polos tertiae sphaerae Veneris in eadem incidere zodiaci puncta ac Mercurii; in ceteris autem planetis suos esse tertiae cuique sphaerae polos. — His autem sphaeris Callippus nondum sibi visus est ea, quae in siderum motu animadvertimus (*τὰ φαινόμενα* *b*36) plene explicare posse, sed addendas esse soli et lunae binas utrique sphaeras (*δύο* *b*36, i. e. *δύο ἑκατέρῳ*, ut ex proximis verbis apparet), ceteris singulis singulas, praeter Saturnum et Iovem, quibus nullas omnino adiecit. Inde haec exsistit computatio:

	Eudoxus tribuit sphaeras	Callippus addidit	ut fiant
Saturno	4	0	4
Iovi	4	0	4
Marti	4	1	5
Veneri	4	1	5
Mercurio	4	1	5
Soli	3	2	5
Lunae	3	2	5
	26	7	33

(Descripsi hanc tabulam ex libro l. Krischii p. 295.)

Sed ne in hac quidem sphaerarum descriptione acquiesci posse Aristoteles censet, *b*38. Nimirum sphaerae Saturni, qui extremo orbe volvitur, eum quem coniunctae efficiunt motum propagabunt ad proximam Iovis sphaeram, pariter sphaerae Iovis ad proximam Martis et superioris

ore planeta (*τὴν πρώτην σφαῖραν ἀεὶ τοῦ ὑποκάτω τεταμένου ἄστρου* a 3). Inde planetae cuiusque motus non ex s tantum efficietur sphaeris, quae ad eum ipsum pertinent, ed ex omnibus superioribus. Quare ut prima sphaera in- erioris cuiusque planetae solvatur a motu sphaerarum su- erioris planetae et re vera ipsius tantum planetae sphae- as ad motum eius explicandum adhiberi liceat, ponantur ot sphaerae revolventes, quot volvitur planeta superior, raeter unam; etenim motus eius sphaerae, per quam sin- ulis diebus ab oriente occidentem versus feruntur, non st cur revolvatur, siquidem omnibus est planetis commu- iis. Praeterea non opus est his sphaeris revolventibus in nfimo sidere, luna, quia huius sphaerae non habent infra e, quarum motum conturbent [1]). Itaque a Callippo quo- nodo Ar. differat ex hac potest tabula cognosci, quam Kri- che l. l. p. 298 proposuit:

	Callippus tribuit		Aristoteles addit revolventes	
Saturno	4	*ὀκτώ* b 6.	3	*ἕξ* b 9.
Iovi	4		3	
Marti	5	*πέντε καὶ εἴκοσι* b 7.	4	*ἑκκαίδεκα* b 10.
Veneri	5		4	
Mercurio	5		4	
Soli	5		4	
Lunae	5			
	33	+	22	= 55.

Iam extrema huius disputationis astronomicae verba maximas turbas fecerunt interpretibus a 12: *εἰ δὲ τῇ σελήνῃ καὶ*

1) a 4 *οὕτω γὰρ μόνως ἐνδέχεται τὴν τῶν πλανητῶν φορὰν ἅπαντα ποιεῖσθαι*, subiectum enunciati a v. *ἐνδέχεται* pendentis est *ἅπαντα*, i. e. *συντεθεῖσας πάσας τὰς σφαίρας τάς τε φερούσας καὶ τὰς ἀνελιττούσας*, obiectum vero *τὴν τῶν πλανητῶν φοράν*, motum planetarum qualem conspicimus, *τὰ φαινόμενα* a 1, ut hoc Ar. dicat: haec una est ratio, ex qua ea quae ponimus omnia motum planetarum efficiant et explicent. Nec possum Schw. assentiri enunciatum sic vertenti: *nur bei dieser Annahme sei es möglich, dass der Umlauf der Planeten alle Erscheinungen hervorbringe.* Motus enim planetarum ipse est illud *φαινόμενον*, in quo explicando opera ponitur.

τῷ ἡλίῳ μὴ προστιθείη τις ἃς εἴπομεν κινήσεις, αἱ πᾶσαι σφαῖραι ἔσονται ἑπτά τε καὶ τεσσαράκοντα. Nimirum verbis: ἃς εἴπομεν κινήσεις significari censent sphaeras a Callippo additas; at si binas solis et lunae ac simul duas revolventes solis omiseris, non quadraginta septem sed novem et quadraginta relinquuntur; unde factum est, ut etiam de errore librariorum quidam interpretum cogitarent, cf. Alex. p. 681, 19. Sed textum vulgatum et veterum interpretum auctoritate confirmatum non esse tentandum Krische l. l. rectius explicatis verbis Ar. demonstravit. Etenim non Callippi sed ipsius Aristotelis, ἃς εἴπομεν κινήσεις, sphaerae intelligendae sunt, i. e. sphaerae revolventes. Iam vero revolventes sphaerae quot sint in quoque planeta, e numero sphaerarum superioris planetae definitur, sed ipsa earum vis, cuius causa positae sunt, non in hoc superiore sed in inferiore cernitur planeta, cuius primam sphaeram suum in locum restituant. Itaque quum dicit «si lunae ac soli non addiderimus sphaeras revolventes» significare potest eas sphaeras revolventes, quibus cavetur, ne prima solis ac lunae sphaera superioris planetae motu conturbetur, id est autem eas sphaeras, quibus revolvuntur Mercurii et solis motus: quas quidem propterea videtur statuisse minus necessario ad explicandum requiri, quia sol et luna maiore a reliquis planetis distinguantur intervallo. Has octo sphaeras revolventes solis et Mercurii si omittimus, is ipse efficitur numerus, quem computavit Aristoteles.

e) 1074a 14 τὸ μὲν — 31 οὐρανόν. Quot sint sphaerae sive motus planetarum, totidem substantias esse confirmat aeternas moventes ipsas immobiles, hac usus demonstratione. Necessario confici ut idem sit substantiarum numerus ac motuum, si haec duo constent, non esse motum, quin moveat aliquid (μηδεμίαν οἷόν τ' εἶναι φορὰν μὴ συντείνουσαν πρὸς ἄστρον φοράν a 17, πᾶν τὸ φέρον τοῦ φερομένου χάριν πέφυκε a 25) deinde substantiam quamlibet affectionum immunem et bonam pro fine esse habendam, a 19. Etenim haec si constant, si plures ponuntur substantiae aeternae ἀπαθεῖς, conficitur ut plures efficiant motus, tamquam τέλος, quod illi motus appetant. Atqui motus non potest esse nisi habeat quod moveat, a 17, 25, 30, nec potest in

omnium motus tantum motus causa fieri. Iam vero nec plures sunt planetae quam quos diximus, nec plures eorum et fixarum stellarum motus poni consentaneum est (huc enim pertinet illud εὔλογον a16), quam nos astronomorum sententia emendata posuimus; ergo nec plures statuendae sunt substantiae aeternae immobiles.

Haec argumentandi ratio petita est satis perspicue ex natura substantiae aeternae, quae necessario causa sit motus, et ex natura lationis, quae non possit esse sine aliquo, quod feratur, corpore. Sed in ipsis verbis restant aliquae difficultates. a14 τὸ μὲν οὖν πλῆθος τῶν σφαιρῶν. In lectione σφαιρῶν cum libris manu scriptis consentiunt Alexander et Themistius; Simplicius vero ad libr. de coel. II 12. Schol. 502a 18 exhibet φορῶν, atque eam lectionem recipi iubet Krische l. l. p. 288, magna sane cum specie veritatis. Licet enim eodem numero et sphaerae coelestes et lationes siderum computentur, tamen argumentatio, quam Ar. orditur, ita est petita e natura et notione φορᾶς, ut lationum, non sphaerarum numerum hic commemorari consentaneum sit. Accedit quod ea ipsa verba, quae proxime subsequuntur: ὥστε καὶ τὰς οὐσίας καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς ἀκινήτους καὶ τὰς αἰσθητὰς τοσαύτας εὔλογον εἶναι, non videntur intelligi posse, nisi φορῶν pro σφαιρῶν receperis. Etenim principia sensibilia quae possunt alia dicta esse, nisi sphaerae motae illae a motoribus immobilibus? At sphaerarum numerus non potest per particulam conclusivam ὥστε commemorari, si idem iam in colo antecedente significatus est. — a19 ἔτι δὲ πᾶσαν φύσιν καὶ πᾶσαν οὐσίαν ἀπαθῆ καὶ καθ' αὑτὴν τοῦ ἀρίστου τετυχηκυῖαν τέλους εἶναι δεῖ νομίζειν. Haec verba uti nunc exhibentur non videntur aliter posse grammatice conformari, nisi ut ἀπαθῆ καὶ καθ' αὑτήν pro epithetis habeantur substantiae, et proxima verba: τοῦ ἀρίστου τετυχηκυῖαν τέλους pro praedicato. At argumentatio non inde petitur, quod substantiae illae immobiles ipsae suum et optimum quidem finem assecutae sint, sed quod aliis sint pro fine qui appetatur, κινοῖεν ἂν ὡς τέλος οὖσαι φορᾶς a23. Inde probabile videbitur pro τέλους scribendum esse τέλος: substantiae quotquot ab omni affectione immunes et per se optimae sunt, eae omnes ha-

bendae sunt pro summo fine, qui a reliquis appetatur. Confirmabit hanc emendationem Alexander p. 683, 7, siquidem lectionem cod. *A* τέλος recte ibi restituisse videar. — Ceterum alia ratione substantias immobiles dici τέλος φορᾶς a23, alia corpora coelestia quae moventur, a30, facile est intelligere: illae lationis causae sunt finales, haec eius obiecta; de quo discrimine τοῦ οὗ ἕνεκα dictum est ad 7. 1072b 1.

f) 1074a 31 ὅτι — 38 μόνος. Unum esse coelum, id est autem unam esse totius mundi universitatem, physicis rationibus Ar. comprobat de coelo I 8. 9, ibique idem demonstrari posse monet argumentis ex prima philosophia repetitis, cf. 277b 9: ἔτι δὲ καὶ διὰ τῶν ἐκ τῆς πρώτης φιλοσοφίας λόγων δειχθείη ἄν. Eam metaphysicam argumentationem h. l. habemus. Plures si essent coeli, ait, plura item oporteret esse principia moventia immobilia; eaque profecto omnia specie ac notione eadem essent, et numero tantum plura, a32. At si qua numero sunt plura, quum eadem notione contineantur, ex materia, quacum coaluerunt, hoc habent ut sint plura (cf. *Z* 8. 1034a 5. *I* 9. 1058b 5. de coel. I 9. 278a 18: ἐπὶ πάντων γὰρ οὕτως ὁρῶμεν, ὅσων ἡ οὐσία ἐν ὕλῃ ἐστί, πλείω καὶ ἄπειρα ὄντα τὰ ὁμοειδῆ); summum autem principium movens, quoniam est ἐνέργεια (cf. c. 7) sive ἐντελέχεια sive τὸ τί ἦν εἶναι a35, ab omni et potentiae et materiae admistione immune est. Ergo unum est principium movens immobile, ideoque unum item quod aeterno motu moveatur, id est: unum est coelum, a38. — In hac argumentatione eadem relinquitur dubitatio, de qua dixi ad 1073a 36, nimirum quae intercedat inter principia moventia planetarum et inter principium movens stellarum fixarum ratio. Etenim ex ipsa ratiocinatione Aristotelis consequens esse videtur, quoniam principium movens immateriale est, ut non possint esse plura principia moventia. At posuit tamen plura eorumque numerum definivit, ut non possim perspicere, quomodo iam, neglecta prorsus ea multitudine principiorum, ex unitate principii moventis concludat unitatem coeli.

a34 εἷς γὰρ λόγος καὶ ὁ αὐτὸς πολλῶν, οἷον ἀνθρώπου, Σωκράτης δὲ εἷς. Quid voluerit Ar. significare his verbis conferentibus universum sententiae contextum non potest

dubium videri: notio hominis eadem est in omnibus hominibus, singuli autem homines, veluti Socrates, Callias al. per materiae diversitatem distinguuntur (cf. *Z* l. l.: *τὸ δ' ἅπαν ἤδη τὸ τοιόνδε εἶδος ἐν ταῖσδε ταῖς σαρξὶ καὶ ὀστοῖς Καλλίας καὶ Σωκράτης· καὶ ἕτερον μὲν διὰ τὴν ὕλην, ἑτέρα γάρ, ταὐτὸ δὲ τῷ εἴδει*). Sed ipsa verborum explicatio difficilis; extrema certe verba: *Σωκράτης δὲ εἷς*, quomodo explicanda putem equidem non video. Alexandrum p. 684, 30 a veritate aberrare recte Schw. monet, nec vero magis ipsius explicatio videtur apta esse, quum per voc. *εἷς* significari *τὴν ἀτομότητα*; *τὸ καθ' ἕκαστον* (*«ein einzelnes Exemplar»*), existimat [1]). Neque enim voc. *εἷς* per se hanc videtur vim habere posse, nec si haberet, id quidem sufficeret; quoniam enim exemplo illustrare studet hanc propositionem: *ὅσα ἀριθμῷ πολλά, ὕλην ἔχει*, iure exspectes singulorum hominum diversitatem ex materia repetendam commemorari. Propterea vulg. lect. depravatam esse suspicor et haud scio an tale quid scriptum fuerit, quale Themistius (cf. var. lect.) interpretatione expressit.

g) 1074*b* 1 *παραδέδοται* — 14 *μόνον*. Quemadmodum Ar. saepius veterum philosophorum placita ita corrigit et illustrat, ut quae illi voluerint et obscure significarint, ea cum sua doctrina concinere demonstret (cf. 2. 1069*b* 20 et ad *Α* 8. 989*a* 30), similiter h. l., ratus ille nimirum vulgatis hominum opinionibus utique aliquam inesse veritatis partem (cf. ad *Α* 2. 982*a* 6), vulgares de diis opiniones ita excutit, ut quid iis insit veri, quid falsi adnexum sit distinguat, et pristina illa ac genuina antiquissimorum populorum religione suam sententiam confirmari doceat. Ipse enim Ar. ratiocinando invenit motoribus siderum immobilibus divinam esse naturam assignandam; similiter vetustissimi quique et barbari et Graeci ipsis sideribus divinum numen inesse eoque numine universum mundum contineri uno consensu statuerunt, cf. de coelo I 3. 270*b* 5: *πάντες γὰρ ἄνθρωποι περὶ*

1) Schw. ad h. l.: *Der Sinn ist: der Begriff des Menschen ist einer und derselbe, Sokrates aber ist Einer unter Vielen seines Gleichen, ein einzelnes Exemplar. Wäre er nur Begriff* (*ein καθόλου ἄνθρωπος*), *so könnte er diefs nicht sein. Er hat also Materie und ist eins unter Vielen vermöge seiner Materie.*

θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θεῷ τόπον ἀποδιδόασι καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες, ὅσοιπερ εἶναι νομίζουσι θεούς, δῆλον ὅτι ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον· ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. II 1. 284a 2. 13 Meteor. I 1. 339b 20. Posteriores autem quod deos humana (b5, cf. *B* 2. 997b 10) aliorumve animalium (b6) forma induerunt, vitamque humanae vitae similem iis tribuerunt (b, cf. Pol. I 2. 1252b 26), quum tamen divinior putanda sit siderum quam hominum natura (cf. Eth. N. VI 7. 1141a 34), sive illud, quae est Aristotelis sententia, de industria instituerunt publicae salutis causa (cf. α 3. 995a 4), sive cogitandi et imaginandi necessitatem quandam secuti sunt, manifesto depravarunt antiquissimam et eam quidem vere divinam de diis opinionem. Itaque nihil mirum, quod Ar. fabularum involucra, quibus obtectus est vulgaris deorum cultus, nihil curat, quin etiam ridere videtur (cf. *B* 4. 1000a 9. de coel. II 1. 284a 18), atque idem tamen in antiquissimis opinionibus prima sibi videtur invenisse vestigia veritatis, quae et his et aliis in rebus saepius apud homines inventa sit et vicissim interierit, cf. de coelo I 3. 270b 19: οὐ γὰρ ἅπαξ οὐδὲ δὶς ἀλλ' ἀπειράκις δεῖ νομίζειν τὰς αὐτὰς ἀφικνεῖσθαι δόξας εἰς ἡμᾶς. Meteor. I 3. 339b 27. Pol. VII 10. 1329b 25 cf. Krische Forsch. I. p. 302. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 555. — b6 καὶ τῶν ἄλλων ζῴων ὁμοίους. Vere haec verba ad Aegyptios Alex. p. 685, 30 videtur referre; etenim non Graecorum solum sed etiam barbarorum de diis opiniones ab Ar. respici apparet ex l. l. de coelo 270b 5; antiquissimos autem quum dicit hanc doctrinam posteris tradidisse (b1 τῶν ἀρχαίων καὶ παμπαλαίων, b14 παρὰ τῶν πρώτων), vix poterat praetermittere Aegyptios, quem populum omnium antiquissimum esse iudicat, cf. Meteor. I 14. 352b 20. Pol. VII 10. 1329b 32. — b11 φιλοσοφίας, latiore sensu usurpatum, cf. ad *A* 3. 983b 21.

CAP. IX.

Summi intellectus eam esse, quam supra descripsit, naturam, ut sit sui ipsius intellectus, excussis dubitationibus quibusdam confirmat.

Exposito numero substantiarum moventium, quae quum et ipsae aeternae divinae immobiles sint, summo tamen sunt intellectu inferiores, ad hunc contemplandum revertitur ac quaestiones aliquot de eius natura movet motasque deinde dirimit. — b15 *δοκεῖ μὲν γὰρ* (int. ὁ νοῦς) *εἶναι τῶν φαινομένων θειότατον.* Mirum videri debet, quod dicit: *τῶν φαινομένων*, etenim *φαινόμενα* dicuntur ea quae apparent ac sensibus percipiuntur, ideoque saepissime opponuntur ratiocinationi, *τῷ λόγῳ*, cf. ad 6. 1072a 17; intellectus vero summus non in iis est rebus, quae sensibus percipiuntur, sed et esse eum et qualis sit ratiocinando tantum assequimur. Alexander num haec vocc. in textu habuerit, dubium est, quoniam in interpretatione h. l. ea prorsus negligit, cf. p. 686, 15: *ὅτι μὲν γὰρ ὁ τοιοῦτος νοῦς τὸ θειότατον πάντων ἐστὶ καὶ τὸ ἄριστον φανερόν.* Quodsi genuina sunt, difficultas aliquanto certe minuitur, si intellexerimus *τῶν φαινομένων κατὰ τὸν οὐρανόν.* cf. Phys. II 4. 196a 33: *τὸν δ' οὐρανὸν καὶ τὰ θειότατα τῶν φανερῶν κτλ.* Ipsorum nimirum siderum (ea enim sunt *τὰ φαινόμενα κατὰ τὸν οὐρανόν*) divina est natura, cf. Eth. N. VI 7. 1141a 34; sed longe illa superat divinitate naturae summus intellectus.

a) 1074b 14 *εἴτε* — 35 *νόησις*. Tres proponit quaestiones, easque deinde (b25 *δῆλον τοίνυν κτλ.*) solvit. Si intellectum statuimus nihil intelligere, sed quasi dormire (i. e. *δυνάμει εἶναι, ἀλλ' οὐκ ἐνεργείᾳ*, cf. ad Θ 6. 1048b 1), evanuit divina eius maiestas, b17, 18. Sin intelligit quidem, sed id ipsum ut intelligat aliunde est suspensum, ab eo nimirum, quod intelligitur, non potest ipse pro optima substantia haberi; etenim ex actu intelligendi dignitas eius est repetenda, ipse vero intellectus, si hanc eius naturam esse ponimus, non actus sed potentia est intelligendi, b18—21. (b19 *οὐ γάρ ἐστι*, quoniam concludit Ar., quid esset consecuturum si hoc poneremus, scribendum videtur: *οὐ γὰρ ἔσται.* Ceterum enunciatio ita est construenda, ut vv. *τοῦτο ὅ ἐστιν αὐτοῦ ἡ οὐσία* pro subiecto habeantur, et *νόησις* ac *δύναμις* pro praedicatis.) Denique quoniam a dignitate eius rei, quae intelligitur, ipsius intellectionis repetenda est dignitas, quaerendum est quid intelligat summus intellectus, b21—25. — Has quaestiones ut solvat, primum ad eam re-

spondet quam extremo loco proposuit: intellectus, ait, is qui ipse sit divinissimus, b 16, id intelligit quod dignissimum est et divinissimum, idque sine ulla mutatione; namque per mutationem, quoniam divinissimum cogitat, non posset nisi ad deterius quidpiam transire, eaque mutatio motum in se contineret, quum tamen immobilem esse summum intellectum constet, cf. c. 7. Inde ea concludit (οὖν b 28), quibus reliquae quaestiones dirimantur. Non potest, ait, intellectus potentia esse, sed actum eum esse oportet; nam si esset potentia, non posset continuo ac sine intermissione (b 26) intelligere, quoniam si quid potentia tantum est, defatigatur operandi continuitate (cf. Θ 8. 1050b 25. de somno 1. 454a 26. 2. 455b 18); deinde si esset intellectus potentia[1]), maior esset eius quod intelligitur quam ipsius intellectus dignitas. Potentia enim intelligendi quoniam perinde ad quaelibet pertinet intelligibilia, tum etiam intellectui inesset, si pessima quaeque intelligeret; at ita nimirum non esset ipse summum bonum. Ergo non potentia est sed actus, et quoniam ipse est optimum (εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον b 34), se ipsum intelligit. Quoniam igitur ipse est νόησις (i. e. actus intelligendi), seque ipsum intelligit, consequitur ut sit ἡ νόησις νοήσεως νόησις. Cf. ad 7. 1072b 20. Mor. M. II 15. 1212b 38: ἐπεὶ γάρ, φησί, πάντα ἔχει τἀγαθὰ ὁ θεὸς καὶ ἔστιν αὐτάρκης, τί ποιήσει; οὐ γὰρ καθευδήσει. θεάσεται δή τι, φησίν· τοῦτο γὰρ κάλλιστον καὶ οἰκειότατον. τί οὖν θεάσεται; εἰ μὲν γὰρ ἄλλο τι θεάσεται, βέλτιον θεάσεταί τι αὑτοῦ. ἀλλὰ τοῦτ' ἄτοπον, τὸ τοῦ θεοῦ ἄλλο τι εἶναι βέλτιον. αὐτὸς ἑαυτὸν ἄρα θεάσεται. Eth. E. VII 11. 1245b 16.

1) Schw. ad haec verba: ἔπειτα δῆλον κτλ. non putat e superioribus repetenda esse: εἰ μὴ νόησίς ἐστιν ἀλλὰ δύναμις, sed potius supplendum eiusmodi quidpiam: εἰ ἄλλο τι νοεῖ ὁ νοῦς καὶ μὴ αὑτόν, quia illa si repeteretur protasis, proxima enunciatio: καὶ γὰρ τὸ νοεῖν κτλ. non haberet quo referretur. Apte scripsisse Ar. si ea addidisset, quae Schw. addi vult, non nego; sed ex ipsis, quae exhibentur, verbis non potest alia repeti protasis, nisi illa: εἰ μὴ νόησίς ἐστιν ἀλλὰ δύναμις, neque est cur ab hac interpretatione recedamus. Reputandum modo est, τῇ δυνάμει τοῦ νοεῖν non definiri obiectum quod intelligatur (igitur: καὶ γὰρ τὸ νοεῖν καὶ ἡ νόησις ὑπάρξει καὶ τὸ χείριστον νοοῦντι), at τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ νοεῖν simul definitum esse et inclusum id quod cogitetur, quod quum divinissimum esse debeat, non potest aliud esse nisi ipse intellectus.

b) 1074*b* 35 *φαίνεται* — 1075*a* 5 *μία*. Sed in novas incidimus difficultates, si intellectus summi actionem comparaverimus cum iis, quas ipsi habemus, sentiendi cogitandi sciendi actionibus; manifestum est enim (*φαίνεται* *b*35) scientiam quamlibet ad aliam quandam rem referri, veluti medicinam ad sanitatem corporis, ac fortuito tantum et obiter (*ἐν παρέργῳ* *b*36) ad se ipsam. Deinde quoniam intellectio et id quod intelligitur notione certe (*τὸ εἶναι νοήσει καὶ νοουμένῳ*) differunt, quaeritur ex utro horum dignitas summo intellectui accedat. Removetur utraque difficultas (part. *ἤ* *b*36 responsionem orditur, cf. ad *Z* 4. 1030*a* 2), dummodo materiae vel levissimam cogitationem immiscere caverimus. Quod si tenemus, et ars, quae rem aliquam efficit, et scientia rei eadem est atque ipsa res, cf. ad 3. 1070*a* 14. Iam vero summi intellectus ea est natura, ut a materia prorsus sit immunis. Ergo nihil mirum, quod eius *νόησις* est *νοήσεως* (i. e. *ἑαυτῆς*) *νόησις*, nec potest omnino quaeri ex utro dignitas eius repetenda sit.

*a*1 *ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν* — 5 *μία* hunc in modum videntur explicanda esse: *ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν ἐπιστημῶν* (i. e. *ἐπὶ τῶν τεχνῶν*, cf. ad *Θ* 2. 1046*b* 3) *ἄνευ ὕλης* (i. e. si materiae cogitationem seposueris) *ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι αὐτὸ τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος καὶ ἡ νόησίς ἐστι τὸ πρᾶγμα.* (In priore etiam membro *τὸ πρᾶγμα* praedicati loco addendum esse, apparebit ei qui superiora verba: *ἢ ἐπ' ἐνίων* — i. e. *τῶν ἀΰλων* — *ἡ ἐπιστήμη τὸ πρᾶγμα*, quomodo cum his cohaereant quaesiverit.) *οὐχ ἑτέρου οὖν ὄντος ἐν τοῖς ἀΰλοις* (*ὅσα μὴ ὕλην ἔχει* *a*4) *τοῦ νοουμένου καὶ τοῦ νοῦ, τὸ αὐτὸ ἔσται τὸ νοούμενον τῷ πρώτῳ νῷ* (de eo enim agitur, ideoque facile suppleri potest), *καὶ ἡ νόησις τῷ νοουμένῳ μία.* — De dat. *τῷ νοουμένῳ*, quem pro vulg. *τοῦ νοουμένου* ex Alex. restitui, cf. Obs. p. 106.

c) 1075*a* 5 *ἔτι* — 10 *αἰῶνα*. Hic locus quomodo explicandus videatur esse et emendandus, exposui Obs. p. 19; similem et interpretationem et emendationem a v. doct. Ravaisson (Essai sur la Mét. d'Ar. I. p. 199) propositam esse, postea demum cognovi. Ex ea, quam l. l. significavi emendatione, ad hanc pervenimus interpretationem: Quaeritur

praeterea id, quod intelligitur, utrum ex partibus sit compositum an simplex; quod si esset compositum, intellectus in percurrendis partibus mutationi esset obnoxius, quae ab eius natura est aliena. At (ἤ, cf. ad *Z* 4. 1029^b 29. 1030^a 2) quaecunque a materia exemta sunt, ea sunt simplicia et individua. Quemadmodum enim humanus intellectus, licet composita cogitans (ὅ γε τῶν συνθέτων ^{a}8), interdum se habet (neque enim partes percurrens singulas sed totum complexus adsequitur id quod est bonum, atque id quidem diversum a se ipso): ita vero illa sui ipsius intelligentia per omne aevum se habet. — ^{a}8 τῶν συνθέτων eundem in modum videtur explicandum esse, quo τὰ συγκείμενα dicta sunt Θ 10. 1051^b 2, cf. quae ad h. l. et ad 1051^b 24 adnotavi. — ^{a}8 ἔν τινι χρόνῳ, cf. 7. 1072^b 15: μικρὸν χρόνον ἡμῖν. ^{b}25: ὡς ἡμεῖς ποτέ. — ^{a}9 ὂν ἄλλο τι. Humanus intellectus, quamquam summum bonum diversum est ab ipso, tamen non percurrendis singulis partibus, sed totum simul complexus illud percipit; longe igitur magis consentaneum est, divinum intellectum, qui summum bonum non extra se habet positum, sed ipse est summum bonum, continuo ac sine mutatione totum illud intueri.

CAP. X.

Quemadmodum id quod est bonum et pulchrum insit in universitate mundi, **1075^a 11—25.**

Haec prior capitis pars non debebat a superiore capite seiungi, quocum artissime cohaeret, siquidem etiam nunc agitur de summi principii natura et ad mundum ratione: posteriore demum capitis parte nova instituitur quaestio.

Universi mundi bonitas, quam quidem ei omnino inesse Ar. saepissime confirmat (cf. Zeller Ph. d. Gr. p. 454), quaeritur utrum ex divina primae substantiae natura an ex ipsius mundi repetenda sit ordine. Et utroque quidem modo Ar. boni naturam mundo inesse statuit (ἢ ἀμφοτέρως ^{a}13, ab his enim verbis ordiri apodosin vere Alex. p. 690, 29 monet. cf. ad *Z* 4. 1030^a 2), quod qui possit fieri exemplo exercitus illustrat, cf. de mundo 6. 399^b 1. 400^b 8. Etenim disciplinae militaris imperator quidem primus est auctor: sed is

recte instituit disciplinam, per se ipsae singulae exercitus ırtes concordant. Pariter eius ordinis, quem in mundo ›nspicimus, princeps causa summo est intellectui assignanda, ›d eo auctore ita ordinatae sunt mundi partes, ut suapte ›onte concinere videantur. Omnia enim cum omnibus co- ›erent et ad unum tendunt, *a* 16, 18. Iam veluti in civi- ›te non eadem est omnium auctoritas neque iisdem legi- us omnes sunt adstricti, sed maior auctoritas civium li- erorum, minor ac prope nulla servorum, ac propterea illi uid ad civitatem conferre debeant accuratissime est de- ›criptum, horum libidini plurimum permittitur: eadem fere ›undi est ratio. Pro sua quidque natura (τοιαύτη γὰρ ἑκά- του ἀρχὴ αὐτῶν — i. e. ipsarum rerum singularum — ἡ ›ύσις ἐστίν *a* 22) suam ad universi mundi ordinem con- ert partem; sed plurimum conferunt aeternae siderum sub- tantiae, has enim videtur ingenuis comparare civibus, qua- ›ropter arctissima lege eorum vita et actio descripta est; ›xigua conferunt eae res, quae fiunt et intereunt, animalia ›lantae reliqua, *a* 16, qua de causa plurima in iis fortunae ›t casui potuerunt permitti. Sunt tamen quaedam, quae has ›tiam res ad consummandum mundum conferunt, veluti al- ›erius generatio ex alterius interitu (οἷον εἴς γε τὸ διακρι- θῆναι κτλ. *a* 23). aliaque quae communiter omnia conferunt (ὧν κοινωνεῖ *a* 24) ad servandum universi mundi ordinem. Ita quum ad summum bonum Ar. rerum universitatem ten- dere persuasum habeat idemque casui ac fortunae aliquem permittendum locum censeat (cf. ad *E* 3), quibus finibus ἡ τύχη et τὸ αὐτόματον circumscribendum sit, quodammodo h. l. significavit. — Haec in universum disputationis senten- tia; ipsa verba Ar. facilius videntur construi posse, si ante ἀλλ' *a* 19 colon pro puncto posueris, ut eadem enunciatio continuetur ab *a* 16 πάντα δέ usque ad *a* 24 ἐστίν. Etenim verbis: οὐχ ὁμοίως *a* 16, opposita sunt: ἀλλ' ὥσπερ κτλ. *a* 19: omnia cohaerent quidem, et ad summum finem tendunt, nec tamen aequaliter, sed per eosdem dignitatis ac potentiae gradus, quales in civitatibus novimus; ea comparatio quo- modo ad mundum pertineat, proximis deinde significatur verbis: τοιαύτη γὰρ κτλ. Quae autem interposita sunt, *a* 17 καὶ οὐχ οὕτως — 19 συντέτακται, ea pertinent ad expli-

eadem verba a 15 πάντα συντέτακταί πως. Schw. qua ratione ad protasin ἀλλ' ὥσπερ a 19 referri velit apodosis loci καὶ ἄλλα οὕτως κτλ. a 24, equidem non intelligo. — a 23 το διακριθῆναι quid significet dubium est, neque contendam vere me h. v. interpretatum esse. Alex. Anaxagoream huius voc. usum adhibet p. 692, 23.

In quas incidant difficultates qui aliter statuerint ac nunc est expositum, 1075a 25 — 1076a 4.

Superiorum philosophorum placita quomodo in explicanda sua doctrina Ar. adhibeat, cf. ad Λ 3. 983b 1; h. l. enumeratis aliorum placitis disputationi suae indirectam quandam argumentationem addit, in errores incidisse demonstrans omnes, quicunque aliter atque ipse statuerint. (a 26 οἱ γεροντέρως λέγοντες, cf. ad K 2. 1060a 25.) Sed quum summa brevitate singulorum placita philosophorum Ar. perstringat difficile interdum est decernere, iure an iniuria ea singulis obiecerit quae obiecit; ea significasse magis quam diiudicasse satis habebimus. Illud autem praecipue videtur attendendum, ad solvendas eas, quae aliis crimini dantur, repugnantias nihil respici praeterea, nisi quod hoc ipso in libro est expositum.

a) 1075a 28 — b 16. Ac primum quidem quod ab initio huius libri substantiarum diversa genera distinxit et materia cur ac qualis sit ponenda exposuit, quid erroris ex his rebus parum perspectis ortum sit ostendit, ita tamen ut data per philosophorum quorundam placita occasione simul causam finalem respiciat.

Omnia ex contrariis fieri tantum non omnes consentiunt a 28, cf. Γ 2. 1004b 29. N 1. 1087a 30. Phys. I 5. 188a 19. At non omnia fiunt; aeterna substantia distincta primum est ab iis quae intereunt c. 1, ac postea eius exsistentia demonstrata est c. 6. Nec fit quidquam ex contrariis, nisi ponatur tertium quidpiam, materia, cf. c. 2. Quare qui neglexerunt materiam, generationem ex contrariis, quam contenderunt ipsi, non potuerunt explicare, siquidem contraria non afficiuntur alterum ab altero, a 30, cf. 2. 1069b 6. Platonici vero (οἱ δέ a 32) quod alterum ex oppositis, τὸ ἄνισον, materiae loco posuerunt (cf. N 1. 1087b 5. 4. 1091b 30), id

commiserunt, ut materiam ipsam traherent in oppositionem, quae eximenda ex ea est ut δυναμένη ἄμφω 2. 1069*b* 14. (*a*32 ὥσπερ οἱ τὸ ἄνισον τῷ ἴσῳ, addendum est ex antecedentibus verbis: ὕλην ποιοῦντες. — *a*34 ἡ γὰρ ὕλη ἡ μία οὐθενὶ ἐναντίον. Alex. pro vv. ἡ μία in textu videtur habuisse ἡμῖν, quae lectio quamquam haud inepta est, tamen non est cur vulgatae, quam Alex. etiam novit p. 693, 27, praeferatur, modo hanc recte explices. Etenim ἡ μία nec significare potest i. q. ἡ πρώτη, quod voluit Alex. l. l., neque i. q. αὐτὴ ἡ ὕλη, quod putavit Schw. p. 290: *Allein die ὕλη als solche, ἡ ὕλη ἡ μία, die Materie allein, ohne Form, hat kein Entgegengesetztes;* sed distinguitur potius his vocabulis additis materiae natura a natura contrariorum. Contraria utique d u o inter se et componuntur et opponuntur; materia vero, exemta ex hac oppositionis duplicitate u n a est, sed ad duo contraria recipienda perinde idonea.) Praeterea quum τὸ ἕν summi boni habeat dignitatem, et quod ei oppositum est, τὸ ἄνισον, mali naturam (cf. ad *A* 4. 985*a* 5. 6. 988*a* 14), idem autem ἄνισον materiae gerat vices, consequens est ut omnia malum participent praeter ipsum τὸ ἕν, *a*34—36, cf. *N* 4. 1091*b* 35. Quod ut evitarent alii, Speusippus et Pythagorei, bonum omnino a principiis seiunxerunt, *a*36, quae sententia quantum a veritate deflectat supra est expositum, 7. 1072*b* 30. Inde igitur eorum magis est probanda sententia, qui bonum posuerunt in principiis, velut Empedocles et Anaxágoras, modo recte illud descripsissent; at non definiverunt, utrum ad finale an ad ideale causarum genus referri vellent, *b*1; Ar. ipse qua ratione bonum principii locum obtinere censeret, ostendit 7. 1072*a* 26. Praeterea duos Empedocli obiicit errores, *b*1—7. Eandem φιλίαν ab Empedocle poni et tamquam principium movens et tamquam partem sphaeri, id est autem tamquam materiam. Quodsi concedamus eandem rem et materiae (καὶ ὡς ὕλη *b*5, de qua emendatione cf. Obs. p. 106) et motoris vices sustinere, notione tamen distinguenda erit, et quaeri oportebit, utra ratione habita φιλία id sit quod est, quemadmodum supra Aristoteles quaesivit 9. 1074*b* 37: κατὰ πότερον αὐτῷ (int. τῷ νῷ) τὸ εὖ ὑπάρχει; οὐδὲ γὰρ ταὐτὸ τὸ εἶναι νοήσει καὶ νοουμένῳ. (*b*5 τό γ' ε ἶ ν α ι οὐ ταὐτό. His verbis

notionis significari diversitatem, quasi dicat: *οὐ ταὐτό ἐστι τὸ εἶναι ὕλῃ καὶ τὸ εἶναι κινοῦντι*, apparet coll. Top. V 4. 133^b 33: *ἀλλ' ἄλλο λέγεται τῷ ἕτερον αὐτοῖς εἶναι τὸ εἶναι· οὐ ταὐτὸ γάρ ἐστιν ἀνθρώπῳ τε τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι καὶ λευκῷ ἀνθρώπῳ τὸ εἶναι λευκῷ ἀνθρώπῳ.* Phys. III 3. 202^a 20, ^{b}9. 12. 16, ubi promiscue usurpantur *τὸ εἶναι τὸ αὐτό* et *ὁ λόγος ὁ αὐτός* sive *εἷς*. I 3. 186^a 31. al.) Sed num vere Empedocles *φιλίαν* pro elemento posuerit sphaeri, quum id praecipue videatur spectare ut moventia principia distinguat ab elementis, vehementer dubito. Longe aptius suaeque ipsius doctrinae accommodate alterum ei obiicit, quod contentionem posuerit aeternam, ^{b}6, quae quidem quum ipsa per se (*αὐτό* ^{b}7) mali sit natura et principium (cf. ad Α 4. 985^a 5), in easdem non potest non incidere difficultates, quae antea, ^{a}35, sunt expositae. Apud Ar. vero ei principio, quod idem summum bonum et primum movens est, propterea nihil est contrarium, quia contraria materiam requirunt, quae iis subiecta sit (cf. c. 2), summum autem principium est immateriale. (Quod Θ 9. 1051^a 19 comprobavit: *ἐν τοῖς ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐν τοῖς ἀϊδίοις οὐθέν ἐστι κακόν*, h. l. non videtur respicere.) — In Anaxagora autem id quidem recte vituperat, ^{b}8, quod qua ratione intellectus moveat ostendere omiserit; debebat autem Anax., quod hic breviter Ar. significat (*ἡ γὰρ ἰατρική ἐστί πως ἡ ὑγίεια* ^{b}10, ars idem est atque artificium seiunctum a materia, cf. ad 3. 1070^a 14), ad eam devenire rationem, ut intellectum sui ipsius intelligentiam ideoque sui ipsius *τέλος* esse statueret, cf. 9. 1074^b 33. Minus vel probo vel intelligo quod deinde monet ^{b}10: *ἄτοπον δὲ καὶ τὸ ἐναντίον μὴ ποιῆσαι τῷ ἀγαθῷ καὶ τῷ νῷ.* Quid enim? nonne pariter et eodem quidem iure *νοῦς ἀμιγής*, quem posuit Anaxagoras, ab omni contrarietate et oppositione immunis sit, ac primus motor apud Aristotelem?

Ita uberius Empedoclis et Anaxagorae persecutus principia, magis universe et strictim nonnulla de erroribus monet, quos in explicanda generatione hi aliique commiserint, ^{b}11. Quicunque contraria pro principiis posuerunt, non recte iis sunt usi, nisi quis de suo ingenio eorum sententias ad iustam redegerit formam (*ῥυθμίσῃ* ^{b}12, cf. de v. *διαρθροῖν* ad Α 4. 985^a 4. 8. 989^a 30). Fortasse ea respicit, quae de

obscura quadam materiae imaginatione, concepta ab illis philosophis monuit 2. 1069*b* 20; similia Empedocli obiicit *A* 4. 985*a* 17. — Cur alia intercidant alia aeterna sint, nemo explicuit, iisdem nimirum positis omnium rerum principiis, *b* 13, cf. *B* 4. 1000*a* 5. At Aristoteles, quum generationem et corruptionem a materiae potentia repeteret, iis substantiis, quae nihil habent materiae, aeternitatem vindicavit. Esse etiam sensibiles substantias aeternas contendit c. 1, et quae illae sint declarat 8. 1073*a* 32. — Brevissime denique eos commemorat qui ex non-ente rerum universitatem repetere sibi visi sint, cf. 7. 1072*a* 20, et Eleatas, qui quoniam omnem sustulerunt motum ac mutationem vix hoc loco respiciendi sunt, ubi quid erratum sit in generatione explicanda disseritur, cf. Phys. I 8.

b) 1075*b* 16—1076*a* 4. Quae h. l. perstringit Aristoteles, ea despero ita explicari posse, ut certo ac iusto ordine procedere et ad idem omnia spectare videantur; sed maximam certe partem ea tanguntur vitia, in quae inciderint reliqui philosophi, quod principium movens vel plane omiserint vel non recte posuerint.

b 16—20. Cur aeterna sit generatio et quae sit eius causa, nemo perspexit; Ar. quomodo explicet, cf. 6. 1072*a* 10. Et eos, qui duo ponunt contraria rerum elementa, ut explicent rerum generationem et mutationem, ponere praeterea oportet *ἀρχὴν κυριωτέραν* *b* 18, nimirum *τὸ κινοῦν*, cf. 4. 1070*b* 22; et Platonicas ad ideas, quippe quae mutationis non possint iudicari principium (cf. *b* 28 et ad *A* 9. 991*b* 3), adhiberi oportet principium, quod ideas inter et res singulas communionem instituat. (Part. *ὅτι* *b* 19 non videtur explicari posse; neque enim causa significatur, cur quid ponendum sit praeter ideas, sed potius id ipsum, esse aliquid ponendum; propterea pro *ὅτι* suspicor vel *ἔτι* vel *ἔσται* scribendum esse.)

b 20—24. Quoniam scientia, quae actu est, idem est ac scibile quod est actu, qui summum principium non exemerunt e contrarietate, ii facere non possunt quin etiam summae philosophiae contrarium aliquid esse statuant. Alia Aristotelis est ratio; huic enim contrarietas repetenda videtur ex materia, quae potentia est ad utrumque e contrariis pa-

riter apta; summum igitur principium, quoniam a materia est immune, idem immune est a contrarietate. — *b*18 ταὐτὰ ex ed. Ald. et Bess. scripsi pro vulg. ταῦτα. Neque enim hoc potest Aristoteles dicere, contraria idem esse, sed contraria, quoniam cum materia necessario coniuncta sunt, et eius natura id ipsum habere, ut potentia sint contraria; quod album est actu, idem nigrum est potentia ac vice versa. Id autem significat pron. ταῦτα, quod per ἐναντία recte explicuit Alexander p. 695, 29: πάντα γὰρ τὰ ἐναντία ὕλην ἔχει καὶ ἐν ὕλῃ ἐστὶ καὶ δυνάμει ἐστὶ τὸ ἐναντίον. — Proxima autem verba: ἡ δὲ ἐναντία ἄγνοια εἰς τὸ ἐναντίον, quomodo vel explicem vel emendem non habeo. Conferenda quidem videntur quae dicit Ar. *Θ* 10. 1051*b* 30, iis in rebus, quae sunt ὅπερ εἶναί τι καὶ ἐνεργείᾳ, scientiae non opponi errorem, sed inscitiam: τὸ δὲ ἀληθὲς τὸ νοεῖν αὐτά· τὸ δὲ ψεῦδος οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἀπάτη, ἀλλ' ἄγνοια. Sed ita divinari quidem quaedam sententia potest, non ipsa verba explicantur; nec quae Alex. et Schw. proposuerunt[1], ad interpretanda verba videntur sufficere.

*b*24—36. Rerum sensibilium ut explicetur exsistentia et generatio, ponendum profecto aeternum quidpiam est, quod sit praeter res sensibiles (cf. *B* 4. 999*b* 5. *K* 2. 1060*a* 26): quod nisi posuerimus, ordo universi mundi (cf. 1075*a* 11—25) et aeterna siderum natura explicari nequit, sed perinde ac theologi et physicorum plurimi, qui indefinitam potentiam in principio posuerunt (cf. 6. 1071*b* 26. 7. 1072*a* 19), quoniam potentia ut transeat ad actum aliam rem requirit actu exsistentem, ab altero principio ad alterum usque redire (ἀεὶ τῆς ἀρχῆς ἀρχή *b*26) et ita in infinitum progredi cogimur. At non debent propterea vel ideae vel numeri pro principiis aeternis poni. Ea enim vel nullius omnino rei vel certe motus causa esse non possunt, cf. ad *b*19; praeterea numeri

1) Alex. p. 695, 34: ὥστε οὐδὲ τῇ περὶ αὐτὴν ἐπιστήμῃ ἐστὶν ἐναντία ἡ ἄγνοια· εἰ γάρ ἐστιν ἡ ἄγνοια ἐναντία τῇ τοιαύτῃ ἐπιστήμῃ, ἔσται καὶ τὸ περὶ ὃ ἡ ἄγνοια ἐναντίον τῇ πρώτῃ ἀρχῇ. Schw.: *Den folgenden Satz schreibe ich so:* ᾗ δὲ ἐναντία ἄγνοια, εἰς τὸ ἐναντίον (sc. πίπτει). *«Sofern jener Wissenschaft* (*der* τιμιωτάτῃ ἐπιστήμῃ) *die Unwissenheit* (*und nicht etwa eine andere Wissenschaft*) *entgegengesetzt ist, so fällt auch diese unter den Gegensatz.»*

nec movens nec formale principium esse possunt corporis continui; neque vero ex numeris tamquam elementis componi posse magnitudines continuas, adversus Pythagoreos comprobat *M* 8. 1083*b* 11, cf. *B* 4. 1001*b* 17. — Nec vero alterum ex contrariis iis, quae plerique summa principia esse volunt, pro principio movente potest haberi, *b*30. Quae enim contraria sunt, ea materiam habent, id est autem potentia sunt non actu (cf. ad *Θ* 7. 1048*b* 37). At si potentia sunt, fieri potest ut non sint (*b*31, cf. 6. 1071*b* 19), et quoniam postea demum a potentia ad actum transitur, non possunt aeternae esse substantiae. At sunt aeternae substantiae (cf. 6. 1071*b* 4), ergo falsa sunt quae posuimus. Quid autem tollendum sit ex illis placitis, supra est expositum, nimirum pro principio ponenda est substantia quae sit actu, cf. 6. 1071*b* 22. (*a*34 quod πῶς de coniectura scripsi pro vulg. ὡς, allato loco 6. 1072*a* 4 satis confirmatum videbitur.)

*b*34—37. Unde fiat ut numeri vel definitiones in unitatem coalescant, unde omnino forma cum materia in unitatem coeat, id ab aliis philosophis non posse explicari, sed sibi facile esse explicare, Ar. uberius exponit *H* 3. 1044*a* 3 et c. 6. cf. ad hh. ll. Ut possint coire, id ne egere quidem explicatione, quoniam ea sit et formae et materiae natura ut se compleant invicem, cf. 1045*a* 33; re vera autem ut coeant, non aliam esse quaerendam causam παρὰ τὸ ποιῆσαν, 1045*a* 31. Idem h. l. dicit: ὡς τὸ κινοῦν ποιεῖ *b*36, respiciens nimirum quae de moventis principii necessitate proposuit c. 4 et per reliquam libri partem descripsit.

*b*37—1076*a* 4. Denique perverse quidam diversa rerum genera distinguunt, numeros, corpora mathematica, corpora sensibilia, animam al., et suum cuique principium praeficiunt. Ita vero solvitur universae naturae continuitas, quoniam superiora genera esse possunt, licet inferiora ponantur non esse. At rerum natura non potest malae civitati comparari, verum potius sua cuique munia ita sunt assignata, ut omnia inter se cohaereant et ad unum tendant (cf. 1075*a* 11 sqq.), et ab uno summo principio, a summo motore immobili (εἶς κοίρανος *a*4, cf. c. 7. 9), suspensa sint. — Eandem sententiam, quam h. l. refutat, uberius commemorat et pariter vi-

tuperat *N* 3. 1090*b* 13; Speusippi eam fuisse verisimile videbitur conferenti *Z* 2. 1028*b* 21, cf. ad h. l. Tragoediae temere et fortuito compositae, in qua singulae actionis partes nullo inter se nexu contineantur, eandem doctrinam comparat *N* 1. l.: *οὐκ ἔοικε δ' ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὖσα, ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία*, cf. Poet. 9. 1451*b* 34: *λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι.* — *a* 4 *οὐκ ἀγαθὸν κτλ.* Hom. Il. *B* 204. cf. de part. an. III 4. 665*b* 14: *ἀρχὴν δὲ τούτων ἀναγκαῖον εἶναι μίαν· ὅπου γὰρ ἐνδέχεται μίαν βέλτιον ἢ πολλάς.* 666*a* 14. Hanc autem, quam praedicat, summi principii unitatem non prorsus tueri potuisse Ar. supra monui ad 8. 1073*a* 22.

M.

CAP. I.

Ar. quaestionis, quam instituit, rationem describit et singulas disputationis partes distinguit, 1076*a* 8—32.

1076*a* 8 *περὶ* — 22 *φασι.* Quoniam investigata rerum sensibilium substantia quaerendum est num qua sit immobilis et aeterna praeter res sensibiles substantia et qualis ea sit, excutienda primum sunt eorum philosophorum placita qui eiusmodi statuerunt esse substantias, *a* 8—16. Ac duae quidem exstant ea de re sententiae; alii enim res mathematicas, alii ideas tamquam substantias aeternas posuerunt *a* 16—19; accedit alia praeterea sententiarum varietas, quoniam de distinguendis inter se vel coniungendis ideis et numeris mathematicis in diversas partes abiere, *a* 19—22.

De materia rerum sensibilium quod Ar. se exposuisse dicit *a* 9: *ἐν τῇ μεθόδῳ τῶν φυσικῶν* (cf. de voc. *μέθοδος* ad *A* 2. 983*a* 22), id manifesto pertinet ad Phys. I; quod autem addit: *ὕστερον δὲ περὶ τῆς κατ' ἐνέργειαν*, quo referatur dubium est. Potest enim videri Ar. ad libros *Z* et *H*, quae Schw. est sententia, et fortasse etiam ad librum *Θ* Metaph. respicere; sed id cur non sit verisimile significavi p. 27. Quare assentiendum potius arbitror Alexandro, qui eadem Physica his verbis allegari censet, nec tamen unum

librum II Phys. cum Alex. putaverim respici, sed praecipue extremam Physicorum partem, quae est de principio actu movente. Ipsis verbis Ar. haec interpretatio aptissima videtur, quoniam nominata *τῇ μεθόδῳ τῶν φυσικῶν* simpliciter addit: *ὕστερον δέ.* — *a* 15 *καθ' ἡμῶν δυσχεραίνωμεν*, cf. *A* 3. 984*a* 29. — *a* 16 *δύο δ' εἰσὶ δόξαι κτλ.* Quam priore loco ponit, ea Pythagoreorum est, cf. ad *Z* 2. 1028*b* 15, altera Platonis. De reliquis harum sententiarum discriminibus, *a* 19—22, cf. ad 6. 1080*b* 21 sqq.

1076*a* 22 *σκεπτέον* — 32 *σκέψις.* Haec placita ut via et ratione examinemus, primum de ipsa mathematicarum rerum natura disputandum est, c. 2 et 3, deinde de ideis, c. 4 et 5, denique quaerendum utrum numeri et ideae substantiae et principia rerum sint. Hanc tertiam quaestionis partem persequitur c. 6—9. 1086*a* 21; ideales enim numeros, de quibus illic disputat, ponunt esse *οὐσίας χωριστὰς καὶ τῶν ὄντων αἰτίας πρώτας*, 6. 1080*a* 14.

a 27 *ἁπλῶς* quid significet cognoscitur ex superioribus verbis *a* 23: *μηδεμίαν προστιθέντας φύσιν ἄλλην κτλ.*, nimirum quaestionem de numeris et de principiis cum hac de ideis quaestione nondum vult coniungi. — *a* 27 *ὅσον νόμου χάριν.* Recte Alex. p. 700, 13: *ἐπεὶ γὰρ νόμος καὶ ἔθος ἐστίν, ὅταν τις περί τινων ἀποφαίνηται, ἐπισκέπτεσθαι καὶ τὰς τῶν ἄλλων περὶ τῶν τοιούτων δόξας, ἵνα μὴ μένουσαι ἀνεξέταστοι ταράττωσι τοὺς ἐντυγχάνοντας κτλ.* Quantum igitur ex hoc more necessarium sit, se expositurum de ideis Ar. dicit, nam earum refutationem satis superque iam vulgatam esse *καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων.* De his *λόγοις ἐξωτερικοῖς* cf. Stahr Aristot. II. p. 237—279. Krische Gött. g. Anz. 1834. p. 1894.

Reliqua capitis pars, *a* 33—37, rectius cum proximo cap. coniungitur.

I. DE REBUS MATHEMATICIS, c. 2. 3.

Duae excutiuntur de natura rerum mathematicarum sententiae. Etenim res mathematicas qui substantias per se esse statuunt (*εἴπερ ἔστι* *a* 32, cf. 3. 1077*b* 26: *φύσιν εἶναι ἀφωρισμένην*), eas aut inesse censent rebus sensibilibus aut seiun-

ctas ab his exsistere. Haec manifesto Platonis est doctrina quem Ar. res mathematicas medias esse inter res sensibiles et ideas dicit statuisse, cf. ad *A* 7. 987*b* 14; illam non perinde certum, sed probabile tamen est Platonicorum quorundam esse sententiam, cf. ad *B* 2. 998*a* 7. Neutra ratio si potuerit probari, res mathematicae censendae erunt aut omnino non esse aut alia esse ratione.

CAP. II.

a) ***Res mathematicas non inesse tamquam substantias actu exsistentes rebus sensibilibus***, 1076*a* 38—*b*11.

Tribus utitur ad hoc comprobandum argumentis, ex quibus duo, quae in principio ponit, iam in libro *B*, *ἐν τοῖς διαπορήμασιν*, 2. 998*a* 7—19 explicuit. Nimirum consequens erit ex hac sententia, ut duo corpora in eodem sint spatio, quod est absurdum; ac praeterea, qui ita statuunt, si sibi velint ipsi constare (*τοῦ αὐτοῦ λόγου* *b*2), eos contendere simul oportebit: *καὶ τὰς ἄλλας δυνάμεις καὶ φύσεις ἐν τοῖς αἰσθητοῖς εἶναι καὶ μηδεμίαν κεχωρισμένην* *b*2. Alex. quod vv. *τὰς ἄλλας δυνάμεις καὶ φύσεις* vel corporum terminos, superficies et lineas, vel eas res quae opticae aliisque eiusmodi artibus subiectae sunt significari putat, neutrum potest probari; illa enim, superficies et lineae, iam continentur superiore argumento, quo duo corpora, quae nimirum sine superficiebus ac lineis cogitari nequeunt, in eodem spatio fore significaverat; haec si volumus intelligi, argumenti vis omnis intercidit, quae quidem in eo est sita, ut Ar. eas substantias et ipsas ex eadem sententia necessario inesse rebus sensibilibus demonstret, quas eius auctores a rebus sensibilibus seiunxerant. Itaque licet nomen *δυνάμεις* aliquam faciat dubitationem, nec tamen graviorem quam in reliquis interpretandi rationibus, ideas intelligendas arbitror. Qui res mathematicas substantias quidem esse statuunt, ac tamen inesse rebus sensibilibus, ii non habent, cur ideas seiungant a rebus sensibilibus. Hoc apertius dicit *B* 2. 998*a* 12, quem locum hic respicit: *δῆλον ὅτι καὶ τὰ εἴδη ἐνδέχοιτ᾽ ἂν ἐν τοῖς αἰσθητοῖς εἶναι· τοῦ γὰρ αὐτοῦ λόγου ἀμφότερα ταῦτά ἐστιν.* — His tertium addit argumen-

tum, *b*5—11. Si mathematicae substantiae rebus sensibilibus insunt, una cum his illas etiam dividi oportet; atqui dividitur corpus superficie, superficies linea, linea puncto. Punctum igitur oportet dividi, ut dividatur corpus vel mathematicum vel sensibile; at illi punctum mathematicum dividi non posse statuunt (*b*7), nec quidquam proficiunt, si sensibile punctum lineamve dividi posse concedunt, quoniam sensibilium et mathematicarum rerum neque exsistentia neque sectio disiuncta est. — Demonstrandi vis inde est repetenda, quod res mathematicae, licet continuae sint magnitudines, tamen tamquam substantiae actu exsistentes positae sunt. Iam quum linea non censeatur composita esse ex punctis iuxta se positis, sed transeuntibus et quasi fluentibus, non potest linea ita secari, ut eam servata individua puncti natura inter duo proxima puncta seces, sed ipsum punctum oportet secari; nec possunt huius sententiae auctores ea uti ratione, quae Aristoteli in promptu est, ut punctum dicat non actu sed potentia inesse lineae, nec secari sed fieri dissecta linea.

b) ***Res mathematicas non posse poni tamquam substantias seiunctas a rebus sensibilibus***, 1076*b* 11—1077*b* 14.

1) 1076*b* 12—39. Qui res mathematicas ad substantiarum dignitatem evectas seorsim ponunt et seiunctas a sensibilibus rebus, eos eo deducere Ar. studet, ut non unum, sed plura genera superficierum, linearum, punctorum absolute exsistentium ponere adigantur; quam quidem σώρευσιν *b* 29, per se absurdam, ut quae omnem tollat scientiam mathematicam, duplice ex fonte Ar. repetit. Nam primum quidem res sensibiles corporum habent naturam; sed corpora superficiebus lineis punctis definiuntur; iam si praeter corpora naturalia ponuntur mathematica corpora absolute exsistentia, non est cur non perinde praeter superficies naturales mathematicae ponantur, idemque in lineis ac punctis fiat. Deinde in corporibus mathematicis insunt superficies et lineae et puncta tamquam earum elementa; atqui simpliciora natura ac substantia priora sunt compositis (πρότερα γὰρ τῶν συγκειμένων ἐστὶ τὰ ἀσύνθετα *b* 18); ergo oportet praeter corpora mathematica poni superficies lineas puncta,

quae seiuncta ab illis absolute exsistant, item praeter has iterum superficies lineas et puncta, denique praeter istas lineas puncta. Haec si tenemus, inde conficitur ut corporum mathematicorum unum ponatur genus illud, quod simpliciter praeter corpora naturalia per se esse statuitur; superficierum autem mathematicarum tria statuenda sint genera: unum, quod ponitur praeter superficies sensibiles (τά τε παρὰ τὰ αἰσθητά b 31), alterum, quod inest in corporibus mathematicis (τὰ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς στερεοῖς b 31, quae eadem dicuntur τὰ ἐν τοῖς ἀκινήτοις στερεοῖς b 21), tertium, quod per se exsistere statuitur seiunctum a superficiebus terminantibus corpora mathematica (τὰ παρὰ τὰ ἐν τούτοις b 32, cf. de addito ante παρά articulo Obs. p. 58). Linearum autem quatuor erunt genera: τά τε παρὰ τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς στερεοῖς καὶ τὰ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς ἐπιπέδοις τοῖς οὖσι παρὰ τὰ μαθηματικὰ στερεὰ καὶ τὰ παρὰ τὰ ἐν τούτοις ἑκατέροις. Punctorum facile apparet quintum accedere genus. — Et hanc quidem cumulationem absurdam esse apparet; quin etiam quum superficierum linearumve mathematicarum plura sint genera, ad quod ex his generibus referenda sit doctrina mathematica dubium est b 33, quamquam ad confirmanda ipsa mathesis fundamenta haec sententia proposita est [1]).

Quod deinde, b 36—39, ex diversitate punctorum antea demonstrata, omninoque ex diversitate rerum singularum

1) Absurdam illam esse cumulationem facile Aristoteli concedimus; illud autem quaeritur num vere eos, quos impugnat, adversarios in hanc necessitatem incidere dicat. Ac mihi quidem Ar. subtilius videtur disputare quam verius. Quem enim antea priorem significavi cumulationis fontem, eum suo iure infitiari Plato poterit. Quum enim corpora naturalia sine superficiebus lineis punctis sentiri cogitarive nequeant, propter id ipsum non est, cur positis iam praeter corpora sensibilia mathematicis corporibus, insuper praeter superficies naturales ponamus mathematicas et sic porro; plene enim et absolute illud iam confectum est, ubi corpora mathematica seorsim exsistentia statuimus. Quam vero alteram dixi cumulationis causam, ea sane penitiorem tangit huius doctrinae difficultatem; si enim mathematica corpora superficies lineae puncta cum substantiarum dignitate ponuntur, igitur si per se exsistere statuuntur, quoniam corpus, sive mathematicum dixeris sive naturale, non potest cogitari nisi cum superficiebus lineis punctis ac pariter porro, haec quomodo inter se conciliare potuerit illius sententiae auctor, ardua sane est quaestio, quae neq evitari poterit neq solvi.

quae vel sensibus vel mente concipiuntur, innumerabilia eaque inter se diversa unitatum ideoque etiam numerorum genera repetere sibi videtur: id ita demum vere caderet in adversarios, si ex diversitate rerum earum, quibus assignatur essentiae unitas, ipsius unitatis vel voluissent vel potuissent repetere diversitatem. Sed facile Ar. adduci poterat, ut hoc consequi ex sententia adversariorum putaret, quoniam ipse unitatem cum puncto plerumque ita coniungit, ut utrumque dicat ἀδιαίρετον, sed alterum θετόν, alteram ἄθετον, cf. ad *Δ* 6. 1016*b* 30.

2) 1076*b* 39—1077*a* 14. Praeter ea genera rerum mathematicarum, quae posuit Plato, alia insuper erunt ponenda, si sibi voluerit ipse constare. Ac primum quidem eas res, quae applicatae mathesis disciplinis subiectae sunt, veluti astronomiae opticae harmonicae, perinde atque ipsas res mathematicas substantiarum in numero habendas fore uberius exposuit ἐν τοῖς ἀπορήμασιν *b* 39, i. e. *B* 2. 997*b* 12—34; quod cur non possit fieri, significat his verbis *a* 4: ἔχον κίνησιν, mathematicae enim res immobiles sunt, cf. 1076*b* 21 et ad *B* l. l. — Sed accedit alterum. Etenim res mathematicas pro substantiis esse habendas, licet infra idearum dignitatem, propterea censuit Plato, ut scientiae mathematicae certum quidpiam et immutabile subiectum sit, quo referatur. Iam quoniam mathesis non modo de corporibus planis lineis punctis numeris singillatim agit, sed nonnulla etiam axiomata universe statuit (γράφεται ἔνια καθόλου *a* 9) de omnibus magnitudinibus, nulla diversitatis earum habita ratione, his etiam propositionibus universales quaedam subiiciendae erunt substantiae, quae similiter ac res mathematicae medium quendam inter ideas et sensibilia locum habeant (οὐσία μεταξύ *a* 11), sed ab ideis et a mathematicis rebus distinctae sint.

3) 1077*a* 14—36. Adversus Platonis placita Ar. et sensuum utitur evidentia et simul notissimo illo axiomate, ex quo, quoniam ipsa natura ad summum bonum tendit, imperfectiora generatione priora, natura posteriora sint perfectis, *a* 19, cf. de coelo I 2. 269*a* 19. de gen. an. II 1. 646*a* 25 et ad *Θ* 8. 1050*a* 4. His usus primum confert mathematica corpora cum naturalibus, *a* 14—20. Mathematica priora Plato

vult esse naturalibus; at illa necessario inanimata sunt, haec possunt esse animata; animata vero ut perfectiora, ita natura priora sunt inanimatis; ergo sensibilia potius corpora priora mathematicis censenda sunt. Deinde, a 24—36, ipsas inter se confert res mathematicas, ex quibus quae simpliciora sunt genera, eadem priora esse Platoni statuendum sit. At ex puncto primum linea fit, inde planum, inde corpus, et quae priora sunt generatione, eadem sunt natura posteriora [1]); ergo vice versa corpus prius natura lineis et punctis ponendum erat, praesertim quum ideo etiam corpus prius ac perfectius sit censendum, quoniam rebus animatis subiicitur. (Ex hac interpretatione apparebit, cur ante καὶ ταύτῃ b 28 distinxerim. — a 30 ὑπὲρ τὰς αἰσθήσεις κτλ. cf. ad B 4. 1000a 15.) Propter hanc naturae perfectionem corpus substantiae sibi vindicat dignitatem; lineam vero vel superficiem nec pro forma nec pro materia ullius rei possumus habere. Materiae enim si haberent naturam, esse oporteret quae ex lineis vel planis essent composita (τοῦτ' ἂν — int. τὸ συνίστασθαί τι ἐξ αὐτῶν — ἐφαίνετο δυνάμενα πάσχειν a 36; at talia non sunt. — Huic argumentationi, facta animae mentione adductus, quaestionem interponit, a 20—25, unde tandem res mathematicae unitatem repetant. Naturales enim res per suam formam et ἐντελέχειαν, veluti per animam essentiae assequi unitatem; extensis autem rebus mathematicis unde haec accidat unitas dici non posse; cf. de simili quaestione ad Λ 10. 1075b 35. — a 20 τίνι καὶ ποτ' ἔσται scripsi pro vulg. τίνι καὶ πότ' ἔσται, quia causa quaeritur, non tempus unitatis, eamque causam vix inveniri posse significatur addita part. ποτε, qua vis interrogandi intenditur, cf. de an. III 4. 429a 13. de sens. 3. 439a 10. de mem. 1. 450a 28. Vig. p. 146.

4) 1077a 36—b 14. Ita refutatis iis, qui res mathematicas substantias a sensibilibus seiunctas iisque priores censuerint, unde hic error ortus sit exponit ac simul transitum parat ad suam sententiam explicandam. Distinguendum enim est τὸ πρότερον οὐσίᾳ et τὸ πρότερον λόγῳ. Re et essen-

1) Aristoteles hoc axioma, quod suapte natura ad generationem naturalem pertinet, manifesto transfert ad eum cogitandi ordinem, qui in construendis rebus mathematicis est conspicuus.

tia priora aliis ea sunt, quae seorsim ac per se sine illis possunt esse, ὅσα χωριζόμενα τῷ εἶναι ὑπερβάλλει *b* 3, cf. *Δ* 11. 1019*a* 3: ὅσα ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων, ἐκεῖνα δὲ ἄνευ τούτων μή: notione autem priores singulae sunt notae quam illa notio, quae ex iis coalescit, cf. *Δ* 11. 1018*b* 35: κατὰ λόγον δὲ τὸ συμβεβηκὸς τοῦ ὅλου πρότερον (cf. ad *Z* 10. 1035*b* 4), vel ut hoc ipso loco ait parum accurate: ὅσων οἱ λόγοι ἐκ τῶν λόγων *b* 8. (Parum accurate haec dicta arbitror; nisi enim vulgatae praepositionis ἐκ significationi vim adhibere volueris, haec verba non describunt notas notionis, quae debebant describi, sed notionem ipsam ex notis compositam:) Iam non posse eadem et οὐσίᾳ et λόγῳ priora esse, ex ipsa discriminis definitione apparet. Inde consentaneum est, quomodo res mathematicae priores statuendae sint rebus sensibilibus, id quod deinde uberius exponit. — *b* 3 εἰ μή ἔστι τὰ πάθη παρὰ τὰς οὐσίας, cf. *Z* 1. — *b* 9 ἐξ ἀφαιρέσεως, ἐκ προσθέσεως, cf. ad *A* 2. 982*a* 27. — *a* 11 ἐκ προσθέσεως τῷ λευκῷ κτλ., non videtur significare: eo quod additur τῷ λευκῷ ὁ ἄνθρωπος, sed potius: per τὸ λευκόν, quod additur ad hominem, exsistit homo albus; nam consentaneum est hominem subiici colori, qui ei inhaeret, non contra. Sed facilius et aptius hoc significari videtur, si receperimus lectionem Alex. p. 710, 14: τοῦ λευκοῦ.

CAP. III.

c) ***Res mathematicas cogitatione potius et abstrahendo seiunctas esse a rebus sensibilibus, non re et essentia,*** 1077*b* 14 — 1078*b* 6.

Plato et ideas et res mathematicas absolute et separatas a rebus sensibilibus exsistere propterea statuit, ut scientia vel philosophica vel mathematica haberet quo referretur; Aristoteles quam hoc loco exponit et alibi saepissime respicit (cf. *K* 3. 1061*a* 28. *Z* 10. 1036*a* 9. An. post. I 13. 79*a* 7. Phys. II 2. 193*b* 31. de an. III 7. 431*b* 25 et ad h. l. Trend. 8. 432*a* 5. Biese Arist. II. p. 216) de rebus mathematicis sententiam, ea contraria nititur ratione; nimirum ut scientia esse possit alicuius rei eaque suam habeat veritatem ac dignitatem, non opus esse dicit Ar. eam rem, cuius sit scientia,

per se et absolute esse, sed sufficere, licet illa alii inhaereat substrato, si cogitatione ab eo seiungi possit et quae de ea praedicentur suapte natura ex ea repetantur, cf. An. post. I 11. 77*a* 5. — Hanc rationem primum exemplis confirmat, 1077*b* 17—1078*a* 5. Universalia geometriae et arithmeticae axiomata (cf. ad 2. 1077*a* 9), doctrina mechanica, medicina aliaeque artes nihil habent sibi subiectum quod seorsim possit exsistere, sed quae iis sunt subiecta, veluti motus sanitas, ubique sensibili inhaerent rei; quoniam autem illae doctrinae sensibile corpus non quatenus est sensibile investigant, sed quatenus vel motui vel sanitati recipiendae est obnoxium, propterea non sunt doctrinae corporis sensibilis nec eius esse dicuntur, sed motus vel sanitatis. Ita doctrina mathematica sensibilia corpora tractat *μὴ ᾗ αἰσθητὰ ἀλλ' ᾗ τοιαδί* *b* 22, h. e. ut paullo infra explicat *b* 28: *ᾗ σώματα μόνον καὶ πάλιν ᾗ ἐπίπεδα μόνον κτλ.* Has igitur res, subiectas doctrinae mathematicae, ut ei scientiae possint subiici, non opus est separari a rebus sensibilibus: essentia autem rebus mathematicis latiore illo sensu (*ἁπλῶς ἀληθὲς εἰπεῖν* *b* 33, cf. ad *I* 1. 1052*a* 19) tribuenda est, quo iis etiam assignatur rebus, quae abstractione, non ipsa exsistentia (*ἁπλῶς* *b* 16, cf. ad *I* l. l.) separatae sunt a suis substratis.

Separari autem cogitatione licet haec doctrinarum obiecta et tamquam separata poni ab iis quibus inhaerent substratis, quia multa de illis necessario praedicantur (*συμβέβηκε καθ' αὑτά* *a* 5, cf. ad *Δ* 30. 1025*a* 30), quae non substratorum ex natura, sed unice ex natura qualitatum iis inhaerentium repetenda sint, *a* 6: *ᾗ ἕκαστον ὑπάρχει τῶν τοιούτων*, int. *ὑγίεια, κίνησις, σῶμα, ἐπίπεδον, ἄρρεν, θῆλυ κτλ.* cf. An. post. I 18. 81*b* 4: *ὑπάρχει ἑκάστῳ γένει ἔνια, καὶ εἰ μὴ χωριστά ἐστιν, ᾗ τοιονδὶ ἕκαστον.* Haec *ἴδια πάθη* *a* 7 (cf. *οἰκεῖα πάθη* *a* 16. *I* 9. 1058*a* 37 et ad *Δ* l. l.) recte et inveniemus et demonstrabimus seposita omni substrati cogitatione, quippé cui nullum sit cum illis commercium, spectantes unice id quod inhaeret substrato. Quod quo simplicius est, eo exactior erit ac certior doctrina, quoniam ipsa *ἀκρίβεια* cernitur in simplicitate rei (*τοῦτο δὲ τὸ ἁπλοῦν ἐστιν* *a* 10); unde fit ut arithmetica quam geometria

geometria quam astronomia, astronomia quam mechanica sit exactior, quoniam in qualibet ex his doctrinis novi quid accedit, cf. ad *Α* 2. 982*a* 13. (Ipsa verba, quibus hoc exponit, brevitate paullo obscuriora sunt, *a* 11: ὥστε ἄνευ τε μεγέθους μᾶλλον ἢ μετὰ μεγέθους, καὶ μάλιστα ἄνευ κινήσεως, i. e. certior ea erit doctrina, quae extensionis nondum habet rationem, arithmetica, quam quae eam adsciscit, geometria; certior praecipue iis doctrinis, quae motum spectant. ἐὰν δὲ κίνησιν, μάλιστα τὴν πρώτην· ἁπλουστάτη γάρ, καὶ ταύτης ἡ ὁμαλή. Sed si qua scientia res tamquam motas contemplatur — sive κίνησις peculiari motus, sive universali mutationis significatione dicta est —, ea in illis erit certissima, quae primum, simplicissimum, aequalem motum, orbicularem nimirum astrorum motum, sibi subiectum habet. Eadem ratione deinde harmonicam et opticam doctrinam confert, quae non ipsas res auditui et visui subiectas, sed lineas et numeros cum illis rebus necessaria ratione, *a* 16, coniunctas investigent.) Concludendi autem error inde, quod pro separatis rebus posuimus ea, quae essentia non sunt separata, non magis potest enasci, quam inde, quod geometra lineam in arena descriptam pedalem esse sumpsit quum non sit pedalis, *a* 19. Geometra enim quae demonstrat, ea seiuncta prorsus a natura figurae delineatae unice ex propositionum veritate pendent (cf. An. pr. I 40. 49*b* 35: ὥσπερ ὁ γεωμέτρης τὴν ποδιαίαν καὶ εὐθεῖαν τήνδε καὶ ἀπλατῆ εἶναι λέγει οὐκ οὖσαν, ἀλλ' οὐχ οὕτως χρῆται ὡς ἐκ τούτων συλλογιζόμενος); ita in doctrinis mechanica medicina aliis qui peculiares motus vel sanitatis qualitates cognoscere studuerit, is nihil falletur seposita substrati natura, quoniam ab ea hae qualitates non sunt suspensae. Quid quod non modo culpa liberi, sed laudandi etiam sunt, qui quaestiones sic instituunt; quod enim accurate quis cognoscere voluerit, id licet re seiunctum non sit a substrato, cogitatione debet ab eo separare, *b* 22: ἄριστα δ' ἂν οὕτω θεωρηθείη ἕκαστον, εἴ τις τὸ μὴ κεχωρισμένον (sc. τῷ εἶναι) θείη χωρίσας, cf. Phys. II 2. 193*b* 35. Hoc cadit in doctrinam mathematicam. Veluti quum homo et unum quidpiam sit et corpus solidum, mathematicus tamen, seposita omni hominis natura, unitatem et corpus solidum quasi per se sint ponit,

ac tum demum quaerit, quid de homine propterea praedicandum sit, quoniam vel unum vel corpus est, *a* 22—27. Nec falluntur mathematici quod res arti suae subiectas esse contendunt, modo latiorem huius vocabuli notionem cogitaveris; sunt enim illae *ὑλικῶς* *a* 31, i. e. res mathematicae sunt *ὕλη νοητὴ τῶν αἰσθητῶν*, cf. ad *Z* 10. 1036*a* 9.

Confirmata doctrinae mathematicae veritate, dignitatem simul eiusdem sustentat impugnatam a quibusdam et extenuatam, *a* 31—*b* 6, cf. de Aristippo ad *B* 2. 996*a* 32. Illud sane bonum, quod in agendo cernitur, mathesis, quum immobilia contempletur, explicare non potest; pulchri autem natura, quum ordine et proportione maxime definiatur (cf. Poet. 7. 1450*b* 37), mathesis licet nomen non adhibeat, ipsam tamen rem quum maxime agit. Ea de re luculentius se alibi disputaturum Ar. promittit, *b* 5; quod num fecerit et quem librum respiciat, equidem ignoro. Dixerit quispiam vel *Λ* 7. 1072*a* 34 vel *N* 4 respici; sed neutro loco id praestatur, quod se facturum Ar. h. l. dicit. Nec sufficere videtur, quod Schw. haec universe ad libros de coelo referenda putat.

In textu constituendo quod aliquoties a Bekkeri lectione recessi, ratio vel facile apparebit vel exposita iam est in Observationibus. — 1077*b* 32 ad *κινούμενα* e codd. *G*[b]*I*[b] addendus videtur articulus *τά*, namque *εἶναι* praedicatum est, *κινούμενα* subiectum; itaque articulus addendus est pariter atque additus est antea ad *χωριστά* et *μὴ χωριστά* vel postea ad *μαθηματικά*. — 1077*b* 36 sq. retinui, quoniam melius invenire mihi non contigit, emendationem propositam Obs. p. 45, licet haud spernenda esse intelligerem quae Breierus contra monet, Jen. Lit. Zeit. 1843. p. 887. — 1078*a* 20 articulum *τήν* Alexandro auctore post *φῇ* ponendum esse demonstravi Obs. p. 107. Ad confirmandam hanc emendationem praeter locos illic allatos *N* 2. 1089*a* 21. *I* 1. 1052*b* 32. conferri potest An. post. I 10. 76*b* 41: *τὸν γεωμέτρην ψεύδεσθαι, λέγοντα ποδιαίαν τὴν οὐ ποδιαίαν*. pr. I 40. 49*b* 35.

II. DE IDEIS, c. 4. 5.

CAP. IV. V.

***Quibus rationibus Plato inductus sit, ut ideas esse statueret,* 1078*b* 7—32, *ideas nec ponendas esse nec pro causis habendas rerum sensibilium* — 1080*a* 11.**

1078*b* 7 περὶ — 32 προσηγόρευσαν. Platonicam de deis doctrinam primum per se excutere instituit, nondum iabita ratione eorum numerorum, quibus idearum naturam lefinire sibi videbantur, ἀλλ' ὡς ὑπέλαβον ἐξ ἀρχῆς οἱ πρῶοι τὰς ἰδέας φήσαντες εἶναι *b* 11. Etenim eae argumentaiones, quibus inductus Plato ideas tamquam substantias per e exsistentes posuit, sive ex ipsis Platonis libris petuntur ive ex Aristotele, omnes eo pertinent, ut ideae, i. e. speies rerum immutabiles, nec vero ut numeri absolute poiantur. Itaque et per se consentaneum est ab initio acquievisse Platonem in ponendis absolute ideis ac postea demum eos per singulare quoddam numerorum genus descripsisse, et his verbis Ar. confirmatur, quae cur incertae fidei esse iutumet Zeller Plat. Stud. p. 240 neque ipse significavit neque equidem divinare possum. — Origines autem Platonicae doctrinae ex Heraclitea (*b* 13 τὸ πεισθῆναι περὶ τῆς ἀληθείας τοῖς 'Ηρ. λόγοις, i. e. τὸ πεισθῆναι τοῖς λόγοις ὡς ἀληθέσιν οὖσιν) et Socratica disciplina perinde atque h. l. Ar. repetit *A* 6. 987*a* 32—*b* 10, cf. *M* 9. 1086*a* 35—*b* 13. Ac definiendi quidem notiones studium Socrati tamquam peculiare et novum Ar. tribuere non dubitat, quia quae ad eandem rem Democritus et Pythagorei contulerant, exigui sint pretii, cf. de Democrito Trend. de an. p. 212. de part. an. I 1. 642*a* 26. Phys. II 2. 194*a* 20; de Pythagoreis cf. ad *A* 5. 987*a* 20. (De constructione grammatica enunciati *b* 17: Σωκράτους δὲ κτλ. cf. Obs. p. 38.) Definiendis autem notionibus opus fuisse (εὐλόγως *b* 23) Socrati Ar. dicit, ut ratiocinari et concludere posset, quia conclusionum principium a definitione petendum sit, *b* 24, cf. de an. I 1. 402*b* 25 et ad *Z* 9. 1034*a* 31. Dialectica quidem, utpote tentabunda ratiocinandi et philosophandi ratio (cf. ad *B* 1 init.), nondum proposita alicuius rei notione in utramque partem de ea

disputare et ita veritati appropinquare potest; sed ea quum postea demum (cf. *A* 6. 987*b* 32), ut erat a sophistis ad eludendam, a Platone ad inveniendam veritatem usurpata (cf. Heyder krit. Darst. I 1. p. 125), ab Aristotele scientiae ad formam redacta esset, Socrates profecto, ut ratiocinando aliquid invenire posset, in definiendis notionibus primam debebat ac praecipuam operam collocare. (*b* 26 *τῶν ἐναντίων κτλ.* cf. ad *B* 2. 996*a* 20.) Praeter definitiones inventos primum a Socrate Ar. dicit *τοὺς ἐπακτικοὺς λόγους* *a* 28, cf. Brandis Gesch. II 1. p. 50. — Iam has definitiones, a Socrate praecipuo studio investigatas, Plato seiunxit (*οἱ δ' ἐχώρισαν*, cf. ad *A* 6. 987*b* 8) a rerum sensibilium communione et tamquam substantias per se esse statuit.

1078*b* 32 *ὥστε* — 5. 1080*a* 11 *τεθεωρημένοις*. Eaedem rationes ad refutandas Platonis ideas prope iisdem verbis (cf. prooem. p. 27. Obs. p. 67) expositae sunt *A* 9. 990*b* 6 — 991*b* 9, ubi eas uberius explicui. Pauca tantum verba huic libro sunt propria 1079*b* 3 *εἰ δὲ τὰ* — 11 *γένος*, quae quum Aristoteleam referant argumentandi rationem et cum iis, quae proxime sunt disputata, aptissime concinant, primo in libro omissa esse Trend. de id. p. 22 non sine veritatis specie suspicatur. Etenim antea, 1079*a* 33 — *b* 3, Aristoteles non minores exsistere difficultates demonstravit, sive quis ideas naturae ac notionis, sive nominis tantum communionem cum rebus sensibilibus habere statuerit. Iam addit ne eam quidem viam relinqui, quam quis quasi mediam inter utrumque ingredi sibi posse videatur, ut dicat, notionem ideae circuli, ut hoc utamur exemplo, ceteroquin eandem esse ac notionem universalem circulorum sensibilium, sed accedere ad notionem ideae circuli hoc, quod est exemplar sensibilium, *τὸ δ' οὗ ἐστὶ προστεθήσεται* *b* 6. Hoc enim prorsus inane esse contendit. Nam quum notio *τοῦ αὐτοκύκλου* ex pluribus notis composita sit, quarum quaeque et ipsa ideae habeat dignitatem et aeternam naturam, cui ex his adiiciendum sit illud additamentum, non potest decerni. Deinde illud additamentum quum notae loco inclusum sit in notione ideae, et ipsum oportebit ideam esse (cf. ad *Z* 14. 1039*b* 11), ut *τὸ παράδειγμα εἶναι*, quoniam ad omnes pertinet ideas, tamquam idea ponenda sit in ceteris dominans. Quod quam

absurdum sit, ne verbo quidem monet Aristoteles. — 1079*b* 21 *Εὔδοξος*, cf. ad *A* 9. 991*a* 17. *Λ* 8. 1073*b* 17. Brandis Gesch. I. p. 489. — 1080*a* 9 *διὰ λογικωτέρων καὶ ἀκριβεστέρων λόγων*, i. e. eiusmodi rationibus, quae accuratius etiam ex ipso *λόγῳ* h. e. notione idearum petitae sunt, cf. ad *Γ* 3. 1005*b* 22.

III. DE NUMERIS IDEALIBUS, c. 6—9. 1086*a* 21.

CAP. VI.

Quaestionem de numeris idealibus sive iis de numeris, quos pro substantiis et principiis rerum nonnulli philosophi posuerunt, quum Platonis potissimum auctoritate effectum sit, ut tanta et diligentia et subtilitate Ar. pertractaret, Plato quid hac de re statuerit paucis ante videtur significandum. Paucis autem defungi licet et tantum exposuisse sufficiet, quantum ad intelligendam Aristotelis disputationem requiritur; haec enim res a doctissimis viris, qui de philosophia Graecorum investigaverunt, ea est et doctrinae copia et iudicii acumine tractata, ut eo fere perventum videatur, quo perveniri posse speremus in re et per se incerta et nixa non verbis ipsorum, de quibus agitur, philosophorum, sed testimoniis saepe parum inter se congruis vel Aristotelis vel posteriorum interpretum; cf. Trend. Plat. de id. et num. doctrina. Brandis Gesch. II 1. p. 211 sqq. Zeller Plat. Stud. p. 239 sqq. Ph. d. Gr. II. p. 210 sqq. 332 sqq.

Plato quibus causis adductus sit, ut in ideis omnem rerum essentiam invenire sibi videretur easque tamquam substantias absolute poneret, et ex libris ipsius philosophi facile cognoscitur et aptissime significatum est ab Aristotele, cf. 4. 1087*b* 12 et ad *A* 6. 987*a* 32. Eundem vero ideas ad numeros retulisse et idearum naturam per numeros expressisse, ex ipsius libris non possumus colligere, nedum pro certo affirmare. Attamen et Aristotelis testimonia eius sunt ponderis et confirmantur discipulorum Platonis doctrina, ut vere Platonica quin haec sit doctrina hodie nemo possit dubitare. Videtur autem Plato, quantum divinare possumus de interna eius philosophiae origine, iisdem fere ad has sententias ratiocinationibus adductus esse, quibus permoti Py-

thagorei, licet aliquanto aliter, numeris summam essentiae dignitatem assignaverant. Numeris enim definiri et numerorum lege regi quaecunque vel sunt vel fiunt, neminem potest latere paullo acrius naturam rerum intuentem; item numeros ipsos plane esse definitos, ut qui aliis rebus fines describant, apparet. Iam Plato quum idearum aeterna et immutabili natura universitatem rerum sensibilium regi ac definiri et ad similitudinem quandam et speciem essentiae perduci statuisset, ideas autem per se, nulla habita rerum sensibilium ratione definire non posset (cf. *Z* 16. 1040^b 30), quas tamen ita definivisse ad consummanda eius placita quum maxime requireretur: pronum sane erat, quod ad ideas definiendas desideraretur, id repetere numerorum ex natura, ideasque referre ad numeros vel numeros pro symbolis adhibere idearum (cf. Theophr. Met. 313, 7: *Πλάτων μὲν οὖν ἐν τῷ ἀνάγειν (τὰ ὄντα) εἰς τὰς ἀρχὰς δόξειεν ἂν ἅπτεσθαι τῶν ἄλλων, εἰς τὰς ἰδέας ἀνάπτων, ταύτας δ' εἰς τοὺς ἀριθμούς, ἐκ δὲ τούτων εἰς τὰς ἀρχάς.*). Quocunque in hac re verbo utamur, verendum magis est ne nimium, quam ne parum eam definiamus. Plato enim licet ex Aristotelis testimonio dixisse videatur *τὰς ἰδέας εἶναι ἀριθμούς*, tamen hos numeros, qui idearum exprimerent naturam, a mathematicis ea distinxit ratione, quae re vera ipsam numerorum naturam penitus tolleret. Hos enim numeros dixit esse *ἀσυμβλήτους*, consociari non posse nec computari alterum cum altero. Sed quum numeris abstractis, utpote magnitudinibus eiusdem speciei, id necessario tribuendum sit, ut incrementa ac decrementa inter se et efficiant et patiantur, hoc qui negat, is numeros manifesto non quantitates definitas esse dicit, sed qualitates definitas, quas quum ipsas describere non possit ad numerorum imaginem confugit. Atque hanc de numeris doctrinam, quae in ipsa Platonis philosophia vix aliam quam appendicis locum potest obtinere, ii ex discipulis Platonis, qui in philosophia magistri acquieverunt, tantopere adamaverunt, ut omissa, quod est Platonicae philosophiae caput, idearum doctrina in exquirenda numerorum illorum ratione prope unice elaborarent, unde intelligitur cur tantum operae iis refutandis Ar. tribuerit. Nimirum quum ingeniis viderentur fuisse ad philo-

sophandum non aptissimis, in ipsa doctrinae obscuritate arcanum nescio quid ac divinum augurabantur. Cum Platone autem in definienda horum numerorum natura non prorsus consentiebant: Plato numeros ideales sive inconsociabiles distinxerat a mathematicis numeris; ab hac ratione Academici veteres in utramque partem discesserunt, sublato vel ideali vel mathematico numero vel utriusque generis discrimine, cf. ad 1080*b* 14. 21. Semina sane horum placitorum omnium in ipsa continentur Platonis doctrina; eius enim numeri ideales ita in medio sunt positi inter qualitativam dignitatem idearum et quantitativam mathematicorum numerorum, ut mirum non sit eos, qui in iis eruendis operam collocarent, deflexisse a media illa natura, quae nec cogitari nec comprehendi ullo modo potest, et ad alteram utram partem se convertisse.

Hanc igitur de numeris doctrinam, qualem significaverat Plato, descripserant subtilius eius discipuli, propius ad Pythagoreos accedentes, ut plene videatur evertisse Aristoteles primum exponit, quot possint omnino excogitari rationes inter se diversae si quis numeros pro substantiis et principiis posuerit, 1080*a* 15—*b*5, deinde quae quibusque placuerint philosophis enarrat, 1080*b* 6—36, atque ita demum via ac ratione argumentandi satis munita singula deinceps refutare instituit, c. 7 sqq.

α) 1080*a* 15—*b*5. Omnes ut inveniat huius doctrinae varietates, quotquot vel effingi possunt, duplice utitur partitione, *a*15—37, *a*37—*b*3, quas deinde inter se coniungit, *b*4. Si quis, ait, numerum statuit esse substantiam per se exsistentem (*οὗ ἡ οὐσία — τοῦτ' αὐτό* *a*16, i. e. *τὸ ἀριθμῷ εἶναι*), oportet *ἤτοι εἶναι τὸ μὲν πρῶτόν τι αὐτοῦ τὸ δ' ἐχόμενον, ἕτερον ὂν τῷ εἴδει ἕκαστον* *a*17. Extremis his verbis manifesto Ar. significat qualitatis diversitatem esse in his numeris; ad eandem significandam proximis statim verbis ipso utitur Platonico vocabulo *ἀσύμβλητος* *a*19. Nimirum quum numeris abstractis illud, ut sint *συμβλητοί*, inde accidat, quod nullum in iis est qualitatis discrimen sed unice quantitas diversa, ad idem prorsus redit utrum numeros dixeris *ἀσυμβλήτους* esse an qualitate inter se differre. In eandem autem sententiam accipienda sunt ea verba, quibus

antea eorundem numerorum naturam describit: *εἶναι τὸ μὲν πρῶτόν τι αὐτοῦ τὸ δ' ἐχόμενον.* Possunt sane his verbis describi numeri vere mathematici, ut qui ipso ordine et serie suam quisque vim adipiscantur, sed ex iis, quae sequuntur, verbis apparet non multitudinis de serie, sed de ordine quodam qualitatis agi, quum quidem posteriores numeri non additis unitatibus ex prioribus conficiuntur (cf. *a*31), sed specie diversae et qualitate posteriores sunt. Eundem ipsius qualitatis ordinem deinde describit his verbis *b*12: *τὸν μὲν (ἀριθμὸν) ἔχοντα τὸ πρότερον καὶ ὕστερον*, ut appareat verborum unice discrepantiam esse sive numerus dicitur *ἀσύμβλητος*, sive *ἔχων τὸ πρότερον καὶ ὕστερον*, sive *οὗ τὸ μὲν πρῶτόν τι τὸ δ' ἐχόμενον*, sive *διαφέρων τῷ εἴδει*, cf. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 211, 1. — Iam huic priori partitionis membro, numero *ἀσυμβλήτῳ*, opponi *συμβλητόν* exspectes ut contradictorium; sed quae verba per grammaticam enunciati conformationem illis: *ἤτοι εἶναι τὸ μὲν κτλ.* opponi oportet *b*23: *ἢ τὰς μὲν συμβλητὰς τὰς δὲ μὴ κτλ.*, ea, si sententiam respexeris, non ipsam continent prioris membri oppositionem. Quum enim quod est prius partitionis membrum, numerum *ἀσύμβλητον*, novo discrimine dividere instituerit eiusque divisionis alteram partem attulerit, *a*18: *καὶ τοῦτο ἢ ἐπὶ κτλ.*, inde perturbatus est is exponendi ordo, qui a principio videtur institutus esse. Dividit autem numeri *ἀσυμβλήτου* naturam Ar. hac ratione. Inconsociabilis aliquis numerus esse aut ita potest cogitari, ut singulae quaeque unitates singulorum numerorum qualitate inter se diversae consociationem aspernentur, *a*18—20, aut ita, ut singulorum numerorum unitates inter se sint specie pares ideoque consociabiles, sed diversae ab unitatibus alius cuiusque numeri et, si cum iis comparentur, inconsociabiles, *a*23—25. Utraque ratio, qua numeri cogitari possunt esse incomputabiles, pariter opponitur numero mathematico, ut in quo nullum inveniatur unitatum discrimen, *a*20—23, cf. 30—33. Itaque per duplicem dichotomiam, alteram numerorum *ἀσυμβλήτων* et *συμβλητῶν*, alteram ipsorum inter se numerorum *ἀσυμβλήτων*, ad tria pervenit numerorum genera, duo inconsociabilium, tertium consociabilium; sed grammaticam enunciatorum conformationem (de qua cf. Obs. p. 21) perturba-

rit et partiendi rationem obscuravit eo, quod alterum membrum superioris partitionis, numerum συμβλητόν, interposuit inter duo membra inferioris numerorum ἀσυμβλήτων partitionis. — Denique haec tria numerorum genera ita inter se coniungere quispiam potest, ut alios esse numeros dicat οἷος ὁ πρῶτος ἐλέχθη, cf. *a*17—20, alios mathematicos, cf. *a*20—23, 30—33, alios quales postremo descripti sunt, τὸν ῥηθέντα τελευταῖον *a*37, cf. *a*23—30.

Ad hoc discrimen numerorum accedit alterum, *a*37—*b*3; etenim hi, quos distinximus, numeri aut possunt seiuncti esse a rebus sensibilibus, aut iis inesse, non eum in modum de quo antea dictum est (οὐχ ὡς τὸ πρῶτον ἐπεσκοποῦμεν *b*2, cf. 2. 1076*a* 38—*b*11), sed quemadmodum Pythagorei ex numeris tamquam elementis constare res sensibiles putaverunt. — Denique haec partitio cum superiore partitione diversis rationibus potest coniungi, si quis alios e numeris antea descriptis seiunctos, alios non seiunctos esse dixerit, *b*3, 4. Quod vulgo additur: ἢ πάντας εἶναι, vel quod Alex. p. 721, 30 videtur in textu habuisse: ἢ πάντας εἶναι ἢ πάντας μὴ εἶναι, omittendum arbitror cum codd. *G^b I^b*, quoniam ad omnia numerorum idealium genera haec partitio supra iam refertur, *a*37: ἔτι τούτους ἢ χωριστοὺς κτλ.

b) 1080*b* 4—36. His partitionibus quum omnes de numeris principibus sententias contineri oporteat, facile ad unam alteramve ex iis rediguntur eorum philosophorum placita, quicunque ex unitate et ἄλλου τινός *b*7, i. e. et indefinito quodam, quod materiae locum teneret (qualia sunt τὸ ἄπειρον, τὸ μέγα καὶ μικρόν, ἡ ἀόριστος δυάς al.), numeros repetierunt, hoc est autem: quicunque numeris dignitatem substantiae tribuerunt. Unum quidem ex generibus antea descriptis, eorum nimirum numerorum, in quibus singulae unitates per se omnes essent ἀσύμβλητοι, nullum invenisse patronum Ar. ait, *b*8: πλὴν τοῦ πάσας τὰς μονάδας εἶναι ἀσυμβλήτους. Quod quidem non singulari quadam ac mira fortuna factum est, sed inde explicatur, quod Ar. huic doctrinae obtrusit partitionem, manifesto alienam a cogitatione Platonicorum. Etenim Plato quod ἀσυμβλήτους dixit numeros suos ideales, qualitatis diversitatem, quae in iis cerneretur, significavit et ipsam quantitativam numeri natu-

ram ita sustulit, ut eorum vis non amplius penderet unitatum a multitudine nec re vera de unitatibus eorum quaeri possit quot qualesve sint, sed numeri modo signa quaedam et quasi symbola fiant notionum. Iam primum, *b* 11—14 ipsius Platonis commemorat sententiam, qui duo posuit numerorum genera, utrumque a rebus sensibilibus seiunctum alterum idealium, alterum mathematicorum numerorum. (*b* 12 *τὸν μὲν ἔχοντα τὸ πρότερον καὶ ὕστερον τὰς ἰδέας*, appositionis loco *τὰς ἰδέας* additum est, quasi dicat: *λέγω δὲ τὸν εἰδητικὸν ἀριθμόν*. Non esse ante *ἔχοντα* addendum *αἱ*, quod Trend. de id. p. 80 coniecerat, demonstravit Zeller Ph. d. Gr. II. p. 211.) Platonis a sententia quidam ex eius discipulis ita dissenserunt, ut omisso numero ideali mathematicum modo numerum pro principio ponerent, et eum quidem seiunctum a rebus sensibilibus, *b* 14—16. Ea sententia quamquam saepius ab Ar. commemoratur (cf. 8. 1083*a* 20. 9. 1086*a* 2. *N* 3. 1090*a* 25. 4. 1091*b* 24. *Λ* 10. 1075*b* 37.) tamen quis eius auctor sit non videtur ad liquidum perduci posse. Alexandrum, cuius auctoritatem his in rebus fere sequitur Syrianus, nihil de ea re certi habuisse apparet: modo enim Xenocrati eam tribuit sententiam p. 722, 28, modo Xenocrati et Speusippo p. 761, 31, modo cuius ea fuerit sententia prorsus omittit p. 743, 7; quid quod etiam videri potest eam Pythagoreis quibusdam tribuere p. 744, 15 coll. 32. Iam secuti obscura illa vestigia, quae de Xenocratis et de Speusippi placitis relicta sunt, ad Xenocratem potissimum hanc sententiam referendam esse censent Brandis de libr. perd. p. 45. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 334. Contra Ravaisson Essai sur la Mét. p. 178. 338 Speusippum respici putat, eamque opinionem Schw. ad h. l. collatis locis Ar. confirmare studet. Etenim quam sententiam de pluribus et generibus et principiis rerum *Z* 2. 1028*b* 21 nominatim Speusippo Ar. tribuit, eandem eum *Λ* 10. 1075*b* 37. *N* 3. 1090*b* 16 ad eos referre philosophos, qui solum mathematicum numerum posuerint. Sed si contuleris hos locos a Schw. allatos, id ipsum, de quo agitur, nimirum **solum** mathematicum numerum poni concludi magis ex verbis Ar. quam diserte ab eo dici intelliges. Itaque quum utraque interpretum sententia in coniectura sit posita, haud scio an illa, ex qua ad Xenocratem haec referuntur, maiorem certe habeat veritatis speciem.

His Ar. adiungit Pythagoreos, *b* 16—21, quoniam et ipsi unum posuerunt mathematicorum numerorum genus, sed ita, ut insit rebus sensibilibus atque hae omnes ex numeris compositae sint, cf. 8. 1083*b* 11. de coelo III 1. 300*a* 15, et ad *A* 5. 986*a* 13. Quos quod dicit unitates posuisse extensas (τὰς μονάδας ὑπολαμβάνουσιν ἔχειν μέγεθος *b* 19, ἔχοντας μέγεθος *b* 33), hoc Aristotelem conclusisse potius ex doctrina Pythagoreorum, quoniam componi ex iis vellent res sensibiles, quam in ipsis eorum placitis invenisse, recte iudicare videtur Zeller Ph. d. Gr. I. p. 100. Eiusmodi numeris Ar. opponit τοὺς μοναδικοὺς ἀριθμούς, i. e. eos numeros, quibus non certae quaedam res (cf. *N* 5. 1092*b* 19: ἀεὶ ὁ ἀριθμὸς ὃς ἂν ᾖ τινῶν ἐστίν, ἢ πύρινος ἢ γήϊνος ἢ μοναδικός), sed ipsae unitates, abstractae ab omni rerum qualitate et varietate, individuae (cf. 8. 1083*b* 17) neque inter se distinctae (cf. 7. 1082*b* 16) numerentur. Ac talem quidem numerum quum investiget scientia arithmetica, eundem numerum ἀριθμητικόν et μοναδικόν appellat, cf. 8. l. l.

Alii e Platonicis unum posuerunt numerum idealem, quidam etiam hunc idealem numerum eundem esse mathematicum contenderunt, *b* 21—23. Verbis magis quam re distinctas esse has duas sententias apparet; mathematico enim numero quoniam carere nemo potest, si quis unum esse statuit ideale numerorum genus, is nimirum, sive id diserte dicit sive non dicit, ad idem genus non potest non redigere mathematicum numerum. Atque ipse Ar. 9. 1086*a* 5, ubi Platonicorum sententias complectitur, has non distinguit, sed tres omnino ponit sententias: unam Platonis, qui ideales et mathematicos numeros distinxit, alteram eorum, qui solum mathematicum, tertiam eorum, qui solum ideale numerorum genus esse voluerunt. Ceterum qui illi fuerint Platonici, magis etiam dubium est, quam in superiore sententia; Alex. eam non dubitat iisdem tribuere Xenocrati et Speusippo, p. 744, 16, quibus alibi contrariam assignat sententiam, cf. ad *b* 14; Asclepius ad *Z* 2. Schol. p. 741*a* 5 Xenocratem dici putat; cf. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 333.

Quae in doctrina de numeris cernuntur discrimina, eadem in rebus geometricis conspicua sunt, *b* 23—32. Plato (οἱ μὲν *b* 24) a corporibus naturalibus duo distinxit corpo-

rum superficierum cet. genera, alterum mathematicum, alterum ideale (*b* 25 τὰ μετὰ τὰς ἰδέας, i. e. τὰ εἰδητικά, Alex. p. 723, 20). Ex Platonicis, quicunque a Platone dissenserunt (*b* 25 τῶν ἄλλως λεγόντων), ii, qui numerorum unum mathematicum genus posuerunt, iidem non alia nisi mathematica corpora esse statuerunt. Qui vero ideales tantum numeros esse voluerunt vel ad eos redegerunt mathematicos, ii unum ideale corporum genus posuerunt, et si qui de mathematicis corporibus explicant, non minus geometriae repugnant (οὐ μαθηματικῶς, οὐ τέμνεσθαι μέγεθος πᾶν εἰς μεγέθη *b* 28), quam in doctrina de numeris arithmeticam evertunt (οὔθ' ὁποιασοῦν μονάδας δυάδα εἶναι *b* 29). — De Pythagoreis, *b* 30, cf. ad *b* 16.

CAP. VII.

Iam in excutiendis et refutandis his placitis eandem fere ingreditur viam, quam antea descripsit. Primum eas rationes quibus posse omnino numeros tamquam substantias et principia poni significavit, singulas persequitur, et quid absurdi consequens sit, sive quis numeros consociabiles sive inconsociabiles altero utro modo posuerit, ostendit; seiungi autem numerorum substantiam ab ipsis rebus per universam hanc argumentationem tacite ponit, 7. 1081*a* 1 — 8. 1083*a* 20. Ita rem ex sua partitione diligenter persecutus brevissime ea examinat, quae Platonici variaverant a Platone ipso dissentientes, 1083*a* 20 — *b* 8. Iis demum Pythagoreos et adiungit et opponit, 1083*b* 7 — 23.

A. *Diversae tres rationes, quibus numeri substantiales poni possint, singulae examinantur*, 1080*b* 37 — 1083*a* 20.

a) *Si numeri ponuntur consociabiles*, 1081*a* 5 — 17.

Ideas praeter res mathematicas propterea posuisse Platonem Ar. censet, quia eadem res mathematica, veluti idem numerus, idem triangulum, saepius exsisteret (cf. *B* 6. 1002*b* 15: πόλλ' ἄττα ὁμοειδῆ ἐστί), principia autem rerum simpliciter et absolute una esse oporteret, cf. 1002*b* 12 — 30. Atqui si eos numeros, qui idearum naturam definiant, consociabiles esse statuunt, nihil aliud nisi mathematicum nu-

merum conficiunt, quo non posse definiri idearum substantiam significatum est. Hac ergo ratione ideae ad numeros referri non possunt. Ita vero ne esse quidem omnino ideas posse demonstrat, argumentatus nimirum ex principiis eorum, quibus haec placuerint. Etenim ideas progignere sibi videntur ex unitate et indefinita dualitate (cf. ad *A* 9. 991*b* 31); atqui ex his duobus principiis numeri oriuntur et ii quidem consociabiles ac mathematici, quibus idearum natura exprimi nequit; nec potest in origine ex his principiis repetita ordinis vel dignitatis quoddam discrimen poni, *a* 16, quo ipsum idearum et numerorum discrimen explicetur; ergo ideae, quum non sint numeri, esse omnino nequeunt. — *a* 7 *καὶ τὰς ἰδέας οὐκ ἐνδέχεται εἶναι τοὺς ἀριθμούς*. Articulum *τούς* omittendum conieceram Obs. p. 53, ut *ἀριθμούς* praedicati locum obtinere posset. Ac pro praedicato quidem habendum esse *ἀριθμούς* ex ratiocinatione ipsa manifestum est; omittendum autem propterea esse articulum non ita certo contenderim; videtur additus esse, ut non simpliciter dicat: *οὐκ ἐνδέχεται τὰς ἰδέας εἶναι ἀριθμούς*, sed: *τὰς ἰδέας εἶναι τοιούτους ἀριθμούς*, i. e. *συμβλητοὺς καὶ μαθηματικούς*.

b) *Si numeri ponuntur inconsociabiles et ita quidem, ut quaelibet unitas a qualibet unitate differat*, 1081*a* 17—*b* 35.

Hanc alteram numeros ponendi rationem triplici potissimum argumentatione impugnat.

1) 1081*a* 18—29. Si quaelibet unitas cuilibet unitati inconsociabilis esse statuitur, ita neque mathematicus confici potest numerus, quippe cuius natura omnino consociabiles requirat unitates, neque vero idealis. Etenim ex Platonis placitis (*ὁ πρῶτος εἰπών* *a* 24, cf. 8. 1083*b* 23. *N* 4. 1091*a* 24) unitates, quae sunt in dyade ideali vel in alio eiusmodi numero, simul generantur ex dyade indefinita; quam quidem dyadem indefinitam sive finiri aequarique dixerint per naturam *τοῦ ἑνός* sive aliud excogitarint vocabulum, simul generando ex iisdem principiis indistinctas exsistere unitates manifestum est. At si ponimus diversas esse, quae in dyade ideali continentur unitates, priorem alteram alteram posteriorem natura, dyas ipsa, utpote ex his mista, altera sui ipsius unitate posterior erit (cf. ad. *Θ* 9.

1051*a* 14) nec potest prima dici (οὐ γὰρ ἔσται ἡ δυὰς πρώτη *a*21). — Duas videtur Ar. argumentationes coniungere, *a*23—25, *a*25 ἔπειτα — 29, sed re vera id quod ab initio demonstrandum ponit: οὐκ ἔσται ἡ δυὰς πρώτη, altera demum parte comprobat; priore autem parte quasi per parenthesin monet, Platonicos certe numeros non esse ex eo quod descripsit genere, sed singulos quosque consociabiles inter se habere unitates. Ipsa autem, quae altera parte continetur, argumentatio e notione τοῦ πρώτου repetita est, de qua cf. ad *b*2.

2) 1081*a* 29—*b*10. (De emendanda distinctione primi enunciati, *a*29 ἔτι ἐπειδὴ — 35 τούτους, cuius apodosis incipienda est a part. ὥστε *a*32, exposui Obs. p. 23.) Si unitates ponuntur omnes inconsociabiles, prima ponetur unitas αὐτὸ τὸ ἕν, deinde altera, quae est dualitatis prior, tum tertia, quae est dualitatis altera, deinceps quarta, quae est ternarii numeri prima, et reliqua eundem in modum. At ita recusare non possunt, quin ex unitate αὐτοῦ τοῦ ἑνός et priore dualitatis unitate exsistat dualitas, idealis nimirum ut ex unitatibus inconsociabilibus composita, ante ipsam, quam volunt fieri, dualitatem idealem, et eodem modo reliqui numeri fiant ante se ipsi, *a*29—35. Quam absurditatem ne iniuria videatur obtrusisse Platonicis, confessus neminem ex iis ita censuisse de unitatibus numerorum idealium, ex ipsis tamen eorum principiis consentaneum esse sic statui comprobat, *a*35—*b*1. Quum enim primam ponant unitatem, primam dualitatem et sic reliquos numeros primos, si omnino volunt vocabulum primi suam habere vim ac sententiam, alteros etiam ac tertios numeros concedere cogentur, quos non volunt esse, *b*1—6, 8—10. (Quae interponit Ar. *b*6 ἅμα — 8 ἀδύνατον, non videntur ad ipsam hanc argumentationem pertinere, sed monet Ar. si quis post τὸ αὐτοέν unitates ponat primam et secundam cet., eum sane dualitatem non posse dicere primam, cf. ad *a*25—29.) Qua in ratiocinatione utrum abutatur Ar. vocabulo πρῶτος, usurpato a Platonicis ad significandum id, quod per se sit et absolute, an ipsi Platonici huic consequentiae ansam dederint, difficile est decernere, quum impugnatam sententiam non aliunde noverimus nisi ex teste adversario.

3) 1081^b 10—33. Denique veram numerorum naturam adhibet ad refellenda haec placita, quibus videbantur statuere numeros, quum funditus everterent eorum naturam. Quidquid de natura unitatum statuitur, ait Ar., illud sane necesse est numeros deinceps fieri additis ad superiorem quemque numerum unitatibus; quod si est necesse ideoque binarium numerum ternarii, ternarium quaternarii partem fieri oportet (*μόριον γὰρ γίγνεται κτλ.* ^{b}18, nimirum ex vera numerorum natura, non ex Platonica, quam verbis proxime antecedentibus: *ὡς γεννῶσιν ἐκ τῆς δυάδος* — int. *τῆς ἀορίστου* — *καὶ τοῦ ἑνός*, descripsit), admitti non potest ea quam statuerunt numerorum ex uno et indefinita dyade originatio, quae hanc additionem excludat, ^{a}10—20. At effugere quidem Plato sibi videtur hanc addendi necessitatem (*ἀλλ'* ^{b}21, qua particula *ἔνστασιν πρὸς ἑαυτὸν ἐπάγει*, Alex. p. 730, 24), quum quaternarium numerum e. g. non ex ternario addita unitate una, sed e dualitate ideali et dualitate indefinita, ut quae sit *δυοποιός* (cf. 1082^a 15. 8. 1083^b 36) progigni statuat. Sed in novas incidit difficultates. Ita enim in quaternario numero duae erunt dualitates praeter ipsam dualitatem, ^{b}22, aut si hoc voluerit evitare (*εἰ δὲ μή* ^{b}22), ipsa ei inerit dualitas et huic addita altera dualitas. Quod quam absurdum sit magis etiam perspicitur, si eandem generandi rationem ad dualitatem ipsam retulerimus; eam enim vel duas continere unitates oportet praeter ipsam unitatem, vel compositam esse ex ipsa unitate addita unitate altera, ^{b}24, quae nimirum non possit ex dualitate indefinita, utpote *δυοποιῷ*, progenita dici, ^{b}25, 26. Atque omnino revertimur hic ad illas ideales alteras et tertias dualitates trinitates cet., quae praeter ipsam dualitatem et trinitatem sint, pariter atque in altera argumentatione, quum tamen repugnet idealis numeri naturae, si p l u r e s ponantur dualitates vel trinitates, cf. 1081^a 10. 1082^b 24.

c) ***Si numeri ponuntur inconsociabiles ita, ut eiusdem numeri unitates eiusdem sint generis, diversorum autem numerorum unitates inter se differant,*** 1081^b 35—8. 1083^a 20.

1) 1082^a 1—15. Hanc hypothesin cum ea, quae proxime est excussa, ita complicatam esse demonstrat, ut licet

diversorum modo numerorum unitates differre quispiam posuerit, inde tamen eiusdem numeri unitates, quas pares esse vult, differre et ipsas necesse sit. Decas idealis, ut ipso Aristotelis exemplo utamur, ex decem constat unitatibus inter se paribus, iisque non quibuslibet, sed eiusmodi unitatibus, quibus ideae definiantur. In eadem autem decade insunt duae pentades, quae eadem de causa non ex quibuslibet, sed ex idealibus unitatibus consistunt; insunt igitur duae pentades ideales. Atqui pentadis idealis unitates ab unitatibus decadis differunt. Ergo ipsas quoque decadis unitates differre inter se oportet, *a* 1—7. Huic argumentationi primum hanc addit quaestionem. Quaeritur utrum praeter has pentades aliae etiam esse statuendae sint. Quod si quis negaverit, ἄτοπον *a* 9 (cur sit ἄτοπον, non dicit Ar., sed consentaneum est hoc ei videri absurdum, si quis in decade inesse pentades statuerit, nec similiter in aliis numeris: vulgatam si retinemus lectionem: ἐνέσονται, quae possit esse verborum sententia non intelligo); sin concesserit alias etiam esse pentades, quae tandem nova ex binis eiusmodi pentadibus exsistet decas, quum nimirum ipsi decadi non possit alia praeter ipsam inesse, *a* 7—11. — Quod autem in decade duas pentades inesse dixit, non recedere se demonstrat ab ipsis Platonis placitis, quippe qui tetradem idealem confici voluerit geminata per indefinitam dyadem dyade definita, *a* 11—15; eadem enim lex profecto ad decadis originem pertinebit. (Ita videntur haec verba, *a* 11—15, aliquo certe modo cum reliqua argumentatione coniungi posse; ipsam Ar. mentem num sim assecutus dubito.)

2) 1082*a* 15—26. Numerum ternarium quaternarium cet. esse aliquid statuunt praeter eius tres quatuorve unitates (παρά *a* 15, 16), et singulos quosque numeros unam esse volunt naturam (φύσιν τινά *a* 16). Sed neque quomodo seiunctam habere possint a suis ipsi unitatibus naturam, neque quomodo ex unitatum pluralitate in unitatem coalescant explicare possunt. Coalescit enim in unitatem substratum cum accidente, *a* 17, 18, genus cum differentia, *a* 19, 20, coalescunt praeterea alia ἁφῇ, μίξει, θέσει *a* 20, cf. ad *Z* 14. 1039*b* 6; sed nulla ex his rationibus ad numeros potest referri. — *a* 24 οὐχ ὅτι ἀδιαίρετοι, int. αἱ μονάδες.

3) 1082*a* 26—*b* 1. Plato licet evitet numeros posteriores ex prioribus conficere additis mathematice unitatibus, progigni tamen vult nescio quomodo ex unitate per dyadem indefinitam, utpote *δυοποιόν*, dyadem definitam, item ex dyade tetradem et sic porro. Inde apparet primum quidem inesse in dyade duas unitates ipsa unitate posteriores, in tetrade item duas dyades, licet inter se *ἀδιαφόρους* esse concedamus (*ἔστωσαν* *a* 29, cf. 1081*a* 23), posteriores tamen ipsa dyade, et sic porro, *a* 26—31, cf. ad 1081*b* 27; deinde quum dyas, tetras cet., quae geminantur per dyadem indefinitam, idearum habeant naturam, etiam duas illas dyades vel tetrades, quae inde conficiuntur, ideas esse. Ergo composita est idea ex ideis, *a* 31—36; quod quam absonum sit (cf. *Z* 14. 1039*b* 11) vel apertius elucet, si ab ideis ad eas transfertur res, quarum natura per ideas definitur, *a* 36—*b* 1.

Reliqua quatuor, quae videntur distingui posse, argumenta omnia ad ipsum principium sententiae pertinent, quod numerorum unitates differre inter se dicantur.

4) 1082*b* 1—11. Unitates, quatenus id ipsum sunt unitates, nec qualitate inter se differunt nec quantitate, siquidem numerus ex eadem compositus unitatum multitudine plane unus idemque esse censetur (cf. 8. 1083*a* 1—17). Quodsi quis nihilo secius discrimen unitatum esse contendit, nihil certe habebit, cur diversorum numerorum unitates differre, eiusdem non differre statuat. — *b* 3 *πλασματῶδες*, cf. 1081*b* 30. 9. 1085*a* 15. *πλασματίας* 2. 1076*a* 39. — *b* 6 *μάλιστα τὸν μοναδικόν*, cur hoc potissimum genus numerorum commemoret, cf. ad 6. 1080*b* 19. — *b* 9 *αὐτῇ τῇ δεκάδι*, quod pro vulg. *ταύτῃ τῇ δεκάδι* scripsi secutus auctoritatem Alex. p. 738, 11, per ipsam sententiae rationem necessarium esse apparet.

5) 1082*b* 11—19. Vulgo et recte quidem ita statuimus, duas quaslibet res simul cogitatas conficere dualitatem. Hoc placitum, quod nimirum ab idealibus suis numeris longe arcebant Platonici, si retulerimus ad illos numeros ideales, difficile erit Platonicis dicere, qualem tandem dyadem confici velint ex unitatibus altera dyadis altera triadis vel similibus, et quem iis locum assignandum putent. — *b* 12. Particulam *δ'*, quae vulgo post *ἡ* additur, ferri non posse, quo-

niam inde apodosis orditur, significavi Obs. p. 105 not. Eam expungere non dubitavi, ut quam et cod. *A*[b] omittat neque Alexander, quantum ex eius interpretatione colligi licet p. 738, 22, in textu habuerit.

6) 1082*b* 19—37. Quaeritur utrum trias idealis dyade maior sit necne; ac mirum quidem si non sit maior; sin dicitur esse maior, inest triadi numerus dyadi par nec ab ea distinctus. Iam illud quidem recte viderunt huius sententiae auctores, si velint numeros idearum habere dignitatem (*εἴπερ ἰδέαι ἔσονται* *b* 25, fut. condit. cf. Obs. p. 66), eos ponendos esse inconsociabiles, ut quilibet numerus idealis absolute ac simpliciter unus sit neve idea insit ideae. At his decretis, ad tuendam hypothesin sane necessariis (*b* 32, cf. *b* 3), omnem evertunt numerorum naturam (*πολλὰ ἀναιροῦσιν* *b* 33). — Extrema huius capitis verba *b* 34: *ἐπεὶ τοῦτό γ' κτλ.* non habeo quomodo cum aliqua veritatis specie explicem. Hoc quidem apparet, vv. *προσλαμβάνοντες ἀριθμοῦμεν* idem significare Ar. quod antea dixit: *ἀριθμεῖν κατὰ πρόσθεσιν*, cf. 1081*b* 14; neque improbabile est, quod ei opponitur *κατὰ μερίδας* recte explicari ab Alex. p. 740, 20: *κατὰ διαίρεσιν ἀπὸ τῆς δεκάδος λαμβάνειν, καὶ λέγειν ὅτι τόδε μὲν τὸ μέρος αὐτῆς ἐστὶ δύο, τόδε δὲ τρία.* Proximis autem in verbis: *ποιοῦμεν δὲ ἀμφοτέρως*, pleniorem textum quin habuerit Alex., conferenti praecipue p. 741, 3, vix potest dubium videri. Extrema denique verba: *διὸ — διαφοράν*, quod interpretatur Alex.: *γέλοιόν ἐστιν ἐκ τῆς οὕτως ἐπιπολαίου αὐτῶν ἀπορίας ἕκαστον τῶν ἀριθμῶν ποιεῖν ἰδέαν καὶ οὐσίαν καθ' αὑτήν*, quomodo haec sententia, per se non inepta, inesse possit Ar. verbis, non video.

CAP. VIII.

7) 1083*a* 1—17. Quod antea significavit de unitatum inter se discrimine, 7. 1082*b* 1—11, iam amplius persequitur. Quum inconsociabiles numeros Plato statueret, illud prae ceteris exponendum erat, et quam diceret vel numerorum vel unitatum differentiam, *b* 38, et quibus rationibus nisus eam contenderet, *a* 16. Neutrum praestitit. Ac numerus quidem, quatenus est numerus, unum admittit quantitatis discrimen, *a* 4,

ex quo postea demum exsistere potest qualitas, *a* 10 (cf. *Δ* 14. 1020*b* 3). Unitates autem qualitatis quantitatisve discrimen recipere nequeunt, neque ex vulgatis opinionibus, ubi quidem facile est plurimum absurditatis inde colligere, *a* 5 — 8, neque ex ipsis Platonicorum principiis, *a* 11 — 14. Fieri enim numeros ideales volunt ex unitate et indefinita dyade; illa, quoniam est absolute individua, omnis est expers et qualitatis et quantitatis, haec ut *ποσοποιός* numerorum efficit quantitatem, non unitatum nescio quam differentiam. — *a* 4 *ἀλλ' ᾗ ἀριθμός*, recte Alex. p. 741, 14 interpretatur: *ἀλλ' ὁ μὲν ἀριθμὸς καθὸ ἀριθμὸς τοιοσδί, οἷον μείζων ἢ ἐλάττων, διαφέρει κατὰ τὸ ποσόν.* Subiectum autem illud enunciati, *ὁ μὲν ἀριθμός*, utrum ipsum in textu habuerit an ex superioribus verbis repetiverit, dubium est. — *a* 13 *ποσοποιόν* cur scripserim pro vulg. *ποσὸν ποιόν*, cf. Obs. p. 111. [1])

B. ***Refutantur aliorum Platonicorum dissentientium a Platone placita***, 1083*a* 20 — *b* 8.

1) 1083*a* 21 — *b* 1. Fuisse inter discipulos Platonis qui reiectis et ideis et idealibus numeris unice mathematicum retinerent numerum eumque pro principio haberent rerum omnium (*καὶ τοὺς ἀριθμοὺς π ρ ώ τ ο υ ς τῶν ὄντων* *a* 23) su-

1) Uno obtutu si contemplamur haec argumenta omnia, quibus Ar. Platonicam de numeris doctrinam impugnat, non videtur optimo et aptissimo refutandi genere usus esse. Etenim si quis eos numeros, quos pro principiis ponat, *ἀσυμβλήτους* esse dicit, ipsam numerorum naturam manifesto tolli neque eos numeros ex unitatibus componi vult. Aristoteles vero hoc ipsum, componi numeros ex unitatibus, tenet, et quales possint poni unitates, ex quibus illi numeri *ἀσύμβλητοι* consistant, subtiliter distinguit. At ita quum in absurdissima quaeque deduci Platonem eiusque discipulos demonstrat, iis nimirum adversus eam doctrinam utitur rationibus, quas ille aperte sustulerat; praeterea in nonnullis argumentationibus vulgarem quam habemus de numeris opinionem ad redarguenda placita Platonica convertit. Ita dissecta refutatione in multas ratiunculas, quae singulae ne omni quidem dubitatione exemtae sunt, res obscuratur magis quam illustratur. Luculentius equidem refutatam putem illam doctrinam, si Ar. nihil aliud quam internam illam repugnantiam, quae inest in notione numerorum *ἀσυμβλήτων*, simpliciter ac perspicue exposuisset. Sed excusatur fortasse haec Aristotelica refutandi ratio eo, quod illius aetatis Platonici multum ac temere de numeris nugati esse videntur, ut propterea multis eos modis redarguendos putaverit. Cf. praeterea ad s. 1083*b* 23.

pra exposui ad 6. 1080*b* 14. Quos ut refutet Ar., non illud iis opponit, quod mathematici natura numeri idonea non sit ad substantiam rerum omnium definiendam, sed internam, qua laborent, repugnantiam demonstrat. Posuerunt enim tamquam principium mathematici numeri non simpliciter quamlibet unitatem, sed retinuerunt, quod Plato statuerat, αὐτὸ τὸ ἓν *a* 24, h. e. tale unum, quod nihil aliud sit nisi id ipsum et cuius substantia cernatur ἐν τῷ ἑνὶ εἶναι. At si hanc unitatem, a mathematica probe distinguendam, pro principio posuerunt, non debebant inde numeros simpliciter mathematicos repetĕre, sed singulare quoddam genus numerorum substantialium, non dyadem simpliciter mathematicam, sed δυάδα τινὰ πρώτην *a* 30, 33, h. e. dyadem quae sit substantia et principium. Quod igitur recesserunt a Platone, depravarunt, *a* 32; quod commune cum eo habent, antea est excussum, *a* 35.

2) 1083*b* 1—8. Qui vero e Platonicis duo numerorum genera, ab ipso Platone caute et prudenter distincta, ideale et mathematicum, in idem voluerunt coniungere, cf. ad 6. 1080*b* 22, ii nimirum quae in utraque sententia falsa sunt coniunxerunt. Is enim, quem sic conficiunt, numerus non est vere mathematicus, sed profecti a principiis sibi propriis, nec mathematicis (ἰδίας ὑποθέσεις ὑποθέμενοι *b* 5, cf. 6. 1080*b* 28: οὐ μαθηματικῶς), temere nugantur. (*b* 6 μηκύνειν, int. λόγον, similiter omisso obiecto legitur apud Plat. rep. IV 437 a, cf. μακροποιεῖν *N* 3. 1090*b* 30). Ac tamen simul, quoniam eundem numerum idealem esse volunt, in eos etiam incidunt errores, quibus idealium numerorum patroni obnoxii sunt.

C. ***Pythagoreorum doctrina reprobatur***, 1083*b* 8—19.

Pythagoreorum de numeris doctrina quid differat a Platonica cf. 6. 1080*b* 16. Qui quod numeros, qui rerum naturam constituant, non seiunxerunt a rebus sensibilibus, id quidem Ar. probat; etenim fieri non potest, ut seiuncta sit substantia rei ab ipsa re, cuius est substantia, cf. *Z* 6. Sed eam castigat levitatem, qua, quum corpora e numeris, et iis quidem mathematicis, *b* 12, conformare sibi viderentur, extensionis dimensiones e natura numerorum repetierunt. Ar.

enim *b* 13: οὔτε γὰρ ἄτομα μεγέθη λέγειν ἀληθές, i. e. si ex numeris magnitudines consistere, ipsosque igitur numeros et ipsas unitates magnitudines esse volunt, unitates, utpote ἀδιαίρετοι, essent profecto magnitudines individuae; at non sunt omnino ἄτομα μεγέθη, cf. de coelo III 4. 303*a* 2. de gen. et corr. I 2. 315*b* 32. Sed etiamsi quis concesserit, esse omnino ἄτομα μεγέθη *b* 14, unitates certe numeri mathematici (*b* 16 μοναδικός, cf. ad 6. 1080*b* 19) nullam habent magnitudinem, nec vero potest ex unitatibus individuis exsistere extensio et magnitudo, *b* 15, cf. *B* 4. 1001*b* 17. *Λ* 10. 1075*b* 29. Phys. VI 1. 231*a* 24. Ita quum fieri non posse appareat, ut ex numeris exsistant corpora extensa, tamen illi ipsum numerum esse volunt τὰ ὄντα *b* 17; eas certe propositiones, quae de numeris vere statuuntur (τὰ θεωρήματα *b* 18), ad corpora ita referunt, quasi corpora e numeris consistant (ὡς ἐξ ἐκείνων ὄντων τῶν ἀρ. *b* 18, i. e. ὡς τῶν σωμάτων ἐξ ἐκείνων τῶν ἀριθμῶν ὄντων, cf. ad *A* 8. 990*a* 12.

1083*b* 19—23. Refutatis singulis modis omnibus, secundum quos numeri vel possunt pro substantiis poni vel re vera positi sunt, Ar. concludit, non posse esse eam numeri naturam, ut per se et absolute tamquam rerum principium ponatur.

D. *Varia congeruntur argumenta, quibus doctrina de numeris idealibus refutetur*, 1083*b* 23—9. 1085*b* 34.

Hucusque Ar. Platonicam et Pythagoricam de numeris doctrinam ita est persecutus, ut ipsam horum numerorum naturam spectaret easque rationes omnes, quibus numeri substantiales vel possunt poni vel re vera sunt positi, singulos perscrutaretur ac refutaret. Iam singulares quasdam addit quaestiones de principiis illorum numerorum et quomodo ex iis numeri exsistant, de numerorum multitudine, de ea quae numeros inter et res geometricas intercedat ratione, aliasque similes, et iis quidem quaestionibus et ipsis utitur ad impugnandam doctrinam de ideis. Quae quaestiones quod non sunt via ac ratione dispositae, sed adnexae potius altera alteri quam in unum corpus coniunctae, id non magnopere mirabitur qui meminerit, qua omnino ratione Ar.

uti soleat in examinandis et refutandis aliorum placitis; cf. Obs. p. 131.

1) *Qua ratione numeri oriantur ex principio materiali quale Plato posuit,* 1083*b* 23—36.

Plato quod materiale numerorum idealium principium esse dixerat *τὸ μέγα καὶ μικρόν*, non duo significare voluerat principia diversa et seiuncta inter se, sed unam eandemque potentiam, quae et augendo et diminuendo in infinitum idonea esset, cf. ad *Α* 6. 987*b* 18. Ar. vero hoc loco in ipsis verbis haeret, quae quum ambiguitatem aliquam contineant, inde Platonicis negotia facessere studet, percontatus utrum ex utroque principio an ex altero utro singulae numerorum unitates proficiscantur; utrum enim placuerit Platonicis, in novas eos difficultates implicari ostendit. Etenim si aliae ex magno, aliae ex parvo unitates exsistunt, non sunt eiusdem numeri unitates *ἀδιάφοροι*, neque explicari potest, unde tandem in numeris imparibus media illa quam dicunt, unitas prodierit, *b* 25—30. Sin quaelibet unitas ex utroque prodit principio (*ἰσασθέντων*, cf. 7. 1081*a* 25), unde eae unitates coalescant in unam naturam vel quid differant ab ipsa unitate explicari nequit, *b* 30—32. Praeterea de ea unitate, quae primum inter numeros locum obtinet nec vero ipsum est numerorum principium formale, αὐτὸ τὸ ἕν, novae exsistunt dubitationes. Haec enim unitas quum reliquis numeris prior sit, idea prior idea sive idea ideae videtur exsistere. Ac quum prior reliquis numeris unitas prodierit ex principiis, ex quibus prodierit quaeritur. (*ἐκ τινος οὖν* scripsi cum Alexandro p. 747, 10 pro vulgato *ἐκ τινος οὖν*. cf. 1085*a* 2: *ἐκ τίνος οὖν αὕτη ἡ δυάς*;) Nimirum ex indefinita magni et parvi dyade non potest prodiisse, ut quae *δυοποιός* sit, non *ἑνοποιός*.

2) *Quot sint statuendi numeri ideales,* 1083*b* 36—1084*a* 2.

Si quis numeros cogitando tantum confici ideoque sola potentia non actu exsistere censet, non est cur de eorum multitudine ac fine laboret; ipsa enim potentia infinitatem necessario secum habet coniunctam. Qui autem numeros tamquam substantias absolute ac per se exsistentes ponunt

ii non possunt recusare, quominus quaeratur, infinitosne velint esse numeros an certo quodam modo finitos, *b* 37.

a) 1084*a* 2—10. Ac primum quidem infiniti non possunt esse numeri; infinitus enim numerus nec par est nec impar, quicunque autem numerus prodierit ex principiis a Platone positis, eum aut parem aut imparem exsistere necesse est; accedit quod numerus infinitus non potest ullius rei esse idea, neque ex ipsa ideae natura (*κατὰ λόγον* *a* 9), quippe quae formale sit ac definiens rerum principium, neque ex placitis Platonicorum (*κατὰ τὴν θέσιν* *a* 9). — Ut omnes numeros vel pares vel impares evadere demonstret, tria distinguit generationis genera. Si unitas incidit in numerum parem, i. e. si unitas additur numero pari, exsistit numerus impar, *a* 6; sin dyas incidit in numerum parem, i. e. si dyade multiplicatur numerus par, exsistit *ὁ ἀφ' ἑνὸς διπλασιαζόμενος*. Ex ipsis his vocabulis intelligitur, non quemlibet in numerum parem incidere Ar. voluisse dyadem, sed in eiusmodi numeros pares, cuius simplices factores omnes sint numeri pares; intelligendae igitur sunt potentiae, quas dicunt mathematici, numeri binarii; cf. Alex. p. 748, 7—15. Denique si dyade multiplicatur numerus impar, reliqui exsistunt numeri pares, *οἱ ἀρτιοπέρισσοι* quos vocat Alex. l. l.; quo quidem nomine, ut plena sit partitio et omnes complectatur numeros, non ii solum sunt intelligendi numeri, qui semel divisi per dyadem ad numerum imparem rediguntur, sed omnes quicunque in simplices factores distincti praeter numerum binarium etiam imparem numerum continent (h. e. non modo $6 = 2 . 3$, $10 = 2 . 5$, sed etiam $12 = 2 . 2 . 3$, $20 = 2 . 2 . 5$). Aristoteles quin in his Pythagoreorum et Platonicorum secutus sit vestigia, non est dubium; at simul quam parum arithmetice haec sint disputata apparet. — *a* 10 *τάττουσι δ' οὕτω τὰς ἰδέας* Alex. interpretatur p. 748, 25: *μέχρι γὰρ δεκάδος αὐτοῖς ἡ τῶν εἰδῶν πρόοδος*. Probabilis illa quidem interpretatio, sed ipsa verba admodum negligenter et obscure scripta.

b) 1084*a* 10—*b* 2. Si vero usque ad certum finem continuari volunt numeros ideales, non hoc modo ostendendum est, quem finem constituant, sed etiam cur in eo consistant. Iam Plato et multi e Platonicis in decade finiendam censue-

runt numerorum idealium seriem (cf. *Λ* 8. 1073a 18. Phys. III 8. 206b 30. Brandis Gesch. II 1. p. 318. Zeller II. p. 338), sine dubio propterea, quod decas systemati numerorum ita est subiecta, ut ad eam eiusque potentias reliqui numeri referantur omnes, ideoque decas sua ac propria quadam perfectione reliquis excellere videatur. — At primum quidem, b13—17, quum hi numeri idearum habeant dignitatem et universum in se complecti debeant idearum systema, non sufficient decem illi numeri ad substantias rerum naturalium omnium definiendas; quid quod animalium iam genera plura sunt pluresque eorum ideae requiruntur, quam quot sunt numeri positi. — Deinde, a18—25, demonstrare studet eadem fere ratione, qua usus est 7. 1082a 27 sqq., consequens inde fore, ut ideae sint aliae aliarum partes. (a18 *αἱ ἄλλαι τριάδες*, quas in aliis numeris idealibus inesse supra demonstravit, cf. 7. 1081b 35 sqq. 1082a 26. b11. — a19 *ὅμοιαι γὰρ αἱ ἐν τοῖς αὐτοῖς ἀριθμοῖς*, int. *ἰδέαι*, ut si *ἡ αὐτοτριάς* est idea hominis, reliquae etiam triades ideales oporteat esse homines. Alex. vel alium habuit textum, vel negligenter verba interpretatus est. — a21—25, de emendando et explicando h. l. cf. Obs. p. 107.) — Denique quaerit cur tandem undenarius et duodenarius numerus et reliqui non perinde inter ideas referendi sint, ac denarius. Hanc enim universe sententiam esse verborum a25 *ἄτοπον* — 32 *ἀριθμοῦ* satis est apertum, sed in ipsis verbis plurimum inest difficultatis, quam me expedire posse diffido. Atque haec quidem verba a27 *ἔτι δὲ* — 29 *ἐστίν*, adeo interrumpunt sententiarum ordinem, quum non ad numeros ideales, sed ad ideas quatenus rerum sensibilium causae esse censentur pertineant, ut, quod Obs. p. 131 suspicatus sum, ea aliunde (cf. *M* 5) perperam huc esse intrusa, ne nunc quidem possim improbare, quamquam interea cognovi et Alex. et Syr. ea interpretari sine ulla spuriae originis suspicione. Sed nihil his verbis omissis proficimus ad explicanda verba proxima; quae quum Alex. sic interpretatur p. 749, 29: *ἔτι ἄτοπον εἰ ὁ ἀριθμὸς μέχρι τῆς δεκάδος, καὶ ταῦτα τὸ ἓν κατ' αὐτοὺς μᾶλλόν τι ὂν καὶ εἶδος τῆς δεκάδος*, et consentiens cum eo Syrianus: *ἔτι ἄτοπον εἰ ὁ ἀριθμὸς οὐ μέχρι τῆς ἐνδεκάδος, ἐπεὶ καὶ τὸ ἓν μᾶλλον τῆς δεκάδος ὂν καὶ εἶδος αὐτῆς καὶ*

τὰ ἑξῆς, satis quidem apta est illa interpretatio et Ar. argumentationibus consentanea; sed nisi levissime in explicandis verbis versatos putes, eiusmodi quid eos in textu habuisse oportet, qualia significavi in v. l. ad h. l.

Licet autem haec iis obiici debeant, qui intra decadem describere ideales numeros voluerunt, tamen Platonici ita his decem numeris uti conantur, ut ad explicandam omnem rerum naturam sufficiant, *a* 32: γεννῶσι γοῦν τὰ ἑπόμενα, οἷον τὸ κενόν, ἀναλογίαν, τὸ περιττόν, τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα ἐντὸς τῆς δεκάδος. Voc. τὰ ἑπόμενα summas significari categorias ex allatis exemplis apparet, sed unde eam vim adsciscere possit dubium videtur. Equidem haud scio an per τὰ ἑπόμενα seriem denotare voluerit notionum sese invicem sequentium, quae eidem ideae adnectuntur, de qua ratione notionum alibi v. ἀκολουθεῖν usitatum est, cf. ad *A* 1. 981*a* 27. Quas notiones vel principiis vel numeris vel intervallis numerorum attribuerint, copiose exponunt Alex. et Syr. ad h. l. (cf. Theoph. Met. p. 312, 20), neque est quod in his hariolationibus multum immoremur. — Unitatem autem pro principio habent imparitatis, quia ea adiecta, nec vero per triadem aliumve numerum numeri fiunt impares, *a* 36 sq. — Item magnitudines mathematicas ad denarium retulerunt numerum, siquidem unitati punctum, dyadi lineam, triadi planum, tetradi corpus contulerunt, qui numeri coniuncti inter se decadem efficiunt, *a* 37 — *b* 2, cf. *N* 3. 1090*b* 22. *Z* 11. 1036*b* 14. de an. I 2. 404*b* 18. Brandis Gesch. II 1. p. 313. — *b* 1 οἷον ἡ πρώτη γραμμὴ ἄτομος, i. e. ἡ μονάς (hanc enim voc. πρώτη significari cognoscitur ex opposito ἡ δυάς, cf. Alex. p. 751, 12) ἐστιν ἡ γραμμὴ ἄτομος. Linea autem individua quid sit Platoni cf. ad *A* 9. 992*a* 22.

3) ***Quale principium unitatem esse velint quaeritur, et quae cum ea re coniunctae sunt dubitationes excutiuntur,*** 1084*b* 2 — 9. 1085*a* 7.

Si numerum cum Platone tamquam substantiam absolute exsistentem ponimus — nimirum si quis cum Ar. de natura numeri consentit, ea quaestio non potest moveri —. quaeritur utrum sit prius, unitas, quae est numeri elementum, an singuli numeri veluti dyas trias. Iam quatenus numerus

compositus est ex unitatibus, unitas, tamquam elementum, prior est numeris; quatenus vero numeri ad certam quandam formam ac speciem definiti sunt, numeri priores sunt unitatibus; illa igitur generatione ac materia, hi forma ac notione priores sunt, *b*4—13. (Idem discrimen τοῦ προτέρου uberius explicat et eodem exemplo illustrat *Z* 10. 11, sed eam disputationem h. l. non videtur respicere, cf. prooem. p. 27. — *b*12 τὸ ἄμφω, i. e. τὸ ἐξ ἀμφοῖν sive τὸ συναμφότερον.) Igitur illam ut possimus quaestionem dirimere, ad hanc est respondendum, quale principium (πῶς *b*13, ποτέρως *b*16) Platonici voluerint unitatem esse, formale an materiale. Quod enim individuam dicunt esse unitatem et propter individuam naturam principii dignitatem eam habere volunt, quoniam et notioni universali sive formae, et singulis rebus sive τῷ συναμφοτέρῳ (τὸ ἐπὶ μέρους *b*14, cf. ad *Γ* 1. 1003*a* 21) et denique elemento individua natura assignanda est, nihil ad solvendam illam quaestionem proficimus, *b*13—16; neque vero fieri potest, quod illi volunt, ut utraque simul ratione unitas principium esse statuatur, et materiale et formale (cf. *Λ* 10. 1075*b* 5); unitates enim (ἑκάτερον *b*20, μονὰς ἑκατέρα *b*23, dyadis enim exemplum Ar. cogitat) quum sint elementa numerorum, si numeros volumus ad unitatem quandam coalescere (μὴ ὡς σωρός *b*21, cf. ad *Z* 16. 1040*b* 9), non actu, sed potentia tantum iis insunt (cf. *Z* 13. 1039*a* 13, quem locum respici ab Ar. iure exspectes, cf. prooem. p. 27), ideoque non possunt simul pro formali principio haberi, *b*18—23.

Ortam autem hanc incertam de natura principii sententiam Ar. inde arbitratur, *b*23—32, quod in inveniendis statuendisque principiis dialecticam simul et mathematicam doctrinam Platonici respexerint; atque ex mathematica quidem doctrina hoc repeti, quod unitatem elementum ponunt compositorum numerorum; ex dialectica vero (διὰ δὲ τὸ καθόλου ζητεῖν *b*30) illud, quod formalem numerorum unitatem quae de omnibus praedicatur numeris, eorum partem esse statuunt (τὸ κατηγορούμενον ἓν καὶ οὕτως ὡς μέρος λέγουν *b*31); quae quidem fieri non potest ut inter se coniungantur. — *b*26 μονὰς στιγμὴ ἄθετος, cf. ad *Δ* 6. 1016*b* 30. — *b*27 ἕτεροί τινες, Democritus et Leucippus.

Ex eodem fonte eae manant dubitationes, quas exposita

hac incertitudinis causa deinde, *b* 32 — 1085*a* 7, exponit, quarum quidem prima, *b* 32 — 37, et tertia, *a* 3 — 7, non multum inter se differunt, altera autem, *a* 1, 2, eodem modo discussa est 7. 1081*a* 25 — 35. Quum utraque unitas, ait *b* 32 — 37, quae inest in dyade, individuam naturam cum unitate principali communem habeat ac propterea ei magis sit cognata quam ipsa dyas, dyade prior videtur esse. Sed negant hoc Platonici, quum quidem non singulas unitates, sed totam simul dyadem ex principiis fieri statuunt [1]). Vel, qua ratione deinde, *a* 3 — 7, eandem rem exponit, quum singuli numeri non contactu unitatum coalescant (cf. ad 7. 1082*a* 20), sed unice eo ordine, quo deinceps unitates sibi invicem adiunguntur, quaeritur utrum proximum post ipsam unitatem locum dyas habeat, an altera utra ex unitatibus dyadis. (Quae emendanda putavi in hoc enunciato, τῷ pro τῶν *b* 6 et ὁποτεραοῦν pro ὁποτερᾳοῦν *a* 7, et Alexandri auctoritate et facili, quam inde assequimur, interpretandi ratione commendabuntur.) — Quid statuendum sit de his dubitationibus, iure eas an iniuria Ar. Platonicae doctrinae opponat, cf. p. 553 not.

CAP. IX.

4) *De principiis geometricarum rerum*, 1085*a* 7 — *b* 4.

Quum in ipsa de numeris doctrina parum inter se consentirent Platonici, magis etiam in diversas abiisse partes videntur, quum id ageretur, ut ex iis principiis repeterentur vel certe aliqua ratione cum iisdem principiis coniungerentur geometricae res, puncta lineae plana solida. Suffecisse enim sibi videntur ipsi et in eo acquievisse, si similitudinem quandam inter originem numerorum et rerum geometricarum significassent, non magnopere sollieiti ipsamne

1) *b* 32 εἰ δὲ τὸ ἓν αὐτὸ δεῖ μόνον ἄθετον εἶναι. Non agi de discrimine quod inter τὸ αὐτοέν et τὴν στιγμήν, sed quod inter τὸ αὐτοέν et τὴν μονάδα intercedat, vere Schw. monet, et quoniam voc. ἄθετος distinguitur τὸ αὐτοέν a puncto, neque vero a singulis unitatibus, scribi iubet ἀδιαίρετον pro ἄθετον. Quod num sit necessarum dubito; nam si in memoriam revocaverimus quae paullo supra scripsit, *b* 25: ὡς στιγμὴν τὸ ἓν καὶ τὴν ἀρχὴν ἔθηκαν· ἡ γὰρ μονὰς στιγμὴ ἄθετός ἐστιν, videri poterit Ar. per ἄθετον paullo obscurius ipsam principii naturam significasse, quam eum voluisse significare ex proximis verbis cognoscitur: οὐθενὶ γὰρ κτλ.

rerum geometricarum rationem et domesticam inter se necessitudinem servassent necne. Ex ea varietate, quam ex eiusmodi fonte satis longe profluere consentaneum erat, aliquot sententias Ar. et hic et alibi commemorat, cf. *A* 9. 992*a* 10. *Z* 11. 1036*b* 12. *N* 2. 1089*b* 11. 3. 1090*b* 20. de an. I 2. 404*b* 18. Alii, ait *a* 9—14, tamquam materiale principium non ipsum magnum et parvum, quae est numerorum materia, sed singulares quasdam eius species (*a* 9. 12 cf. 992*b* 11: ἐκ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου) singulis rerum geometricarum generibus subiecerunt; neque ii quidem in statuendo principio formali, quod unitati respondeat (τὴν κατὰ τὸ ἓν ἀρχήν *a* 13) prorsus inter se consenserunt, cf. *N* 3. l. l. de an. l. l. Alii, *a* 31—34, pro formali principio non unitatem neque hos numeros posuerunt, sed punctum quippe quae esset geometrica unitas; materiale autem principium non amplius definiverunt, nisi ut simile esse multitudini dicerent. — His placitis omnibus id potissimum argumentum Ar. opponit, *a* 16—18, 35—*b* 4, ut dicat quae ratio intercedat rebus geometricis, ut altera suspensa sit ab altera, eam inde non posse explicari, sed consequens esse, ut aut plane seiungantur (ἀπολελυμένα *a* 16, cf. *Z* 6. 1031*b* 3) inter se lineae plana solida, aut idem genus efficiant, cf. *A* 9 l. l. Ac praeterea nec singulares formas, veluti figuras angulis similia, definiri posse, quum non ipsa ac vera geometricarum rerum elementa, sed accidentia quaedam earum, qualia sunt longum ac breve et reliqua, pro principiis posuerint *a* 19—23, cf. *A* 9. 992*b* 3. *N* 1. 1088*a* 17.

Huic de geometricis principiis disputationi interponit *a* 23—31, parum apte si quid ego video, argumentum quoddam, quod uti ad impugnandas ideas Platonicas (τῶν εἰδῶν τῶν ὡς γένους *a* 24, cf. ad *I* 7. 1057*b* 6) ita ad evertendos numeros ideales referri possit. Notiones enim universales ait, si quis substantias esse ponit (θῇ *a* 25), quaerendum est utrum in sensibili animali ipsa insit idea animalis, τὸ αὐτοζῷον, an diversum quidpiam ab αὐτοζῴῳ, *a* 25, cf. *Z* 14. Perinde dubium est, utrum ea unitas, quam et in binario et in reliquis numeris cogitamus, ipsum sit τὸ αὐτοὲν (πότερον αὐτὸ νοεῖ τι *a* 30, omittendum τι) an aliud quidpiam ab eo distinctum, *a* 29—31.

a 7 περὶ τῶν ὕστερον γενῶν τοῦ ἀριθμοῦ. Gen. ἀριθμοῦ

suspensus est ab ὕστερον. Posteriores esse res geometricas rebus arithmeticis, cf. ad *A* 2. 982*a* 26. — *a* 20 ταὐτό τε συμβαίνει τοῖς περὶ τὸν ἀριθμόν, i. e. ταὐτό τε συμβαίνει ὃ καὶ περὶ τὸν ἀριθμὸν συμβαίνει, ὅταν τις τὰ τῶν ἀριθμῶν πάθη ὡς ἀρχὰς θῇ, cf. Alex. p. 757, 14. Schw. quod τοῖς gen. masc. esse putat, perturbare videtur sententiarum nexum; arithmeticae enim res pro exemplo tantum adhibentur. — *a* 28 οὐ ῥᾴδιον λῦσαι κτλ. Similes formulas Aristoteli usitatas collegit Waitz Org. 8*a* 29.

5) ***Explicari non posse, quomodo ex unitate et multitudine numeri fiant et ex similibus principiis magnitudines***, **1080*b*. 4—34.**

Plato (ὁ δὲ *b* 9) materiale numerorum principium esse statuerat dyadem indefinitam (τὸ πρῶτον πλῆθος *b* 9); cuius in locum quod ex Platonicis quidam (ὁ μὲν *b* 7) universe multitudinem substituerant, nomen neque ipsam rem mutaverant, cf. *N* 1. 1087*b* 18; nam et dyade illa et hac multitudine significatur indefinita augendi diminuendique potentia, cf. ad *A* 6. 987*b* 18. Hanc vocabulorum vim quamquam h. l. neque exponit Ar. neque respicit, eandem certe utriusque sententiae esse rationem et iisdem utramque difficultatibus obnoxiam dicit, sive quis certam quandam multitudinem (dyadem, magnum et parvum) sive omnino multitudinem pro principio posuerit, *b* 10. Sequuntur enim, ait, *b* 11, 12, hae difficultates quas supra exposuimus 7. 1082*a* 20 (αἱ ἀπορίαι αὗται ἀκολουθήσουσι *b* 11, quamquam exspectes potius dictum esse αἱ ἀπορίαι αἱ αὐταί), utrum mistione an positione an alia quadam ratione numeri ex principiis oriantur. — Deinde, *b* 12—21, unde supra iam plurimas repetierat refutandi rationes, cf. p. 553 not., in spinas inducit hanc sententiam eo, quod non quaerit cum Platonicis quomodo numeri ex his principiis orti esse putentur, sed quomodo singulorum numerorum unitates. Hae enim unitates non sunt eaedem atque ipsa unitas principalis, nec vero idem sunt ac multitudo principalis, nec denique videntur, utpote individuae, huius multitudinis partes esse posse, ut nulla denique ratio supersit, qua ex uno et multitudine unitates numerorum repetamus. — Denique, non curans quod multitudi-

nis nomine manifesto potentiam significare voluerunt non actum, iis obiicit, numeri principium ab iis poni ipsum alterum numerum, b21, 22, sicuti similia de ideis contendit cf. ad A 9. 990b 2. Atque hunc numerum, quem pro principio ponant (ὁ ἀριθμός b24, hunc numerum principalem i. e. τὸ πλῆθος, intelligi e sententiarum nexu apparet, cf. Alex. p. 760, 23), quaerit utrum finitum an infinitum haberi velint, quoniam in ipsa multitudinis notione infinitas nondum contineatur et ad repetendas inde finitas unitates finita multitudo requiri videatur, b23—27. Quae quidem argumentatio quantopere in verbis haereat Platonicorum neglecta eorum sententia, facile est cognoscere. (b23 παρὰ τοῖς κτλ. Praep. παρά causalem habet vim, cf. Matth. gr. Gr. §. 588δ.)

Sicuti in numeris unitates, ita in magnitudinibus extensis puncta inveniuntur, quae quomodo repeti velint ex eo puncto, quod principii loco ponitur, et ex principio materiali, quod multitudini simile sit, iisdem subiectum est difficultatibus, b27—34.

Concluditur universa de numeris idealibus disputatio. 1085b 34—1086a 21.

Refutatam universam de numeris idealibus doctrinam Aristoteles non modo iis censet argumentis, quae uberrime persecutus est, sed etiam ipsa auctorum inter se dissensione. Ea enim dissensio documento est, ὅτι τὰ πράγματα ταῦτα (vel τὰ πράγματα αὐτά, int. τὰ περὶ τῶν ἀριθμῶν δόξαντα) οὐκ ὄντα ἀληθῆ παρέχει τὴν ταραχὴν αὐτοῖς a1, cf. An. pr. I 32. 47a 8: δεῖ γὰρ πᾶν τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἑαυτῷ ὁμολογούμενον εἶναι πάντῃ. Iam potissima recenset sententiarum genera, a2—5, cf. ad 6. 1080b 14; a5—11, cf. ad 6. 1080b 21. 8. 1083b 5; a11—13, cf. ad 6. 1080b 11. Singuli quique caute, ut certas quasdam evitarent difficultates (κατά μέν τι ὀρθῶς a13), Platonis immutarunt sententiam, sed universam si spectamus doctrinam (ὅλως a14) omnes pariter in errores inciderunt, utpote a falsis profecti principiis. Non posse autem, si quid ipsum non est verum, inde veri quidquam colligi, Epicharmi versu quodam, a16, adversarios monet. — Iam satis disputatum (διηπορημένα a19, cf. ad B 1. 995a 28) Ar. arbitratur ad refutandam de numeris doctri-

nam; posse quidem pluribus insuper argumentis confirmari persuasionem eius, qui superiora iam probaverit, sed ea nihil profutura ad convincendos eos, quibus nondum sit persuasum (*πρὸς δὲ τὸ πεισθῆναι μὴ πεπεισμένος οὐθὲν μᾶλλον* *a* 20, haec verba ut possint construi *πεπεισμένον* vel *πεπεισμένους* scribendum est).

1086*a* 21 *περὶ δὲ τῶν πρώτων ἀρχῶν.* Utrum hoc loco an 1087*a* 29 incipiendus sit liber *N*, dubitatum antiquitus esse testis est Syrianus ad h. l: *μέχρι τούτων ἔνιοι τὸ M προσάγουσι* (l. *πρόαγουσι*), *τὰ δὲ ἑξῆς τοῦ τρίτου προβλήματος ὄντα τῷ N προσνέμουσι· ζητήσει γὰρ λοιπόν, εἰ ἀρχαὶ τὰ εἴδη καὶ οἱ ἀριθμοί· τὰ μέντοι πολλὰ τῶν βιβλίων κατὰ τὴν τοῦ Ἀλεξάνδρου διαίρεσιν ἐν τοῖς ἑπομένοις ἔχει τὴν τῶν βιβλίων τομήν.* Alexandri autem auctoritati quum plurimum tribuam, tamen hoc potius loco quam infra distinguendi quin sint libri *M* et *N* non dubito; iam enim nova et instituitur et proponitur quaestio, infra vero, *N* 1 init., eadem continuatur. Quaesivit enim Ar. hucusque utrum substantiae quaedam ponendae sint seorsim ac per se exsistentes praeter sensibiles res, eamque quaestionem non exposita sua ipsius sententia, sed explicatis iudicatisque aliorum placitis persecutus est; eundem in modum iam de principiis harum substantiarum quaestionem instituit, cf. *b* 21: *περὶ δὲ τῶν πρώτων ἀρχῶν καὶ τῶν πρώτων αἰτίων καὶ στοιχείων — ὅσα δὲ οἱ φάσκοντες εἶναι παρὰ τὰς αἰσθητὰς ἑτέρας οὐσίας, ἐχόμενόν ἐστι θεωρῆσαι κτλ.* coll. 1. 1076*a* 11: *ἐπεὶ δ' ἡ σκέψις ἐστὶ πότερον ἔστι τις παρὰ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ἀκίνητος καὶ ἀΐδιος ἢ οὐκ ἔστι κτλ.* Iam vero Platonici et Pythagorei, quorum examinat doctrinam, ideas et numeros id esse statuerant, quod re vera esset in rebus sensibilibus, hoc est autem ideas et numeros principia rerum esse voluerant; ac tamen ipsas has ideas et hos numeros ex principiis quibusdam repetierant. Itaque quum duo possint quaeri, utrum principia idearum vel numerorum recte ab auctoribus eius doctrinae sint posita, et utrum ideae vel numeri pro principiis rerum haberi possint, non adeo mirum debet videri,

singulares ponuntur (*μία ἑκάστη τῷ ἀριθμῷ* *b*26), principia etiam, ex quibus proficiscuntur, singularia esse oportet, *b*27—30. At si principia naturam rerum singularum habent, tot sunt res, quot principia, *b*32—37, id quod exemplo a syllabis earumque elementis petito perinde illustrat ac *B* 4. 1000*a* 1. (*b*26 *ὁμώνυμον*, latiore sensu usurpatum, id significat quod eodem nomine plures res singulas complectitur; itaque *μὴ ὁμώνυμον* idem est atque *ἀριθμῷ ἕν*. — *b*27 *ἔτι δ' αὐτὸ κτλ.* His verbis quum et ipsis ἡ ὁμωνυμότης idearum describatur Platonicorum e sententia, ea non debebant a superioribus graviore distinctione seiungi.)

Deinde singularia si sunt principia, sciri non possunt, quum prae ceteris scibilia ea esse oporteat, siquidem quidquid scitur, sive per syllogismum sive per definitionem, universale est, cf. ad *B* 6. 1003*a* 15.

b) ***Si universalia ponuntur principia***, *b*37—1087*a* 4. Universalia non habere substantiae dignitatem tamquam certum contendit Aristoteles, non relegato lectore ad eam disputationem libri *Z* 13, qua idem uberius comprobavit. At si non-substantia ponitur pro principio, ea nimirum prior esset quam substantia, quae inde efficitur, id quod est absurdum, cf. *Z* 13. 1038*b* 26.

c) ***Quaestio diiudicatur***, *a* 4—25. In has angustias compelli idearum auctores consentaneum est, *ὅταν ἐκ στοιχείων τε ποιῶσι τὰς ἰδέας καὶ παρὰ τὰς τὸ αὐτὸ εἶδος ἐχούσας οὐσίας καὶ ἰδέας ἕν τι ἀξιῶσιν εἶναι κεχωρισμένον* *a*5. Extrema verba quomodo explicanda sint dubium est. Etenim aut eam Ar. significat Platonicae doctrinae partem, quod praeter res sensibiles, quae sunt eiusdem speciei, unum quidpiam, nimirum ideam, seorsim ac per se ponunt (cf. Alex. p. 770, 9: *ἀξιοῦσιν ἕν τι εἶναι κεχωρισμένον αὐτοεῖδος, ἕτερον παρὰ τὰς οὐσίας τὰς αἰσθητὰς καὶ ἐχούσας ἐν ἑαυταῖς τὰς ἰδέας*), aut eam, quod praeter singulas ideas *τὸ αὐτοεν* ponunt tamquam principium formale, quo eae definiantur (cf. Alex. p. 770, 13: *ὅταν ἀξιῶσιν ἕν τι αὐτοεῖδος εἶναι κεχωρισμένον, λέγων αὐτοεῖδος τὸ ἀρχικὸν ἕν, παρὰ τὰς οὐσίας, αὐτὰς δὴ τὰς ἰδέας καὶ ἐχούσας τὸ ἀρχικὸν ἓν ἤτοι τὸ αὐτοεῖδος*). Utraque sententia per se probari, neutra cum ipsis verbis Ar. plane conciliari potest; illam enim si

sequimur, inepte ad οὐσίας, i. e. αἰσθητὰς οὐσίας, additur καὶ ἰδέας, hanc si probamus, illud αὐτοεῖδος ab Alex. inventum vereor ut Aristoteleum sit, nec pron. indef. τι ad ἕν *a* 6 apte videtur additum esse. Itaque haud scio an omissis vv. καὶ ἰδέας prior explicatio accipienda sit.

Iam ad dirimendam quaestionem eas diluit rationes, quibus ad universalia principia cogi videbamur. Ac primum quidem, *a* 7—10, non esse opus universalem rei notionem tamquam unum quidpiam et per se exsistens praeter rem poni, exemplo breviter allato contendit; ita simul eae de principiis difficultates evanescunt, quae inde erant ortae; cf. *M* 3 et ad *A* 6. 987*b* 8. Deinde neque universalia esse oportet, quae sciri velimus. Scientiae enim potentia quidem universalis est et ad universalia pertinet, actus autem ipse definitus est et definita ac singularia contemplatur, *a* 10—25.[1] — *a* 17 de omittendo art. τοῦ post ὕλη cf. Obs. p. 57.

N.

CAP. I.

2). ***Aeternarum substantiarum non posse esse principia contraria,* 1087*a* 29—*b* 4. *Platonici, quum contraria ponerent pro principiis, alterum e contrariis materiae loco habuerunt —* *b* 5; *eorum varias sententias Ar. enumerat —* *b* 33,**

1) Non sufficere hanc diiudicandi rationem, sed nimia levitate versari Aristotelem in dirimenda ea difficultate, quae sua ipsius placita premat, quum perspicue exposuerint Zeller Ph. d. Gr. II. p. 405 sqq. Heyder Arist. Dial. I 1. p. 181 sqq., paucis significasse satis erit. Universalia esse quae vere cognoscantur sive per syllogismum sive per definitionem, constans est Aristotelis sententia, neque ea restricta ad cognoscendi potentiam, cf. ad *B* 6. 1003*a* 14. Ac profecto si quis nunc ipsum theorema geometricum perspicit, si syllogismum conficit primae figurae, non potentia, sed actu cognoscit universalia. At vero scientia ad ea referenda est, quae sunt; essentia autem, seclusa ab universalibus, unice tribuenda est substantiis singulis, *Z* 13. Inde in repugnantiam inevitabilem Ar. incidit, quam non potest videri solvisse, quum materiae et formae, potentiae et actus discrimen adhibet, tamquam promptam ac paratam ad omnia systematis vulnera medelam, et potentiam unice scientiae non ipsam actu scientiam universalia spectare simpliciter contendit.

principium formale — 1088*a* 15, *deinde materiale principium indicat* — *b*13, *nec posse omnino aeternas substantias ex elementis constare demonstrat*, 2. 1088*b* 14—35. *Platonicae sententiae quae videatur esse origo* — 1090*a* 2.

1087*a* 29 *περὶ μὲν οὖν τῆς οὐσίας ταύτης εἰρήσθω τοσαῦτα.* Hoc libro si continuatur superioris libri disputatio et novam quidem quaestionem supra *M* 9. 1086*a* 21 institui si vere statuisse iudicor, non videntur haec verba ferri posse. Supra quidem l. l. non inepte Ar. his verbis transitum significasset ab investiganda substantia idearum vel numerorum ad indaganda eorum principia; hoc autem loco non a substantia ad principia, sed ab una de principiis quaestione ad alteram transgreditur. Quare nisi quis omnino haec verba editori potius libri quam auctori tribuenda putat, pro *οὐσίας* scribendum suspicor *ἀπορίας*.

a) 1087*a* 29—*b*4. Sicuti rerum sensibilium (cf. ad *Λ* 10. 1075*a* 28), ita etiam aeternarum et immutabilium substantiarum, quicunque tales esse statuerunt, contraria posuerunt principia. Id probari non posse hac demonstrat ratione. Principio rerum omnium siquidem nihil potest esse prius. fieri non potest ut *ἡ ἀρχὴ ἕτερόν τι οὖσα* *a*33, h. e. οὖσα *καθ' ὑποκειμένου* *a*35, *b*1, sive *ἐν ὑποκειμένῳ* sive συμβεβηκός, id ipsum *ἀρχή* sit; veluti si quis album dixerit esse quidem principium, quatenus est album, sed idem necessario alii rei inhaerere. (cf. An. post. I 22. 83*a* 30: *ὅσα δὲ μὴ οὐσίαν σημαίνει, δεῖ κατά τινος ὑποκειμένου κατηγορεῖσθαι, καὶ μὴ εἶναί τι λευκόν, ὃ οὐχ ἕτερόν τι ὂν λευκόν ἐστιν.* 4. 73*b* 5—10.) At contraria si quis ponit pro principiis, quoniam ex contrariis nihil fit nisi subiecta materia, talia nimirum ponit principia, quae necessario sint *καθ' ὑποκειμένου* neque substantiae per se exsistentes. Ergo non possunt contraria poni pro principiis rerum omnium, sed ea ad altius referenda sunt principium. Ad universam argumentationem cf. *Λ* 2. 1069*b* 2. 10. 1075*a* 28, quos locos respici ab Ar. exspectes, si libros Metaph. eo, quo nunc vulgantur, ordine scripsisset. — *b*2 *οὐθὲν οὐσίᾳ ἐναντίον*, cf. Cat. 5. 3*b* 24 et Waitz ad h. l. — *b*2 *φαίνεται* — *λόγος*, cf. ad *Λ* 6. 1072*a* 17.

b) 1087*b* 4—33. Platonici quoniam poni oportet mate-

riam, ipsum alterum e contrariis illis materiae loco habuerunt, cf. ad *Λ* 10. 1075*a* 32. Et hoc quidem materiale principium variis appellarunt nominibus, τὸ ἄνισον, τὸ πλῆθος, τὸ μέγα καὶ μικρόν, τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, τὸ ὑπερέχον καὶ ὑπερεχόμενον, τὸ ἕτερον, τὸ ἄλλο (quae nomina omnia quid significent cf. ad *A* 6. 987*b* 18); sed ea nominum varietas ipsius rei nullum facit discrimen, *b* 18, cf. *M* 9. 1085*b* 8, nisi quod ii, qui universaliores posuerunt notiones, refutationes quasdam ex ipsa notionum natura petitas (λογικὰς δυσχερείας *b* 20, cf. ad *Γ* 5. 1005*b* 22) evitant. Quamquam iidem, si sibi volunt constare ipsi, ut principia ponunt universalia, ita universalem numeri naturam prius inde debent repetere, quam singulos numeros, *b* 21—26, cf. ad *A* 9. 990*b* 19. Quodsi contraria potissimum volunt esse principia, ii maxime speciem quandam veritatis videntur secuti esse, qui unitati opposuerunt multitudinem; sed multitudini quum sit paucitas opposita, consequens esset (ἔσται *b* 32) ut sit τὸ ἓν ὀλίγον, *b* 27—33, cf. *I* 6. 1056*b* 6.

De hac Platonicae doctrinae varietate, quam Ar. h. l. recenset, cf. Zeller Pl. St. p. 220. — *b* 5 τῷ ἑνὶ τῷ ἴσῳ. Voc. ἴσον natura definiens unitatis significatur, atque ἓν quoniam est ἴσον, opponitur ei τὸ ἄνισον. Ad τῷ ἑνὶ τῷ ἴσῳ ex superioribus verbis adde ὕλην ποιοῦντες. — *b* 7 τῆς τοῦ ἀνίσου δυάδος κτλ. cf. *b* 10 et ad 1088*a* 15. — *b* 12 ὅτι λόγῳ ἀριθμῷ δ' οὔ, int. ἕν εἰσι τό τε ἄνισον καὶ τὸ μέγα καὶ μικρόν. Alex. p. 776, 16 videtur legisse: ὅτι ἀριθμῷ λόγῳ δ' οὔ; neque attinet quaerere utrum praeferendum sit; universa enim distinctio, qua τὸ λόγῳ ἓν et τὸ ἀριθμῷ ἓν discernuntur, ad ipsas notiones vix videtur referri posse, cf. ad *I* 3. 1054*a* 33. — *b* 30. τὸ ἄλλο αὐτῷ. Restitui eam lectionem, quam Alex. p. 777, 30 sqq. diserte testatur, ut sibi opponantur ἕτερον ταὐτό, ἄλλο αὐτό, quamquam Ar. alibi ἕτερον et ἄλλο manifesto eadem usurpat significatione, cf. ad *I* 3. 1054*b* 14.

c) 1087*b* 33—1088*a* 14. Iam primum ut unitatem falso ab his pro formali principio positam esse comprobet, quae sit vera unitatis natura explicat; significari enim per unitatem mensuram, quae, quum utique rem aliquam, quae mensuretur, subiectam habeat, nec substantia per se esse (ὡς

οὐκ ὄντος τινὸς τοῦ ἑνὸς καθ' αὐτὸ οὐσίας a3) nec pro principio haberi possit. — Longe uberius et diligentius de eadem re explicuit *I* 1. 2, cf. prooem. p. 27. — a8 *οἷον ὁ ἵππος κτλ.* cf. de emendandis his verbis Obs. p. 126. — a11 *ὁ δ' ἄνθρωπος κτλ.* Non facile induxerit quispiam animum, ut Ar., *τὸν ἄνθρωπον, τὸ λευκόν, τὸ βαδίζον,* numerare et quasi eadem mensura metiri, quia non potest substantia computari cum accidentibus; quodsi quis id facere susceperit, communi quadam notione, quae ad haec omnia pariter pertineat, complectenda sunt, veluti generis, i. e. categoriae, vel alius similis, a13, 14; ita generum certum quendam habebimus numerum.

d) 1088a 15—b13. Materiale principium quod esse voluerunt indefinitam magni et parvi dyadem, longe recesserunt ab eo, quod communi omnium consensu comprobatur esse quod omnino esse potest (*τῶν δοκούντων καὶ δυνατῶν* a16). Quod dicit a15: *οἱ δὲ τὸ ἄνισον ὡς ἕν τι, τὴν δυάδα δὲ ἀόριστον ποιοῦντες μεγάλου καὶ μικροῦ,* duas inter se coniungit et per part. *δέ* (quae non videtur cum Trend. de i. p. 62 omittenda esse) opponit formulas, quibus idem principium Platonici significaverunt, siquidem illud vel una notione (*ὡς ἕν τι*) comprehenderunt *ἀνισότητος*, qua indefinita eius natura denotaretur, vel ambiguam eius potentiae naturam dyadi magni et parvi tribuerunt, cf. 1087b 7. 10 et ad *I* 5. 1056a 10. Deinde vero ubi falso hoc pro principio poni demonstrat, alterum modo principii nomen respicit, *τὸ μέγα καὶ μικρόν*, ac tribus potissimum ea de re utitur argumentis.

Primum enim, a17—21, magnum et parvum affectiones sunt vel numerorum vel extensarum magnitudinum, ideoque non possunt pro principiis iis subiici, cf. *M* 9. 1085a 21. — Deinde, a21—b4, magnum et parvum relativo continentur genere; atqui *τὰ πρός τι*, quoniam semper aliud quidpiam requirunt, cui inhaereant, a28, minime omnium possunt pro substantiis haberi, a23, cf. ad *Λ* 4. 1070a 34. Idem etiam ex eo potest cognosci, quod *τὸ πρός τι* nulli ex omnibus mutationis generibus (de quibus cf. ad *Λ* 2. 1069b 9) subiicitur, cf. *K* 12. 1068a 11. Phys. V 2. 225b 11. Itaque quoniam *τὰ πρός τι* nec potentia nec actu sunt substantiae, absurdum

est non-substantiam habere pro principio substantiae, *b* 2, cf. *Z* 13. 1038*b* 26; substantia enim reliquae categoriae omnes sunt posteriores, cf. *Z* 1. (*a* 25 εἴ τι ἕτερον καὶ τῷ ὅλως κοινῷ πρός τι καὶ τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ καὶ εἴδεσιν, suppl. ἐστί vel ὑπόκειται, i. e. siquidem et universale τὸ πρός τι et singulae eius species non possunt cogitari, nisi aliud quidpiam subieceris cui inhaereant. Idem igitur dicit his verbis quod deinde *b* 28: ὃ οὐχ ἕτερόν τι ὂν πολὺ ἢ ὀλίγον ἐστίν, cf. 1087*a* 35.) — Denique, *b* 4—8, elementa alicuius rei non possunt eidem rei, cuius sunt elementa pro praedicatis tribui, cf. ad *Λ* 4. 1070*b* 5; at illa, quae volunt esse principia materialia, magnum et parvum aliaque eiusmodi, eadem simul manifesto praedicantur de rebus inde generatis. Huc accedit alia affinis huic dubitatio, *b* 8—13. Quum reperiatur in numeris, qui parvus neque idem etiam magnus sit, nimirum binarius numerus (cf. *I* 6. 1056*b* 27), ponendus est alius etiam numerus, qui simpliciter magnus sit neque idem parvus, veluti numerus denarius, si eo nullum esse maiorem statuunt (εἰ ταύτης μή ἐστι πλεῖον *b* 10, Platonicorum e sententia, cf. *M* 8. 1084*a* 12; part. καί omittendam arbitror, quia non habeo quomodo eam explicem), vel alius quidam, omnes nimirum reliquos numeros excedens numerus, ἢ τὰ μύρια *b* 11. At ita non magnum et parvum omnium est numerorum principium, sed aliorum parvum, aliorum magnum, cf. *M* 8. 1083*b* 23.

CAP. II.

e) 1088*b* 13—35. Sed ut prorsus refellatur Platonica de principiis numerorum doctrina, quaerendum est, ea quae aeterna sunt, quales numeros volunt esse, num possint omnino ex elementis composita esse. Elementa alicuius rei eiusdem etiam sunt materia; et si quid est ex elementis, sive illud aeternum est sive aliquo tempore ortum, idem fit ex elementis. Atqui quaecunque fiunt, ea ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος fiunt, cuius ea est naturae ambiguitas, ut et fieri possit ex eo res definita et non fieri. Numeri igitur, quoniam ex hac doctrina possunt non esse, non sunt aeterni, *b* 23. — *b* 16 εἰ καὶ ἀεί ἐστι κἂν εἰ ἐγένετο, non est supplendum

cum Alex. p. 783, 8 et Schw. *τὸ ἐξ οὗ ἐγένετο*, sed *τὸ ἐξ αὐτοῦ ὄν*. Etenim hoc agit Ar., ut quidquid est ex elementis idem fieri ex elementis demonstret, transiturus deinde a notione fiendi ad notionem potentiae; et hoc quidem etiam ad numeros Platonicos, licet aeterni sint, referendum dicit cf. *b*20: *εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἀεί ἐστιν ὁ ἀριθμὸς κτλ.*; elementa utrum aeterna sint necne, nihil omnino ad quaestionem pertinet. — *a*24 *ἐν ἄλλοις λόγοις*. Possunt haec apte referri ad *Θ* 8. 1050*b* 6 sqq. (cf. *Λ* 6. 1071*b* 19); sed cur verisimilius esse putem, referenda ea potius esse cum Alex. ad l. de coelo I 7 sqq. v. p. 27.

Non novam iis, quae modo explicui, verbis instituì disputationis partem (quod arbitratur Glaser d. Met. des Ar. p. 194, inductus fortasse perversa, quae per universum librum *N* instituta est, capitum distinctione), sed quasi in transitu hanc addi argumentationem ad refellenda plenius placita Platonica, inde facile est cognoscere, quod proximis verbis, *b*28—35, eos e Platonicis refellit, qui dyadem indefinitam pro principio materiali posuerant, sed eam noluerant uno imparis nomine complecti; nimirum eos quibusdam quidem difficultatibus eximi, sed gravissimis perinde teneri ac si *τὸ ἄνισον* et ipsum statuerent. — *b*32 *τὸ πρός τι* mirror quod cum *τῷ ἀνίσῳ* Ar. ita coniunxit, ac si huic uni esset proprium, nec pariter ad magnum et parvum esset referendum; cf. 1. 1088*a* 21: *ἔτι — καὶ πρός τι ἀνάγκη εἶναι τὸ μέγα καὶ μικρόν*. — *b*34 *ἐάν τε τὸν εἰδητικὸν κτλ.* cf. ad *M* 6. 1080*b* 11 sqq.

f) 1088*b* 35—1090*a* 2. Plato ut deflectens a veritate (*ἐκτροπῆς a*1, cf. Phys. I 8. 191*a* 26: *ἐξετράπησαν οἷον ὁδόν τινα ἄλλην ἀπωσθέντες ὑπὸ ἀπειρίας*) ad haec, quae posuit, principia deveniret, et alia multa in causa fuerunt, ait Ar., et praecipue quod dubitationi Parmenideae, quae vetustate dudum debebat obliterata esse (*ἀρχαϊκῶς a*2, i. e. *ἀρχαϊκῶς καὶ εὐήθως*, Alex. p. 784, 15; cf. *καινοπρεπεστέρως* *A* 8. 989*b* 6) nimium tribuit. Parmenides enim, quidquid praeter ens ponatur, non-ens esse dicit; atqui non esse nec esse nec cogitari posse (*οὐ γὰρ μήποτε κτλ. a*4, cf. Karsten Parm. p. 48. 130); ergo ens unum ac simplex nec quidquam

esse praeter hoc ipsum ens. Hanc argumentationem quum probaret Plato, ut entium, i. e. idearum, multitudinem muniret adversus Parmenideas rationes, propositioni maiori syllogismi, qua non-ens omnino non esse dixerat, obsistendum (ὁμόσε βαδιεῖται *a*3, cf. Stallb. ad Plat. rep. X 610c) putavit ac demonstrandum esse (ἀνάγκην εἶναι *a*5 legendum pro vulg. ἀνάγκη εἶναι), etiam non-ens esse; ita enim positis pro principiis ente et non-ente consequens fore, ut inde repeterentur entia, si quis ea multa esse contendit (εἰ πολλὰ ἔσται *a*6, cf. Obs. p. 24). Hanc rationem quod tribuit Platoni, Ar. manifesto Plat. Sophistam respicit, cf. Soph. p. 237 sqq. 256*e*; ibi quod Plato esse comprobat non-ens, Ar. idem esse ac τὸ μέγα καὶ μικρόν etiam Phys. I 9. 192*a* 7 contendit.

*a*7—15. Parmenideae rationi et Platonicae eius refutationi opponit (καίτοι *a*7) Ar. distinctionem entis in singulas categorias; eam quia neglexissent, et parum definita illos philosophos locutos et in fraudem abductos esse. Primum enim, quoniam multifariam dicitur ens, tot nimirum modis, quot sunt categoriae (cf. ad *Δ* 7), quaerendum est ex Platone, qualia tandem entia unum fore arbitretur, nisi quis non-ens esse demonstraverit (εἰ μὴ — ἔσται *a*10), substantias an affectiones, an denique ita omnia cum omnibus commistum iri, ut substantia cum qualitate et quantitate reliquisque categoriis omnibus in unitatem sit coitura. (Quam in textu exhibui huius loci emendationem, cf. Obs. p. 24, ea et Alexandri interpretatione et coll. Phys. I 1. 185*a* 20—30 confirmari videtur.) At absurdum est opinari, posita una quadam natura pro principio, nimirum non-ente, explicari posse qui fiat, ut entis aliud genus substantia sit aliud qualitas et similiter reliqua.

*a*15—31. Deinde non-ens Platonicum non minus indefinite est positum, quam ens Parmenideum. Negatio enim entis tantam recipit notionis varietatem, quantam ipsum ens, ut non-ens vel significet non-substantiam vel non-quale, non-quantum cet. Quaerendum igitur quale non-ens Plato adhibendum putaverit ad illud ens Parmenideum, ut inde idearum multitudinem repeteret, *a*15, 19. Ac significat qui-

dem Plato, illud non-ens se putare esse τὸ ψεῦδος [1]), et ad confirmandam hanc sententiam geometrarum adhibet exemplum, qui ex falsa hypothesi, quum quidem lineam descriptam in pulvere ponunt esse pedalem, licet non sit pedalis, veras faciant conclusiones, *a* 20—23. At neque exemplum ad rem confirmandam idoneum est, quoniam illa, quam describunt in pulvere geometrae, linea ad ipsam demonstrationem non pertinet (*οὐ γὰρ ἐν τῷ συλλογισμῷ ἡ πρότασις* *a* 24, i. e. *οὐ γὰρ ἡ προτεινομένη καὶ γραφομένη γραμμὴ ἐν τῷ συλλογισμῷ παραλαμβάνεται, ἀλλ' ἡ νοουμένη*, Alex. p. 785, 34, cf. ad *M* 3. 1078*a* 20), neque vero ex hoc genere non-entis quidquam potest generari. Sed quum tribus potissimum modis non-ens perinde atque ens dicatur: *τὸ μὴ ὂν κατὰ τὰς κατηγορίας, τὸ ὡς ψεῦδος μὴ ὄν, τὸ κατὰ δύναμιν* (cf. ad *Λ* 2. 1069*b* 28. *Δ* 7), extremum genus, id quod potentia est, actu autem nondum est, cuilibet subiiciendum est generationi, sive unum generatur sive multa, *a* 23—31. — *a* 26 *κατὰ τὰς πτώσεις*, cf. Trend. Kat. p. 28. Waitz Org. 16*b* 1.

a 31—*b* 8. Categoriarum genera hucusque ita abhibuit Ar., ut et Parmenideam sententiam et Platonicam eius refutationem parum definitam esse demonstraret; iam vero propter id ipsum, quod varietatem categoriarum neglexit, Platonis doctrinam et mancam esse et in errores abductam comprobat, 1089*a* 31—1090*a* 2. Apparet (*φαίνεται* *a* 31), ait, Platonem id unice agere ut explicet, unde substantiarum (*τὸ ὂν τὸ κατὰ τὰς οὐσίας λεγόμενον* *a* 32, *τὸ ὂν τὸ τί ἐστι* *a* 34, cf. ad *E* 2. 1026*a* 36) multitudo oriatur, siquidem ex principiis suis mathematicas res repetit, quas ipse substantiarum habere dignitatem iudicat. At inde, licet omnia ei largiamur, affectionum, veluti colorum saporum figurarum, nec multitudo repeti potest nec varietas, *a* 35—*b* 2. Quodsi

1) Ar. ut in superioribus ita hic etiam respicit Sophistam Platonis, p. 237 a. 240, sed Platonis sententiam aliquantum immutavit. Plato enim dicit, non posse esse ψεῦδος, nisi τὸ μὴ ὂν ponatur esse; Ar. vero, quoniam ipse tria distinxit τοῦ μὴ ὄντος genera, quorum unum est τὸ ψεῦδος, simpliciter contendit illud μὴ ὂν sive θάτερον Platonis esse τὸ ψεῦδος. Lineae pedalis exemplum quamquam ita Ar. affert, ut ab ipso Platone adhibitum putes, equidem in libris Platonicis commemorari non memini.

quum rerum causam quaerere suscepisset, etiam illarum vel invenisset causas; quamquam enim sua cuique rei causa est propria, tamen κατ' ἀναλογίαν omnium rerum eaedem sunt causae eademque principia, *b* 2—4, cf. *Λ* 4. 1070*b* 17, 26. (τὸ γὰρ τὸ αὐτὸ καὶ τὸ ἀνάλογον *b* 3, part. καὶ explicat et corrigit Ar. quod dixit τὸ αὐτό, cf. ad *Z* 12. 1038*a* 7.) Illa enim aberratio a vera investigandi via (ἡ παρέκβασις *b* 4) effecit, ut quum quaereret principium alterum appositum τῷ ὄντι vel τῷ ἑνί, ex quo coniuncto cum ente prodirent substantiae, eiusmodi poneret principium, τὸ ἄνισον ac sim., quod progignendis inde rebus mathematicis aptum esset, ut quae ipsi substantiae esse viderentur. At τὸ ἄνισον nec contrarium est nec negatio τοῦ ὄντος vel τοῦ ἑνός (cf. 1. 1087*b* 27), sed in alia inest entium categoria; est enim τὸ ἄνισον πρός τι, quod quidem perinde peculiare quoddam entium genus est (μία τε φύσις *b* 7) ac substantia vel qualitas, *b* 4—8.

b 8—15. Commemorata hac relativa principii materialis natura aliam interponit vituperationem, *b* 8—15. Platonici enim non unum τὸ ἄνισον pro principio posuerant, sed plures eius species singulas singulis praefecerant rerum generibus, cf. *M* 9. 1085*a* 9; itaque hoc ante omnia erat explicandum, cum ex ἀνίσῳ omnem repeterent multitudinem et varietatem, unde tandem ipsum ἄνισον hanc specierum diversarum adscisceret multitudinem.

b 15—32. Deinde reversus ab hac digressione ad superiorem disputationem, qua potentiam omnibus rebus subiiciendam esse dixerat, cf. *a* 28, *b* 3, oportet igitur, ait *b* 15, pro principio cuiusque rei id ponere, quod potentia sit illa res. Ac Platoni quidem, ita enim videtur Ar. argumentari, alterum illud principium, τὸ ἄνισον, potentia fuit substantiarum; sed non in eo acquievit, ut simpliciter potentiam poneret, verum addidit (προσαπεφήνατο *b* 16), qualis sit hoc δυνάμει ὄν. At quod illud putavit esse τὸ πρός τι, plane aberravit ab omni veritatis specie, quoniam τὸ πρός τι nec potentia est entis nec negatio, sed una e categoriis entium (ὃ οὔτε — ὄντων *b* 19, haec verba ipsam continent Platonis refutationem). — Multo vero magis potentiam subiici pro principio oportebat (πολύ τε μᾶλλον *b* 20, int. ἀνάγκη

ὑποθεῖναι. τὸ δυνάμει ὂν ἑκάστῳ, coll. b 15), si quaesiv: ad non solum substantiarum, sed omnino categoriarum entium multitudo unde esset explicanda, b 20—24. Iam proximi verbis, b 24—32, hoc quidem apparet exponi, quid differat affectionum et substantiarum multitudinem explicare, sed ipsam hanc expositionem equidem me confiteor non intelligere. Voc. ἐπίστασιν b 25 Alex. p. 789, 13. 22 interpretatur ἀπορίαν, quod probabile videbitur conferenti formulam: ἐπιστῆσαι τὴν σκέψιν 1090a 2 ac sim. Sed aptior ad contextum sententiarum neque ab origine voc. prorsus aliena altera mihi videatur Alex. interpretatio p. 790, 27: ἀπόχρωσις. In reliquis categoriis, tum dicere videretur Ar., h. e. in affectionibus, si quaeritur unde repetenda sit multitudo et varietas, est quod respondeas. Propterea enim dixeris, quia substrata sint multa, affectiones etiam multitudinem adsciscere. At non sufficit hoc respondisse (καίτοι b 27, qua parte refutatio incipitur), suam enim cuique generi, etiam affectionibus, oportet materiem subesse, quamquam seorsim quidem ac per se non alia est nisi substantiarum materia. — b 30 φύσις τις τοιαύτη Alex., copiose de universi huius loci obscuritate questus, interpretatur p. 790, 19: ἤτοι ὕλη δυνάμει οὖσα τὰ εἴδη, quod num verum sit, quoniam ipsa verba parum sunt definita, non potest indicare, nisi qui totum sententiarum nexum perspexerit.

b 32 — 1090a 2. Plato substantiarum modo multitudinem explicare suscepit, sed ne id quidem assecutus est: etenim ex suis principiis nihil repetiit aliud nisi rerum mathematicarum multitudinem, ποσὰ, πολλά b 34. Iam si distincta est quantitas a substantia, nihil omnino de substantiarum multitudine explicuit; sin haec idem esse vult, in alias incidit difficultates. Hac extrema disputationis parte occasio data est eius quaestionis, quam proxime instituit.

3) *Numeros et omnino res mathematicas per se et absolute esse, unde possit comprobari*, 1090a 2—3. 1091a 12.

Platonici quia ex summis suis principiis numeros et omnino res mathematicas repetunt easque substantiarum habent loco, Ar. iam vituperata illa Platonicorum levitate quod omissis affectionibus unice ad substantias attenderint

quaerit περὶ τῶν ἀριθμῶν πόθεν δεῖ λαβεῖν τὴν πίστιν ὡς εἰσίν a 3, i. e. ὡς εἰσὶν αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς ὡς τόδε τι καὶ οὐσίαι καὶ οὐ μόνον ἀφαιρέσει. Ea quaestio quamquam soluta iam est superiore disputatione de rerum mathematicarum natura M 2. 3, ad quam aliquoties lectores delegat (cf. 1090a 15. 28) nec novi multum hac disputatione affertur, via tamen ac ratione haec ab illa differt; illic enim ipsa rei natura disputandi legem et ordinem praescribit, hic vero eorum philosophorum, qui res mathematicas per se esse statuerunt, sententias singulas respicit et refutat.

a) 1090a 2 — 3. 1090b 5. Ac primum quidem tres distinguit de substantiali numerorum natura sententias, unam ipsius Platonis, qui eam idealibus numeris tribuit, a 4 — 7, 16 — 20, alteram eorum Platonicorum, qui sublato ideali numero mathematicum per se esse statuerunt, a 7 — 15, 25 — 28, 35 — b 5 (cf. ad M 6. 1080b 14), tertiam Pythagoreorum, qui et ipsi numeros per se esse et principia esse voluerunt rerum omnium, sed non seiunctos a rebus sensibilibus, a 20 — 25, 30 — 35. Ac Platoni quidem hoc concedit, si ideae recte sint positae tamquam substantiae et causae formales rerum (παρέχονταί τιν' αἰτίαν τοῖς οὖσιν a 4), numeri autem idearum referant naturam, numeris etiam recte tribui ut per se et absolute sint; sed neganda nimirum propositio maior, et quoniam ea argumenta, quibus idearum essentiam comprobare student, nec necessaria sunt nec possunt omnino admitti, a 19, ideo nec numeris idealibus, utpote suspensis ab essentia idearum, tribui potest substantiae dignitas.

CAP. III.

a 17 κατὰ τὴν ἔκθεσιν κτλ. Quam proposui huius loci emendationem Obs. p. 128, ut κατὰ τὸ ἔκθεσιν scribatur pro κατὰ τὴν ἔκθεσιν, eam quamvis certam esse minime contendam, tamen satis et aptam et facilem esse etiam nunc arbitror. Qui de libello meo iudicium fecerunt, Breier et Winckelmann, alias vel emendandi vel explicandi rationes praeferendas censuerunt. Ille enim (N. Jen. Lit. Z. 1843. p. 887) scribi vult διὰ τὸ κατὰ τὴν ἔκθεσιν, hic (Jahn Jahrb. 1843. XXXIX 3. p. 293) lect. vulg. tuetur atque enunciatio-

nem hunc in modum construi iubet: πειρῶνταί γε λέγειν πῶς καὶ διὰ τί κατὰ τὴν ἔκθεσιν ἑκάστου τὸ ἕν τι ἕκαστον παρὰ τὰ πολλὰ λαμβάνειν ἐστίν.

Platonici vero ii, qui sublatis ideis mathematicum tamen numerum per se esse voluerunt, illa quidem ratione neque utuntur nec possunt uti, ut hos numeros aliarum rerum causas esse dicant, *a* 11, 16, sed ad confirmandam sententiam suam nituntur mathematicarum disciplinarum certa veritate; nimirum de rebus sensibilibus non fore firmam scientiam, *a* 27, 35, ergo quoniam est scientia mathematica (ἀληθῆ δὲ τὰ λεγόμενα καὶ σαίνει τὴν ψυχήν *a* 36), subiectam ei esse oportet rem a mutatione rerum sensibilium exemtam. Huic ratiocinationi Ar. et opponit quod supra disseruit (καθάπερ ἐλέχθη *a* 15, καθάπερ εἴπομεν *a* 28, cf. *M* 3), sufficere si res mathematicae cogitatione separentur a rebus sensibilibus non exsistentia, et dubitationem movet, qui fieri possit, si res mathematicae a sensibilibus ipsa exsistentia essent seiunctae, ut theoremata mathematica ad explicandam naturam sensibilium rerum apta sint, *a* 29, *b* 2. (τὰ πάθη *a* 30, *b* 4, int. τὰ καθ' αὑτὰ πάθη, qualitates numerorum et magnitudinum mathematicarum et quaecunque de iis proponuntur theoremata, ea omnia pariter etiam ad res sensibiles referuntur. — *a* 37 χωριστά si retinemus, supplendum est τὰ μαθηματικά, non τὰ ἀξιώματα *a* 36; sed quoniam sequentibus demum verbis ὁμοίως δὲ κτλ. a numeris ad magnitudines Ar. transgreditur, longe est probabilius scribendum esse χωριστόν et supplendum ἀριθμόν perinde atque ad superiora enunciati verba οἱ δὲ χωριστὸν ποιοῦντες *a* 35).

Denique Pythagorei quibus rationibus adducti sint, ut numeros per se esse statuerent, *a* 21, 24, cf. ad *A* 5. 985*b* 31. Et eos quidem laudat, quod non seiunxerunt numeros a rebus sensibilibus, *a* 31, cf. *M* 8. 1083*b* 10, vituperat vero, quod sensibilium rerum qualitates et affectiones repetere posse sibi videbantur e simplicibus numeris, *a* 32—35, cf. ad *A* 8. 990*a* 12.

b) 1090*b* 5—13. Alii mathematicarum rerum exsistentiam inde comprobaverant, quod punctum lineae, linea plani, planum solidi esset finis ac terminus, cf. *Z* 2. 1028*b* 15. *B* 5. 1002*b* 10. Quorum quidem argumentatio admodum est de-

bilis (μαλακός b 8, cf. ad E 1. 1025b 13); finis enim alicuius substantiae non est substantia, et si esset, non esset ab ipsa re seiunctus. — Qui fuerint eius sententiae auctores, cf. ad Z 2. l. l. Ceterum non satis iuste de iis iudicare Ar. videtur, etenim manifesto πέρας non tam finem, quam naturam definientem cogitaverunt, cf. de voc. ἴσον ad I. 1087b 5.

c) 1090b 13—32. Inferiora rerum mathematicarum genera quid conferant ad superiorum generum naturam et exsistentiam non explicari omnemque naturae continuitatem dissolvi ab iis philosophis, qui singula singulis generibus praeficiant generibus, b 13—20, cf. ad Λ 10. 1075b 37. M 9. 1085a 7. Hanc reprehensionem effugiunt qui ideas ponunt (τοῖς δὲ τὰς ἰδέας τιθεμένοις τοῦτο μὲν ἐκφεύγει b 20, sententia verborum perspicua, constructio grammatica ab usitata recedit), et ad quatuor primos numeros ideales rerum geometricarum genera redigunt, cf. ad M 8. 1084b 1; sed quae sit natura lineae quae ex dyade et materia construitur et similiter reliquorum, utrum haec idearum habeant dignitatem necne, quid conferant ad naturam rerum sensibilium, difficile erit dicere. Mathematicam certe naturam, quae vere hoc nomine dicatur, non habent nec possunt nisi per vim et arbitrii quandam libidinem mathemathica theoremata ad ea referri. (b 29 ἰδίας τινὰς δόξας, cf. M 6, 1080b 28: τὰ μαθηματικά, οὐ μαθηματικῶς δέ. — b 30 μακροποιεῖν, cf. μηκύνειν M 3. 1083b 6. — συνείρειν, cf. A 5. 986a 7.) — Hanc sententiam, ex qua rerum geometricarum genera ad quatuor primos numeros ideales rediguntur (cf. Brandis de libr. perd. p. 43. 48), ipsius Platonis esse admodum probabiliter colligas ex iis quae leguntur de an. I 2. 404b 15—27; inde adhibitis aliis locis Aristotelicis, qui per se ipsi dubii sunt et Syriani auctoritate (cf. Brand. l. l.), ipsi Platoni eam tribuunt Brandis Gesch. II 1. p. 313. Zeller Ph. d. Gr. II. p. 243. Hunc autem si sequimur locum, Ar. non ipsum Platonem huius facit sententiae auctorem, quoniam eius doctrinam deinde manifesto distinguit et opponit his placitis (οἱ δὲ πρῶτοι κτλ. b 32), sed eos e Platonicis, qui ideas et res mathematicas coalescere inter se voluerant (προσγλιχόμεναι ταῖς ἰδέαις τὰ μαθηματικά b 31); cf. de voc. προσγλίχεσθαι ad A 5. 986a 7), cf. ad M 6.

1090b 22. Utrum sit verius, et difficile est nec multum refert diiudicare in ea nimirum Platonicae doctrinae parte, quae leviter ab ipso Platone adumbrata ab eius discipulis subtilius est elaborata, cf. ad *M* 6 init.

d) 1090b 32—1091a 5. Platonem Ar. dicit quum duo posuerit numerorum genera alterum idealium, alterum mathematicorum qui medii essent inter ideas numerosve ideales et sensibilia, quumque idem numerum aliter fieri posse neget, nisi ex unitate et indefinita dyade, a 4, eo adigi ut multas ponat unitates, multas indefinitas dyades, alias ex quibus ideales numeri, alias ex quibus mathematici, alias denique ex quibus magnitudines exsistant; quas quidem unitates subordinandas iterum fore unitati universali has unitates omnes complectenti (κοινόν τι ἐπὶ τούτων ἔσται τὸ ἕν a 2). — b 37 ἐξ ἄλλου δέ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου· τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ. Hoc aperte dicit Ar., non posse Platonem aliam indefinitam parvi et magni dyadem ad explicandos mathematicos numeros ponere praeter eam quae principium sit idealium numerorum, quoniam aliam dyadem iam asciverit ad progignendas magnitudines. Sed ipsa verba quibus hanc sententiam contineri oportet, grammatice construi et explicari nequeunt. Facile quidem videtur sublata post μεγάλου distinctione particulam γάρ omittere vel in γε mutare, quae emendatio Alex. et Bess. auctoritate firmari potest; sed num ita genuina scriptoris manus restituta, an plura turbata sint dubito.

e) 1091a 5—12. Expositis his ineptiis, in quas non possint non incidere Platonici, universam numerorum explorationem concludit. Non aliter versari Platonicos in defendenda substantiali numerorum natura, ac servos qui ad purganda crimina levissimas quasque nugas sibimet ipsi repugnantes proferant, cf. Alex. ad h. l. Rhet. III 14. 1415b 22 (τὸ Σιμωνίδου μακρὸς λόγος, cf. Bergk Poet. lyr. p. 306.) Principiis autem, unitati et indefinitae dyadi vim inferri, si Platonici omnes ex iis numeros progigni iubeant; nam per indefinitam dyadem, ut quae sit δυοποιός (cf. *M* 7. 1082a 15), non alios posse progigni numeros nisi binarium numerum et eius potentias, ἀλλ' ἢ τὸν ἀφ' ἑνὸς διπλασιαζόμενον, cf. ad *M* 8. 1084a 6. Et illic quidem quod alia etiam numero-

rum genera quomodo ex principiis Platonicis repetantur exponit, Platonicam sequitur sententiam; hic ex sua ipse mente contendit dyadem utpote *δυοποιόν* uni progignendo huic numerorum generi, *τοῖς ἀφ᾽ ἑνὸς διπλασιαζομένοις*, aptam esse.

4) *Aeternarum rerum non posse esse generationem; a Pythagoreis autem et Platonicis non verbis modo, sed ipsa re poni earum generationem*, 1091*a* 12 — 4. 1091*a* 29.

Si iusto ac suo ordine Ar. universam quaestionem absolvi volebat, quae h. l. exponit continuo coniungere debebat cum superiore disputatione, 2. 1088*b* 14 — 35, qua res externas non posse componi ex elementis demonstravit. Hoc enim loco non ipsam hanc sententiam comprobat, sed eam opinionem, ut aeternarum rerum statuerint esse generationem, vere Pythagoreis ac Platonicis tribui docet. Exstiterant enim inter ipsos Platonis discipulos (in quibus Xenocratem fuisse veteres interpr. narrant, cf. Alex. ad h. l. Schol. p. 489*a* 4. 9. Brand. de libr. perd. p. 41. Zeller Pl. St. p. 210), qui auctoris sententiam ita defendere studebant, ut eum non de ipsa generatione temporis decursu facta cogitasse, sed notionum modo necessitudinem generationis nomine significasse dicerent, cf. de coelo I. 10. 279*b*. Hos igitur refutare studet ac demonstrare *ὅτι οὐ τοῦ θεωρῆσαι ἕνεκεν ποιοῦσι τὴν γένεσιν τῶν ἀριθμῶν*, *a* 28.

Ac Pythagorei quidem quod unitatem extensam consistere ac coalescere volunt ex nescio quibus elementis (*ἐξ ὧν ἀποροῦσιν εἰπεῖν* *a* 16, eandem vituperat obscuritatem, de qua conqueritur *M* 6. 1080*b* 20), et proximas quasque infiniti partes attrahi et definiri dicant ab unitate finiente, adeo aperte eam rerum conditionem quae antea fuerit et quae postea exstiterit distinguunt, ut non nomen modo generationis sed ipsam generationem ab iis statui appareat. Sed quoniam his quae ponunt principiis ad explicandas res sensibiles utuntur (cf. ad *A* 8. 989*b* 33), huius disputationis (*μεθόδου* cf. ad *A* 2. 983*a* 22) non est eorum placita accuratius excutere [1]).

1) *b* 19 *δίκαιον αὐτοὺς ἐξετάζειν τι περὶ φύσεως.* Schw. quod pro *τι* scribendum coniicit *ἐν τοῖς*, sententiam verborum recte explicat, sed emendatione propterea non videtur opus esse. Pythagoreos enim quum dicit Ar.

CAP. IV.

Platonici vero, quoniam numeros ponunt a rebus sensibilibus seiunctos, num statuerint generationem necne diiudicare ad hanc pertinet de prima philosophia disputationem a 20—22. Ad hanc quaestionem responsurus, τοῦ μὲν οὖν περιττοῦ, ait a 23, γένεσιν οὔ φασιν. Quum numeros ideales omnes, et pares et impares, ex unitate et indefinita dyade a Platone repeti alibi diserte commemoret (cf. M 8. 1083b 37 sqq. al.), mirum quod nunc pares tantum numeros generari contendit, non item impares. Nisi forte cogitandum videtur de singulari quorundam Platonicorum sententia, admodum probabilis est Zelleri interpretatio (Ph. d. Gr. II p. 217 not.), qui non de omnibus numeris imparibus hoc intelligendum arbitratur, sed unice de primo numero impari; huic enim explicationi, licet Aristotelis verba a reprehensione negligentiae purgari nequeant, inde tamen aliqua accedit fides, quod etiam parem numerum primum modo (τὸν δ' ἄρτιον πρῶτον a 24), hoc est binarium commemorat. Primi igitur numeri paris in constructione, qualem effinxit Plato, veram cerni generationem his comprobat verbis a 24: τὸν δ' ἄρτιον πρῶτον ἐξ ἀνίσων τινὲς κατασκευάζουσι τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ ἰσασθέντων. Quibus quidem verbis Plato, quem talia dixisse probabile est coll. M 7. 1081a 24, nihil videtur aliud significasse, nisi dyadem, quae suapte natura indefinita sit et quasi materia numeri, definiri per unitatem (cf. de vi voc. ἴσος ad l. 1087b 5). Aristoteles autem, ut vere generationem statui comprobet, hoc unum spectat, dyadem antequam accesserit unitatis vis indefinitam esse, accedente unitate definiri; in hoc igitur discrimine prioris imparitatis et posterioris paritatis mediam necessario intercedere generationem.

5) *Principiis aeternarum rerum quae intercedat cum summo bono necessitudo*, 1091a 29—5. 1092a 17.

Supra, Λ 7, ubi exposuit in primo motore immobili coniunctam esse et moventis et finalis et idealis principii natu-

examinandos esse περὶ φύσεως, nimirum hoc indicium ad eos libros reiici, in quibus περὶ φύσεως disputat neque vero περὶ τῶν ἀκινήτων.

ram, breviter Speusippi et Pythagoreorum refutavit sententiam, qui brevitatem non ipsi principio inesse sed postea demum per generationis decursum exsistere censuerant, cf. ad 1072*b* 30 sqq. Eandem quaestionem nunc movet, ut quae et dubitationem habeat et, si quis facile ea defungi posse sibi videatur, reprehensionem afferat (εὐπορήσαντι ἐπιτίμησιν *a* 30). Ac primum quidem diversas et poetarum veterum et philosophorum ea de re sententias enarrat, 1091*a* 33—*b* 15, deinde quid sit de ea re statuendum et unde factum sit, ut in difficultates Platonici adigerentur exponit, *b* 15—1092*a* 17.

a) 1091*a* 33—*b* 15. Vetustissimi inter poetas, ait Ar. *a* 34, cum quibusdam ex philosophis nostrae aetatis (Speusippum potissimum et Pythagoreos cogitari cognoscitur coll. *Λ* 7. 1072*b* 31) in eo consentiunt, ut summum bonum non ipsis principiis inesse, sed postea demum exsistere censeant. (παρὰ μὲν γὰρ τῶν θεολόγων ἔοικεν ὁμολογεῖσθαι τῶν νῦν τισίν *a* 33. θεολόγοι qui dicantur ab Ar. cf. ad *B* 4. 1000*a* 9. Genit. τῶν νῦν suspensus est a pron. τισίν, et οἱ νῦν dicuntur huius aetatis philosophi, cf. *A* 9. 992*a* 33. *Λ* 1. 1069*a* 26. Brandis Gesch. I. p. 69. gen. τῶν νῦν coniungit cum v. θεολόγων, ut οἱ νῦν θεολόγοι sint Platonici et Pythagorei; sed ea interpretatio, quam equidem secutus eram Obs. p. 59, Aristotelico v. θεόλογοι usui repugnat, cf. ad *B* l. l., et praeterea pron. τισίν ex hac explicatione admodum indefinite dicitur. — *a* 36 ἐμφαίνεσθαι, i. e. φαίνεσθαι ἐνυπάρχον, cf. ad *Z* 1. 1028*a* 28.) Et hodierni quidem philosophi (ποιοῦσιν *a* 36, int. τῶν νῦν τινές) ut negarent ipsi principio inesse summum bonum, magna quadam adducti sunt difficultate, in quam incidunt quidam (ἔνιοι *b* 1, int. Platonem), quum τὸ αὐτοέν pro principio statuunt; verum ea difficultas non inde oritur, quod summum bonum inesse iudicent principio, sed quia unitatem pro principio ponunt et eo quidem elementari et quia ex eo principio numeros repetunt, *a* 36—*b* 3, cf. ad 1092*a* 5. Cum his igitur veteres poetae ita consentiunt, ut pro principiis non eos ponant deos, quibus ut optimis imperium mundi tribuunt, sed Noctem et Coelum (cf. ad *Λ* 6. 1072*a* 27) vel Chaos vel Oceanum (cf. ad *A* 3. 983*b* 27). Sed hi quidem poetae non propter eiusmodi

difficultates, qualibus philosophos adductos cognovimus, ad has sententias devenerunt, sed propterea, quod vicissitudinem quandam summorum numinum in imperio mundi esse opinabantur (cf. O. Müller, Aesch. Eum. p. 183). Namque ii certe viri sapientes, qui medii quasi sunt inter poetas et philosophos, quoniam nec fabulis unice indulserunt nec sola ratiocinatione rem confecerunt (οἵ γε μεμιγμένοι αὐτῶν καὶ τῷ μὴ μυθικῶς ἅπαντα λέγειν b 8; haec verba ut possint construi, part. καί omittenda videtur esse), veluti Pherecydes et alii, ipsum principium omnium rerum censuerunt optimum esse, cf. Brandis Gesch. I. p. 79 sqq. Idem statuerunt qui primi omnium de rerum natura philosophati sunt Magi b 10, cf. Diog. L. prooem. 8; et inter recentiores philosophos Empedocles et Anaxagoras, cf. *A* 6. 988a 16. 7. 988b 8. Etiam inter eos, qui ideas (τὰς ἀκινήτους οὐσίας b 13) esse statuerunt, quidam (οἱ μέν b 13[1])) τὸ αὐτοέν per se bonum

1.) Omissum aliquid in hoc enunciato iudicat Zeller Pl. St. p. 277 not. Primum enim quum Ar. dicat οἱ μέν non esse quod his vv. respondeat, neque enim οἱ δέ b 35, neque verba ἦν ἔνιοι φεύγοντες b 22 hoc alterum quod desideratur membrum afferre vere monet. Deinde ex particula restrictiva μέντοι, οὐσίαν μέντοι κτλ. colligi putat, de iis antea dictum fuisse, qui non idem esse censerent unum et bonum. Denique hanc alteram sententiam commemoratam fuisse inde etiam cognosci, quod deinde quaeratur ποτέρως δεῖ λέγειν b 15. Itaque omissa quaedam verba colligit huius sententiae: *Andere hielten das Gute nicht für das (als oberstes Princip gesetzte) Eins selbst, waren aber doch der Ansicht.* — Quae argumenta dubito an acutius quam verius excogitata sint neque id evincant, quod vir doctissimus voluit. Etenim, ut ab hoc extremo ordiar argumento, interrogativa illa part. ποτέρως licet in eo enunciato, quod proxime antecedit, altera Platonicorum sententia non sit commemorata, tamen habet quo referatur, quoniam antea certe utraque de principii et summi boni necessitudine sententia perinde est exposita. Deinde particula restrictiva μέντοι adeo apte ad ea verba, quae antecedunt, refertur, ut propter eam certe non sit cur quid omissum statuamus; nimirum hoc dicit Aristoteles: Plato et ii ex discipulis qui integram eius doctrinam servarunt, quum idem esse statuerent unum et bonum, tamen tamquam eius principii notionem substantialem posuerunt unitatem, praedicati autem loco addiderunt bonitatem; h. e. unitatem, quae principium sit, dixerunt esse bonam, non vice versa bonum dixerunt esse unum. Ita quum referrent notionem boni ad notionem unitatis contrariam ingrediuntur viam atque Ar., qui summum bonum sua ipsius notione definit, et ex ea demum notione concludendo efficit, illud bonum esse unum. Una igitur manet difficultas, quod οἱ μέν dixit neque ei quidquam opposuit, cf. Alex. p. 800, 34: εἰπὼν δὲ τὸ « οἱ μέν » οὐκ ἀπέδωκε τὸ

esse censuerunt, ita tamen ut eius naturam et substantiam cerni putarent ἐν τῷ ἑνὶ εἶναι, non ἐν τῷ ἀγαθῷ εἶναι, b 14. Ipsum Platonem horum in numero ab Ar. haberi, cf. ad *A* 6. 988a 14.

b) 1091b 16 — 1092a 17. Ita exposita sententiarum varietate, utra sit sententia praeferenda Ar. quaerit. Ac mirum quidem, ait, si principio summo, aeterno sibique ipsi sufficienti, quale, quidem principium statuunt Platonici, haec ipsa aeterna (ἡ σωτηρία b 18, voc. passive dictum idem significat ac b 16 τὸ ἀΐδιον) ac sibi sufficiens natura non tamquam summum bonum putetur inesse; neque enim aeternum quidquam est neque sibi sufficiens ipsum ita ut nihil extra se positum expetat, nisi quod per se est bonum, cf. *A* 7. Eth. N. I 5. X 7. Quare quum adeo consentaneum sit principium aeternarum rerum idem ac summum bonum iudicare (τὴν ἀρχὴν τοιαύτην εἶναι b 20; i. e. ἀγαθὸν καθ' αὐτό), aliam subesse oportet causam, qua adducti Platonici ita statuere dubitaverint; et ea quidem in eo cernitur, quod pro principio posuerunt unitatem, quod eam posuerunt tamquam elementum, denique quod ex hoc elemento et principio numeros repetierunt, b 21. Difficultates inde enatas ut effugerent nonnulli e Platonicis quum unitatem ut principium retinerent, nec bonitatem ei tribuerunt neque ideales sed mathematicos numeros ex eo repetierunt. (τοῦ ἀριθμοῦ δὲ τοῦ μαθηματικοῦ b 24. Non esse ad haec verba addendam negationem, quod coniecerat Trend. de id. p. 98, recte demonstravit Zeller Pl. St., p. 278 not. Nimirum si qui unice ad mathematicos numeros illud αὐτοῖν referebant, non erat omnino cur de bonitate cogitarent, sed hac certe dubitatione exemti erant. Apte h. l. interpretatur Alex. p. 801, 21.) Quae autem difficultates oriantur (συμβαίνει b 22, 30, cf. ad *A* 8. 989a 22), si quis cum Platone numerorum idealium principium per se bonum esse censet, deinde exponit, b 25—30. Etenim si principium numerorum est ipsum bonum, quae

οἱ δέ. Sed inde quidem dictionis oritur quaedam inconcinnitas, non obscuritas sententiae; qui enim philosophi oppositi sint iis, qui dicunt idem esse unum et bonum, supra iam est dictum, a 34. Atque hanc quidam dicendi inconcinnitatem, quum nullum praeterea accedat corruptelae vestigium, equidem Aristotelis potius negligentiae, quam librariorum incuriae tribuam.

inde progignuntur unitates omnes sunt bonae, et, quod irridens Ar. addit, *πολλή τις εὐπορία ἀγαθῶν* *b*26. Deinde si ideae numeri sunt et progignuntur ex illa summi boni unitate, singulae quaeque ideae hoc habent tamquam substantialem qualitatem (*ὅπερ* *b*27, cf. ad *Γ* 2. 1003*b* 33) ut bonum quidpiam sint. Inde ad absurdum rediguntur, quidquid statuere praetulerint; sive enim bonorum unice ideas esse statuerint, illud non servant placitum, quod substantiarum omnium ideas esse voluerant; sive omnium posuerint substantiarum ideas, consequens est, ut omnes substantiae sint bonae.

*b*30—1092*a* 5. Novae praeterea exsistunt ineptiae, si alterum respicimus principium Platonicorum, quod quocumque nomine appellare iis placuerit (*b*31, cf. ad I. 1087*b* 5): profecto contrarium esse volunt unitati, idemque pro materia habent idealium numerorum. Contrarium quoniam esse dicunt, si unitas ponitur ipsum esse bonum, necesse est dyadem sive impar esse ipsam mali naturam; quam fugiens consequentiam Speusippus (*ὁ μέν* *a*32, cf. *Λ* 7. 1072*b* 31) unitati hoc tribuere ut sit ipsum bonum noluit; alii vero, minime veriti hanc consequentiam, dyadem sive impar mali naturam esse dicunt, *οἱ δὲ λέγουσι τὸ ἄνισον τὴν τοῦ κακοῦ φύσιν* *b*35, quibus quidem verbis equidem non cum Zellero (Pl. St. p. 279) Xenocratem solum respici putaverim, sed ipsum simul Platonem, cf. ad *A* 6. 988*a* 14. — Materiale autem principium quoniam esse volunt dyadem infinitam, efficitur ut malum omnia participent praeter ipsum principium, *τὸ αὐτοέν*, cf. *Λ* 10. 1075*a* 35, eoque magis participent, quo propius ex principiis manaverint, *b*37, et deinde, quum materia sit potentia formae et expetat formam qua definiatur (cf. Phys. I 9. 192*a* 18—25), consequitur ut malum sit materia (*χώρα* *a*1, voc. Platon. cf. Phys. IV 2. 209*b* 11) boni.

